6. A. 35.

DE
NOBILITATE
MEDICI
Contra illius obtrectatores.
DIALOGVS TRIPERTITVS.

IN QVO RATIONIBVS, EXEMPLIS, ſapientumque auctoritatibus, Sacræ Scripturæ, ac vtriuſque iuris comprobatur Medicum iuriſprudente eſſe nobiliorem;

Poſtea de omnibus Scientijs, Artibusque hactenus cognitis, etiam Magicis compendioſus habetur Tractatus,

Quorum omnium ſummulam octaua pagina dabit.

Auctore

HIPPOLYTO OBICIO MEDICO, ET PHILOSOPHO Ferrarienſi olim in patrio Gymnaſió ſimplicium medicamentorum publico Lectore, nunc Venetijs Medicinam faciente.

CVM PRIVILEGIIS.



VENETIIS, Apud Robertum Meiettum. *M D C V.*

9671

Illuſtriſſimo, ac Reuerendiſſimo

MATTHÆO ZANE

VENETIARVM PATRIARCHÆ, Dalmatiæque Primas.

Hippolytus Obicius S. F. deprecatur.

DVM (Patriarcha ampliſsime) pro Medicorum dignitate arduam prouinciam ſuſceperim, varias calumniatorum voces meis auribus accepi; quippè qui me nimium audacem alij appellant, liuoreq́; impulſi aiunt, cur inter tot Medicos, Philoſophoſq́; hic pro eo fortioribus contendere voluit? magna eidem forſan debetur decertatio, tamquam Muſcę in Elephantes? cùmque mordendo aliàs mihi inſtruant inſidias, mei honorem ſub tuo patrocinio in hos maledicos exemplo tueri decreui; quo mihi potius, quàm me maioribus conflictum conueniſſe monſtrabo: ipſumque à nobiliſsima, excelſaque Proſapia deſumptum eſſe volui; hæcque tua Zanea memoratu digna ea ſit, quam eiuſdem generis multis præferendam fore iure arbitratus fui: idque tui, tuorumque maiorum meritis; quæ, cùm anguſtijs ſcribendi in hac Epiſtola ſic coarcter, vt nec in re perfacili me ſatis expedire poſſem, mihi prætereunda ſunt: nec tui Genitoris præclara geſta tangere audeo, cùm dicendi inopia facultatē præcidat, adeò de hac Repub. benemeritus fuit, cuius tamen memoria æternū vigebit; cùm laboribus maximis, ac honoribus, qui in hoc Sereniſsiuo Senatu ampliſsimi ſunt, inſigni ſapientia, magna liberalitate, optimoqne animo in hoc eodem perfunctus fuerit. Huius tu (vir am-

pliſs.) Exemplar, imagoque vera in eiſdem maximis muneribus obeundis fuiſti. O vtinam tantæ mihi adeſſent rerum, orationisq́ copiæ, quantas merita tua poſtulant, honoribusq́, ac laudibus de te memorandis par eſſet eloquentia: quia vellem aliqua prædicare de Iuſtitia, quę pectore tuo inter cæteras virtutes effulget, de Prudentia, qua in fungendis præclaris legationibus tibi iamdiù à Senatu impoſitis ſemper vſus fuiſti, de Humanitate in tuos, de ſumma pietate in Pauperes, de Liberalitate in omnes, de tuarum actionum Temperantia, de Pacientia in Templa ſacra viſendo, ac demùm de miro ordine, quo gregem tuum ſacra Monialia, ipſumq́ Clerum reformando mirabiliter collegiſti. Age, quia tot præclara memoriæ prodere nec locus, nec uires permittunt, tui, Fratriſque Bernardi Illuſtriſsimi, Maiorumque veſtrorum geſta illuſtria ſileo: atque ad exempli enarrationem deuenio. Si gens alienigena, ortuque obſcura tuorum Maiorum ope in honores deducta beneficij immemor ipſorum titulis excellere, honoremque deturpare tentaſſet: planè etſi tale iniquum eſſe nouiſſent, diſsimulatione ſapientum more diù vſi fuiſſent; nemoq́ illorum cum hac turba ad publicum certamen prodijſſet, cùm ſinguli eius originis optimè memores eſſēt; vnde id efficere ſibi ipſis indignum reputaſſent. Dùm igitur res ita eſſet, ſi publica ſcriptura ab eadem gente edita ad manus alicuius ex iunioribus tuæ prolis perueniſſet, quæ honores, tituloſque veſtros contaminare enitaretur, hicque ſcriptura inſpecta ſi enſem nudauiſſet, ingratamque gentem ad conflictum conuocaſſet, ſuaque aptitudine ictus effugiendo etiam Inimicorum armis vtendo victor fuiſſet; quid honoris, aut dedecoris Iuueni generoſo decertatio attuliſſet? equidem ipſum ſummam laudem adeptum fuiſſe omnes dixiſſent. Scito igitur (præſul Ampliſſ.) me Iuueni ſimilem fuiſſe, qui ſcripturas directo contra noſtros honores à Iuriſtis editas inueni, quos per gentem ingratam exemplo ſignificaui: iſti enim Romæ habitantes à Maioribus noſtris artes liberales in Græcia ſumma cum laude profitentibus nonnullas (vt ff. de orig. leg. l. neceſſarium memoriæ proditum eſt) flagitauerunt leges, quibus rectè Reſp. adminiſtrare, & quod ſequens eſt, honores, dignitateſque nanciſci potuiſſent: iſtudque à noſtra Phil. Medicorumque ſecta aptè permiſſum fuit; etenim legatis ipſorum decem Tabularum primas tribuerũt

leges

leges; Quapropter legibus acceptis, honoribuſque hac via acquiſitis gentem (de qua ſuperius) noſtrum cætum contaminando imitari minime erubuerunt. Hinc iſtorum ſcriptis à me animaduerſis veritatis amore captus pro Philo. Medicorumq; dignitate decertaui, offenſioneſque rationibus effugiendo, interdumque eorum armis vtendo victor fui. Tu igitur (Patriarcha Ampliſſime) Dux meus, meique honoris, ac operis (quod totum tibi dono, ac ſuppliciter dedico) aduerſus calumniatores pro tui benignitate defenſor, ac propugnator adeſſe non dedigneris. Vale.

HIPPOLYTVS OBICIVS

Candidis Lectoribus S. D.

CVM veritatis cognitio ita inſita, vel potius in nobis innata ſit, vt ad eam nullo emolumento impulſi rapiamur; neminem arbitror (Candidi Lectores) fore tam iniquum, qui me reprehendere audeat, cùm veri aperiendi ſtudio inflamatus hoc onus ſcribendi aduerſus Medicorũ obtrectatores ſuſceperim; & ſanè ſi Bella, quibus nihil accerbius hominum vitæ contingit, non vituperantur, quæ ita tractãtur, vt nil aliud, niſi pax acquiratur; Nec etiam diſceptationes, quæ hominum animis magnas plerunq; afferunt voluptates, ſunt reprehendendæ, quæ ſic ſuſcipiuntur, vt ſola veritas reperiatur: Quapropter faceſcant maledici illi, qui me animo iuriſprudentes iniuria afficiendi pro Medicis de præcedentia pugnauiſſe affirmant; quandoquidem horum virorum ſemper ſtudioſiſſimus fui, quibus officium, operam, laboremque meum iampridem.pollicitus fui; cùm omni tempore, ac vbique ipſorum virtuti multum tribuerim; quorum pluribus tantum deberi exiſtimo, quantum humana vis quempiam honore, ac magna obſeruantia proſequi poteſt. Quare Deum teſtor, quòd numquam in animo mihi fuit quidquam aut facere, aut excogitare, quod contra ſuam exiſtimationem eſſe vellem: Verùm quoniam Philalethes ſum, pluris apud me eſt veritas, quàm amicitia: proinde nemo miretur, ſi certauerim, victoriamque aſſecutus fuerim; qua primo Dialogo parta more Romanorum cęnam magnam conſtitui; verùm cùm Romana illa in Herculis Templo pro eo, qui triumphauerat, digeſta fuiſſet, meam vnicuique communem eſſe volui; quam duobus poſtremis Dialogis ordinatim paraui, lo-

coque

coque epularum omnibus ſcientijs, artibuſque Menſam oneraui; nec vlla ſcientia, aut ars, ſiue quæuis doctrinalis facultas adhuc reperta eſt, quin ea Menſa mea exornata fuerit, idque, vt pro omnibus, ac ſingulis ibi aptus reperiretur cibus. Admittite igitur benigni lectores opus meum, tanquam Theatrum, in cuius aſpectu Medicorum præcedentiam rationibus, exemplis, ac auctoritatibus declaratam inuenietis, poſtea prælibatam Menſam omnibus ſcientijs, artibusque munitam circumſpicietis: quam rudibus animum excitandi gratia paratam, eruditis tamqam ſcenam theatralem (vbi, quid exoptabunt, ſtatim aſpicere poſſint) fore excogitaui, valete.

SVMMA

Summa Dialogi primi.

INTRODVCITVR Philalethes quodam in loco ſolitario, ac amœno vitam degens, & Calophilus Iuriſta, qui fato ductus Philalethem inuenit; inter quos de Medicorum, ac Iuriſtarum dignitate oritur contentio; vnde inprimis iuriſprudentiæ definitio improbatur, Iuriſque Canonici partem debiliorem ad Iuriſtas ſpectare, eosq; vti empiricos eſſe declaratur; ac nonnullorum praui mores narrantur. Deinde Medicum eſſe Philoſophum oſtenditur, qua hypoſtaſi facta multis rationibus Medicum iuriſprudente eße nobiliorem, locumque primum à Iuriſtis nec iure, nec conſuetudine, nec quocunque alio modo rectè occupari, quem cùm occupauerint dignitatis expertes, indoctosque eſſe monſtratur: quibus probatis omnes obiectiones à Iuriſtis in Medicos adductæ impugnantur, ac refelluntur, atq; inter hæc efficienda qua ratione Medicus mortem retardare poſſit docetur. Inſuper validiſſimis auctoritatibus ſacræ ſcripturæ, vtriuſq; legis, grauiſſimorumq; virorum à Medicis Iuriſtas honore, ac nobilitate ſuperari, Cauſidicorumque officiũ honoris expers eße ex legibus oſtenditur. præterea cauſa, cur Iuriſtæ, quibus debent honorem non reddunt, adducitur; omniumq; rerum tùm diuinarũ, tùm humanarum diuiſio traditur: de quibus omnibus à Medico ſcientiam haberi probatur; poſtremoque ſub Philoſophia omnes ſcientias, arteſque, etiam leges contineri, quibus eundem Medicum eſſe ornatum monſtratur; haſque omnes ab homine multos annos nato breui diſci poſſe exemplis multorum oſtenditur, multaque alia in horum gratia curioſa in hoc Dialogo primo leguntur.

Summa Secundi Dialogi.

POST aliqua præcepta pro ſtudio inſtituendo tradita modus, quo amœnus ſolitariuſque Philalethis locus inuentus fuerit, narratur; deinde totius Chriſtianæ, ac philoſophicæ Theologiæ, omniumque Mathematicarum, ac vtriuſque Magiæ compendium habetur: taliſque tractatio infraſcriptas artes, ac ſcientias continet, nempè Theologiam (quæ amplectitur Theologiam in ſe, alteram

Beatorum, Theol. Inſpiratam, Miſticam, Scholaſticam, atque Poſitiuam, necnôn & eam naturalem Metaphiſicam dictam) Arithmeticam Speculatiuā, & alteram in vſu. Geometriam tùm Contemplatiuam, tùm Operatiuam: poſtea Opticam artem, ſeu Perſpectiuam, Catoptricam, ſiue Specularem, Scerographicam, Coſmographiam, Geographiam, Chorographiam, Topographiam, Idrographiam, Gnomonicam, Architecturam, Aſtronomiam, Aſtrologiam (quæ eſt vel de natiuitatibus, vel de interrogationibus, vel de annorum Mūdi, ac natiuitatum reuolutionibus, vel de dierum, horarumque electionibus) Magiam generaliter traditam, ſub qua Malefica, ſuperſtitioſa, & naturalis continetur: horum autem trium ſpecierum prima habet Pyromantiam, Aeromantiam, Hydromantiam, Geomantiam, Catoptromantiam, Chyromantiam, Aruſpicium, Lecanomantiam, Capnomantiam, Necromantiam, atque Prçſtigium. Superſtitioſa amplectitur alteram Chyromantiam, Phiſiognomonicam, Geomantiam non maleficam, Augurium, Auſpicium, Heroſpicium, Sortilegium, Nomantiam, Artem notoriam, Artem Almadel, Artem Paulinam, atq; rerum omnium falſas obſeruationes: quæ vim extra naturam habent: itidem Cabalam, quæ hac tempeſtate his ſuperſtitioſis artibus coniungi ſolet. Naturalis autem Magia, quæ tertio loco poſita fuit, aliquas partes habet, inter quas Chimica ars una eſt. poſt verò iam enumeratas artes Muſica ſcribitur quæ diuiditur in Mundanam, Humanam, atq; Inſtrumentalem, & hæc vel Rithmica, Metrica, vel Armonica eſt; atque hæ ſunt ſcientiæ, artesque in ſecundo Dialogo traditæ.

Summa Tertij Dialogi.

QVAM precioſum ſit tempus, ac quomodo Medicus omnes ſciētias, artesque ſcire poſſit, ac debeat, oſtenditur: poſtea de Naturali Philoſophia, de Morali, de Rationali, de Medicina, deq; iuriſprudentia compendioſa tractatio habetur. Naturalis autem Philoſophia (quç traditur in libris Ariſt. Phiſicorum, in alijs de Cœlo, de Generatione, de Meteoris, de Hiſtoria Animalium, de partibus, deque eorum generatione, de Anima, atque in alijs, in quibus parua naturalia tractantur, necnon & in duobus de Plantis) habet ſub ſe Medicinam, quæ continet partes quinque, nempè Phiſiologicam, Pathologicam, Iginin, Simioticam, atque Therapeuticam: hçcque diuiditur in Dieticam, PharmaKeticam, ac Chirurgiam: Actiua autem Philoſophia in Ethicam, Politicam, ac Oeconomicam diſtribuitur: Politica autem iuriſprudentiam gignit, quæ uel eſt ius naturale, vel Gentium, vel Ciuile ex Iuriſtarum ſententia: quibus partibus ius Canonicum additur. Rationalis continet Logicam (quæ vel eſt naturalis, vel artificialis) Rhetoricam, Poeticam, Hiſtoricā, atq; Grammaticam, de qua nihil dicitur, cùm circa Hiſtoriam Dialogus abſoluatur.

AVCTORVM NOMINA quorum auctoritatibus in hoc Dialogo multa ſcripta ſunt.

A

Abraham Abnazara
Abraham Auenezre
Abubater
Accurſius Iur.
Aemilius Probus
Alboazen Haly
Alchibitius
Alciatus Iur.
Albertus Magnus
Albertus Gandinus Iur.
Albumazar
Alhazenus Arabs
Alexander Aphrod.
Alexander Piccolomineus.
Almanſor.
Alphonſus Rex.
Ambroſius Sanctus
Archidiaconus Can.
Ariſtoteles
Arnaldus Vaſalienſis.
Aryſtippus.
Aſcentius
Athanaſius Sanctus.
Atheneus.
Auerroes.
Auguſtinus Sanctus.
Auicennas.
Auicennas Chimicus.

B

Baldus Iur.
Benedictus Pererius.
Bernardus G. Penotus.
Bernardus Medicus Florent.
Bernardinus Rutilius.
Bethem.
Boetius.
Bonauentura Sanctus.
Budæus Iuriſcon.
Burleus.

C

Caietanus.
Cæcus de Aſculo.
Celſus Iuriſcon.
Chryſoſtomus Sanctus.
Chemoy
Christophorus Clauius.
Cicero,
Codices ciuiles.
Cornelius Ianſenius.
Cepola Iuriſc.
Cornelius Tacitus.
Copernicus.

D

Damonidas Philoſophus,
Decreta canonica.
Demetrius.
Democritus.
Demoſthenes.
Diocles.
Diogenes Græcus.
Diogenes Laertius.
Digeſta Ciuilia.
Dionyſius Carthuſianus.

E

Eccleſiaſticus.
Eccleſiaſtes.
Euclides.
Euſtratius.
Exodus.

Fede-

F

Federicus Commandinus.
Federicus Reinerius.
Ferdinandus Alduuenſis.
Franciſcus Gratianus Iur.
Franciſcus Maurolycus.
Franciſcus Iunctinus.
Franciſcus Capuanus.
Frater Archāg. de Burgonouo.
Frater Fauſtinus Taſſus.
Frater Paulus Cryſaldus.

G

Galenus
Geber
Geneſis
Gerſon
Galatinus.
Griſonus.
Gaſpar Caſalius.

H

Henricus Ranzonius.
Hærmes Philoſophus.
Harophilus.
Haly Habenragel.
Hierocles.
Hieronymus Sanctus.
Hieronymus Diegus.
Hieronymus Fracaſtorius.
Higinius.
Hippocrates.
Homerus.
Horatius.

I

Ioachimus Fortius.
Ioannes Antonius Maginus.
Ioannes Baptiſta Pellegrinus.
Ioannes Baptiſta Porta.
Ioannes Baptiſta Vimercatus.
Ioannes de Sacroboſco.
Ioannes de Saxonia.
Iacobus de Valenza.
Iacobus Syluius.
Ioannes Euangeliſta.
Ioannes Grammaticus.
Ioannes Neuizanus.
Ioannes Faber Iuriſc.
Ioannes Fernelius.
Ioannes Padoanus.
Ioannes Paulus pernumia.
Ioannes Picus Mirandula.
Ioannes Rauiſius Textor.
Ioannes Regiomontanus.
Ioannes Viguerius.
Ioannes Stoflerinus.
Iob Sanctus.
Ioſephus Moletus.
Ioſephus Quercetanus.
Iſaias.
Inſtitutiones Ciuiles.
Iſidorus.
Iulius Firmicus.

L

Lacinius Chimicus.
Laurentius Ventura
Leo Baptiſta Architectus.
Leuinius Lemnius.
Lucas de Pena Iur.
Lucas Euangeliſta.
Lucas Guaricus.
Lucius Scaranus.
Lodulphus.

M

Macrobius.
Marcus Euangeliſta.
Marius Nizzolius.
Marſilius Ficinus.
Matthæus Euang. & Apoſt.
Mercurius Triſmegiſtus.
Michael Sauonarolla.
Miſingerius Iuriſcon.

Morienus.

N

NOnius Marcellus.
Nicolaus de Lyra.

O

ORigenes.
Oliuerius.
Ornobius.
Orontius Fineus.

P

PAnormitanus Iur.
Panthœdas Philoſophus
Paulus Apoſtolus.
Paſcqual Caratiolus.
Paulus Manucius.
Petrarcha.
Petrus Ceruellus.
Petrus Lombardus.
Petrus Toleſanus.
Peurbacus.
Philoſtratus.
Platina.
Plato.
Plinius.
Plutarchus.
Pogius Florentinus.
Policianus.
Pomponius Lætus.
Pomponius Mela.
Porphirius.
Poſſeuinus de ſocietate Ieſu.
Proclus Diodocus.
Pſellus Philoſ.
Prolomæus.
Pytagoras.

R

RAbbi Salomon.
Rabbi Moſes Aegiptius.

S

SAlomon.
Sebaſtianus M.
Seneca.
Seruius.
Scotus.
Solon.
Socrates.
Stilbon.
Strabo.
Suetonius.
Summa Syllueſtrina.
Sylueſter Aldrobandinus Iur.

T

TArtaleus Mathematicus.
Themiſtius.
Theon Mathematicus.
Thomas Sanctus.
Theophraſtus Græcus.
Theopompus.
Tiraquellus.
Thomas ab Argentina.
Thomas Gianinus.
Tracagnota.
Turba Philoſophorum.

V

VAlentinus Naiboda.
Valeriola.
Valerius Maximus.
Valleſius.
Vincentius Alſarius à Cruce.
Vitello Math.
Vitruuius.
Vliſſes Aldrouandus.
Vlſtadius.
Vuekerus.
Vlpianus Iur.

Z

ZOroaſter.
Zabarella.
Zacharias.

INDEX
OMNIVM MEMORABILIVM in hoc Dialogo contentorum.

A

Accidens per ſe ſtare nequit. pag.72
Accidentium diuiſio. 72 73
Accidentium omnium cognitio Medico nata. 72
Accurſius ſerò Grammaticæ ſtuduit. 78
Actio præclarior ex difficilioribus 17
Actiua ſcientia ſpeculatiuæ poſtponitur. 22.23
Actiuæ Philoſophiæ diuiſio. 76
Adagium. tarde ueniſti. 77
Æquinoctialis qualis ſit. 127
Æromantia. 145
Affectus, facultates, & habitus in homine. 205
Albertus Gandinus Iuriſta probat Medicos præferendos eſſe Iuriſtis. 34
Allegoricus ſenſus qualis. 89
Alexandri Stiatici Iur. hiſtoria. 78
Altiſſimus creauit Medicum quomodo ſit intelligendum. 22.41
Amicitiæ ſpecies tres, & quæ ſint. 209
Ampullæ arenariæ quales. 119
Anagogicus ſenſus qualis 89
Animæ ſcientiam Iuriſtæ ignorant. 35
Animæ ſpecies, & earum potentiæ. 192.193
Anulus cur ſuper filium uerbis ſacris dictis mouebatur. 139
Apotame quid. 174
Arcana ſacræ ſcripturæ cur ſub Metaphora ſcripta ſint. 91
Architæ Columba lignea uolabat. 138
Architecturæ conſideratio. 123

Archi-

Architectura ex ſex partibus conſtituitur. 123.124
Architecturam aliqui uolunt eſſe mechanicam. 46
Architectus plus ſpeculationis, quàm magiſterij habet. 123
Architectus varijs doctrinis debet eſſe ornatus. 123
Arcticus, & antarcticus circulus. 129
Ariſtoteles quid de Poetica agat. 235
Arithmetica duplex. 98
Arithmetica magis neceſſaria, quàm cæteræ mathematicæ. 98
Arithmetica praxis quid agat. 101
Arithmetici ſpeculatiui conſideratio qualis. 98
Argumẽta Tiraq. cõtra Medicos, & reſpõſ. 32. vſq; ad 40. & à 43. vſq. ad 55
Ars Almadel, & ars Paulina. 160
Ars interdum accipitur pro ſcientia. 19
Ars notoria quomodo contingat. 160
Ars tabularis, ſiue computus aſtronomicus. 107
Artes ſuperſtitioſæ nouem. 152
Aruſpicium maleficum. 146
Aſtrologia cur in maleficas artes conuerſa ab aliquibus. 138
Aſtrologia cur præferatur Geometriæ 24
Aſtrologia de annorum mundi, & natiuitatum reuolutionibus. 137
Aſtrologiæ auctores. 136
Aſtrologiæ difficultas ubi poſita. 133
Aſtrologiæ de natiuitabus ſermo. 134.135
Aſtrologiæ de interrogationibus conſideratio. 131
Aſtrologiæ partes, & quid in unaquaque agatur. 134
Aſtrologiæ pars de dierum, & horarum electionibus qualis. 137.138
Aſtrologia iudiciaria quid, & eius conſideratio. 131
Aſtrologia Medico neceſſaria. 136
Aſtrologi cur ſexagenario utantur numero. 106
Aſtrologus morti accidentariæ an prodeſſe poſſit. 42
Aſtrologus optimus multa mala futura prohibere poteſt. 136
Aſtrologus prædicit de Regno, ciuitatibus, & de ędificijs. 135
Aſtronomiæ auctores. 131
Aſtronomiæ conſideratio, & diuiſio. 125
Athanaſii Symbolum fidei fundamentum. 88
Auctores Geometriæ. 111.112
Auctores optricæ, & catoptricæ. 113.115
Auctoritates aliquæ, quibus probatur Medicũ iuriſperito eſſe nobiliorem. 56
Augurium, & auſpicium quid. 158

B.

BEatorum Theologia qualis. 84.85
Beſtiæ aliquæ prudentes dicuntur. 26
Budæus deridet leguleos putantes leges è Cœlo delapſas eſse. 59

C

CAbala de Bereſith,& de Mercana qualis. 162
Cabala quid ſit,eius origo,& cur prohibita. 161.162
Cabala de Mercana in Theomantica,& arithmetica diuiſa. 163
Cabalæ cognitio Moſi data fui à Deo. 161
Cabalæ diuiſio in Semot,& Sephirot. 163
Cabalam in ſcriptis tradere non licebat. 162
Calophilus cur legibus ſtuduiſſet. 5.15
Canonici Iuris diuiſio,& pars ad Iuriſtas ſpectans quæ ſit. 8.9
Canoniſtæ cognitio in legibus canonicis qualis. 8
Capnomantia malefica. 146
Caetanus fraudem diabolicam patefecit in anulo quodam. 139
Caput æneum ab Alberto magno fabricatum,quod loquebatur. 88
Calculatoria,ac ſupputatrix quæ ſit. 101
Carmen Horatij de formicæ prudentia. 26
Catonis laus. 77
Cato quaſi ſenex latinas,iamque ſenex græcas didicit literas. 77
Catoptrica qualis,& quid agat. 114
Catoptromantia qualis. 145
Cauſa morbi quid. 201
Cauſidici,& Auocati ſæpe uel ininſti,uel inſcij. 55
Cauſidicorum aliquorum indecens audacia. 59
Cauſidicorum officium uile. 12.62
Chartæ nauigationis uſus. 118
Chimica in Medicina vſurpata quaſi miraculosè operantur. 167
Chimicę artis ſermo. ibidem
Chimici,vt metalla tranſmutent quid agant. ibidem
Chirographia quid ſit. 118
Chirurgus utens ratione mechanicus dici non poteſt,& cur. 45
Chriſtianus neſcit de diuinis agere abſque Logica,& Philoſophia. 67
Chriſtiano erudito Theologia eſt neceſſaria. 85

Chriſtus

Chriſtus Medici vicem geſſit, & Medicus fuit vocatus. 57
Chromatico genere quomodo cantetur. 172
Chyromantia malefica qualis. 145
Chyromantiæ ſuperſtitioſæ conſideratio. 153
Ciuilis facultas quid apud Ariſt. 33
Ciceronis verba de philoſophiæ laude. 64
Clima quid ſit. 117
Circuli ex quibus ſphæra componitur quot. 127
Clepſidra horologia, & eorum inuentor. 119
Commune ius plus valet, quàm ratio apud Iuriſtas 10
Cœleſtium Domorum nomina. 132
Cœli diuiſio ſecundum Aſtrologos. 106.132
Cœli partium nomina. 131
Coluri circuli quales. 128
Cognitio Dei qualis apud Medicum, alioſque. 67
Cognitio iuris in tribus ſolùm conſiſtere. 17.18
Concilia breui terminantur, & cur. 49
Compoſitus numerus qualis. 102
Conſuetudinem Iuriſtæ non habent pro præcedentia, & cur. 21.29
Conſuetudo quid. 29
Conſtellationum medio opera fieri naturæ operibus ſimilia. 138
Controuerſiæ Medicorum, ac Philoſophorum nemini obſunt, quæ vna hora finiuntur; illæ Iuriſtarum annis perdurant. 35.36
Contra negantes principia non eſt diſputandum. 109
Coſmographia quid, & eius conſideratio. 116
Coſmographus quid agat, quidque ei ſit neceſſarium 116
Comma quid. 174
Conſonantia qua ratione fiat. 168.171
Corporalia obedire naturæ ſpirituali in motu naturaliter rationibus probatur. 150.151
Corpus naturale ſubiectum naturalis Philoſophi. 178

D

DÆmones naturaliter attrahunt corporalia, vt magnes ferrum, eaque mouent. 149
Dæmones rebus aſſiſtentes eas naturaliter mouere rationibus probatur 150.151
Dęmones ſolùm naturæ ſecretis operantur. 140
Dęmones quomodo ab interirri homines decipiant, ſecumq; loquãtur 147.148
Dęmones qua via ſimul loquantur. 148

Dęmones quomodo forment phantaſtica corpora. 147.149
Dęmones Magi naturales ſunt. 141
Dęmonum opera quomodo efficiantur. 142
Dęmonum ſcientia qualis. 140.141
Dęmonum vis ſolùm in rebus naturalibus. 141
Decretorum verba pro Medicorum dignitate. 52
Deciſiones Iuriſtarum ſolùm auctoritatibus contingunt nulla inſpecta ratione. 10
Dei cognitio quomodo haberi poſſit. 2
Dei ſcientiam Medicus habet. 67
Decani in ſignis cęleſtibus quales. 133
Decani in Municipibus diuiſi. ibidem
Demoſthanes artem dicendi qua via adeptus ſit. 82
Deus de terra creauit Medicinam 40
Deus in creatione, & in medendis ægris vſus eſt ſordidis. 47
Diaſchiſmata quattuor, & comma faciunt tonum. 174
Diatonico genere quomodo cantetur. 172
Diezeugmenon. 172
Diapaſon, Diapente, & Diateſſeron. 171.173
Dies hominis breues, quorum numerus apud Deum. 40
Dignitas antiquitus Medicis data fuit ſupra Iuriſtas. 30
Dignitas ex virtutibus datur. 27
Digeſtorum ſummula. 112
Dignius eſt exercere Medicinæ praxim, quam ſpeculari. 20.21
Definitio iuriſprudentiæ quæ vera, & quę falſa. 7
Defendere ignotum deteſtabile. 39
Differentia inter leges canonicas, & ciuiles. 65
Differentia inter Phiſicum, & Metaphyſicum. 94
Differentia inter Theologum, & Canoniſtam. 90
Diogenis dicta. 64
Dignitas Medicorum æqualis Ducibus, & vicarijs ex legibus. 60
Dioptricæ, ac Meteoroſcopiæ conſideratio qualis. 121.122
Doctrinæ omnes connexionem habent. 177
Dominum, & Dominam ante alios non ſurgere turpe eſt ex Platone. 87
Domus cœleſtes planetis aſcribuntur. 232

E

Eccleſiaſtici verba de Medico. 56
Elementa arithmetica qualia. 101

Empirici nullam habent dignitatem. 16
Enarmonicè quomodo cantetur. 172
Ens metaphyſicum, mathem. & phyſicum. 93
Entium diuiſio. 93
Enthimematum inuentor. 227
Epopeia quid ſit. 232
Equiuocum, & vniuocum quid. 200
Ethicæ librorum ſummula. 206. vſque ad 259
Euclides qua methodo Geometriam tradat. 110
Exercitium iudicum criminalium quale. 46
Exempla de quæſtione facta per quid, & per an ſit. 181
Exempla, quibus monſtratur praxim Medicinæ non derogare dignitati Medicorum, ſed addere. 20. 21
Exemplo docetur quomodo Dęmones ſimul loquantur, & nobiſcum. 148
Exemplum progreſſionis Geometricæ. 104
Expoſitio cuiuſdam legis pro Medicorum dignitate. 53
Extrema neque vitia, neque virtutes ſunt. 209
Ezachiæ terminum vitæ Deus prorogauit. 40

F

FActiuum eſſe Medicum cur aliqui ſcribant. 45
Facultates, actionesque in corpore humano quales. 199
Fatum quid ſit, & an admittendum. 164
Fideicommiſſarijs à maioribus non poteſt fieri præiudicium. 30
Finis Medici ſanitas. 21
Fines planetarum in Domibus cęleſtibus. 133
Figuræ Geomantię. 157
Fœlicitas duplex. 206
Fœlicitas perperam intellecta à Miſingerio. 206. 207
Fœlix quis. 84
Forma à Medicis vocata melodia à Muſicis dicitur. 169

G.

GEnus dicendi triplex. 229
Genera canendi tria. 172
Genera præcipua cauſarum apud Rhetores tria, & qualia. 230
Geographia quid agat. 107
Geomantiæ ſuperſtitioſę conſideratio. 157
Geomantia malefica qualis. 145
Geometræ, Arithmetici, Aſtronomi, & Muſici conſideratio qualis. 98
Geometra mente concipit figuras, eaſque per materiales probat. 109

Geometra

Geometra non poteſt efficere ſcopum ſuum abſque Arithmetica. 112
Geometriæ conſideratio de vniuerſalibus eſt. 108
Geometrię in vſu conſideratio quali, & ex quibus. 111.112
Geometria ſpeculatiua quid ſit. 108
Geometria praecedit Aſtrologiam, & cur, ita aliaratione ei poſtponatur 24
Geometrica progreſſio qualis. 104
Gnomonicę artis conſideratio 118
Gnomonis viſus, quid ſit. 119.121

H

HAebrei habent quattuor ſenſus pro ſcripturæ intellectione, & eorum nomina. 92
Hębrei ſenſu ſcripturę ſacrę abutuntur. 91
Hębreorum errores circa ſacram ſcripturam. 92
Harmonica quid ſit. 170
Herbarum cognitio vtilis in medendo. 2
Hippocratis honores. 56
Hippotemuſa quid. 121
Hiſtoria Poeſi poſterior. 236
Hiſtoria quid ſit. 236
Hiſtoria ubi à Poetica differat. 236
Homini ſolùm, & Angelis ſcientia rerum conuenit. 18
Homerus quid de Medico dicat. 56
Homo dùm dormit nullius vtilitatis eſt. 82
Homo innocens nullo eget auxilio, ſi iudex iuſtus ſit. 39
Homo moribus Chriſtianis imbutus Philoſophus dici poteſt. 203
Homo nobilitat locum, non econtrà. 28
Homo poteſt abreuiare terminum vitę, non autem pręterire. 40
Homo in gubernando abſque philoſophia eſt rudis. 13
Homo ſibi ſapiens, aliјsque cùm prodeſſe nequeat, nihil ſapit. 2
Horę planetarię, æquinoctiales, Italicæ, & Boemicæ quales. 122
Horarij circuli quales, & quot ſint. 121
Horizon qualis. 128
Horoſpicium quid. 158
Horologia ſub tecto qualia. 119
Horologia ſcioteria. 119.120
Horologiorum ars vt acquiratur, quid opus ſit. 120
Humana Muſica qualis. 169.170
Humani corporis chyroſophica diuiſio. 145
Honores Medicis conceſſi. 57

Hydromantia quomodo contingat. 145
Hyperboleon, & Hypaton. 172

I

Ichnographię, orthographiæque architetonicæ definitio. 124
Idrographiæ conſideratio. 118
Ioannes Roncagalus tardò ſtuduit, & exitus. 78
Ioannes Picus deſeruit leges, ad cęteraſque artes incubuit, & cur. 63
Illuſiones Dęmonum qua via contingant. 146.147
Imitatio quot modis fieri poſſit. 232
Impar numerus quid. 100
Imperator Medicis contulit ſupremam dignitatem. 60
Inclinationi ex ſtellis ſolùm ſapientes reſiſtunt. 135
Inductio, & exemplum quid. 228
Inſtrumenta aſtronomica qualia. 122
Inſtrumentalis Muſica, Rithmica, Metrica, & Armonica quæ ſint. 170
Intentiones ſecundæ quales. 219
Iudices criminales mechanicis aſſiſtunt. 45.46
Iuris Canonici conditores Theologi ſunt. 190
Iuris ciuilis diuiſio vera. 113.114
Iuris diuiſionis iuriſtarum improbatio. 113
Iuris materia ad tria capita redigitur. 65
Iuriſprudentia abſque Logica intelligi poteſt, non autem Philoſophia. 23
Iuriſprudentia eſt empirica. 11
Iuriſprudentia neque ars, neque ſcientia eſt. 25
Iuriſpudentia Philoſophiæ actiuæ pars. 7
Iuriſpudentia triduo diſci poteſt de Ciceronis ſententia. 23
Iuriſpudentiæ falſa definitio, & vera. 7.71.73
Iuris ſcientia quando contingere poſſit. 26
Iuriſta abſque auctoritate loqui nequit. 10
Iuriſta à Platone puſillanimus vocatur. 9
Iuriſtæ de merda agunt, decem ſolidis. 48
Iuriſta non poteſt ſcire res diuinas. 9
Iuriſtarum cognitio in Canonicis legibus. 8
Iuriſtarum cognitio nulla eſt à Deo vſque ad centrum terræ. 11.71
Iuriſtarum aliquorum praui mores. 12
Iuriſtarum cognitio qualis. 7.17.18.65
Iuriſtarum patrocinium ſępè contra hominum vitam eſt. 40
Iuriſtarũ præcedentia à nemine deciſa eſt, qui cũ eã arripiãt indocti sũt. 28.31
Ius ciuile habet cauſam in natura. 7

Ius

Ius ex non ſcripto venit, quod uſus comprobauit. 30
Ius ſcriptum pro Medicis de pręcedentia. 30
Iuſtitia à ratione nihil patitur alienum. 10
Iuſtitia quid, 14

L

L*Apidem Philoſophorum extrahi non poſſe à re in qua non eſt.* 76
Laus quorundam Iuriſtarum. 12
Leçanomantia malefica. 146
Legem non habentes ſibi ipſis ſunt lex. 203
Legum duodecim tabularum origo à Gręcis Phil. 211
Leges ſcire non ſufficit, ſed eas obſeruare opus eſt. 203. 206
Legislator differt à legiſta. 11. 58
Legum libri omnes à Iuſtiniano editi. 113
Lex canonica unde emanet. 90
Lex iniuſta qualis, & quę iuſta. 14
Lex naturalis ſcripta eſt in cordibus hominum. 203
Libri omnes Ariſt. Philoſophię naturalis. 182
Librorum omnium Ariſtotelis ſummula, 184. *vſq; ad* 192
Linearum manus tractatio. 154. 155
Lis inter Philalethes, & eius Vicinum de palmo terrę ſeptem annos agitata. 50
Literarum cognitione nil dignius. 6
Lites à Iuriſtis multos annos agitantur, & cur. 49
Lites de ſeruitutibus quomodo tractentur. 49
Litium confuſores. 12
Littera occidit, ſpirituſque uiuificat. 89
Locus D. Auguſtini à Tiraq. perperam intellectus. 52
Locus Medico concedendus ex ſacris literis. 56
Locus primus à Iuriſtis occupatus derogat eorum dignitati. 28
Locus primus nullam confert dignitatem. 27
Logica duplex. 217. 210
Logicę artificialis inuentor Ariſt. fuit. 218
Logicæ definitionis examinatio. *ibidem*
Logicæ libri ab Ariſt. editi. 219
Logicę librorum Ariſt. ſummula. 220. *uſq. ad* 226
Logiſtica qualis. 101
Longitudo, & latitudo ſecundum coſmographos quid. 116

M

Magia antiquitus ſæpè honoratiſſima. 144
Magiæ definitio. 140
Magiæ naturalis à Io. Baptiſta Porta traditę ſummula. 166.167
Magiæ naturalis conſideratio. 163
Magiæ naturalis profeſſores, quorum opera quomodo fiant 143
Magiæ partes quot, & quales. 140
Magiæ ſuperſtitioſæ conſideratio. 102
magiæ omnium generum ſermo uniuerſalis. 139
magia malefica conſideratur in particulari. 144.145
magia naturalis ubi ſcripta ſit. 165
magia naturalis ut acquiratur. 164
magia unica eſt in ſe, cuius opera naturalia ſemper ſunt. 140
magi antiquiores an malefici fuiſſent. 143
magi naturalis quomodo differant à maleficis. 142
magi præſtigiatores interdum catoptrici, interdum chyroſophi. 165
magi qui adorarunt Chriſtum an eßent malefici. 142.143
magorum præſtigiatorum operationes. 165
maleficium hydromanticum. 145
manardus ſerò græcis literis ſtuduit. 78
manus partes, & earum nomina. 153.154
manuum lineæ quot, & qualis. 154
mathematicę conſideratio in uniuerſali. 97
mathematica media ſcientia. ibidem
mathematicarum diuiſio. 74.75
medici anteponuntur Iuriſtis ex legibus. 30.31
medici etſi diſcordes ad idem conſpirant. 36
medici Ducibus æquales. 60
medici honore cur non proſequantur, ut decet. 59.61
medicina donis honoranda ex Sacra Scriptura. 57
medicinæ uſus ex Dei uoluntate. 41
medicina, & philoſophia habent cauſas ſecretiores, quã iuriſprudentia. 23
medicinæ laus. 194
medicinæ partes. 195
medicinæ praxis non derogat dignitati Medici, ſed addit honorem. 20
medicinæ unaquęque par ubi tradatur. 195.196
medicina quid ſit. 194

Medicina tota ex quibus conſtet. 198
Medici Iuriſtis nobiliores, horumque Theologi nobiliſſimi. 62
Medici magnificantur apud Principes. 60
Medicina philoſophiæ pars. 75
Medici ſcopus, & finis. 197
Medici ſcientia omnium rerum eſt. 17. & à 66. vſq. ad 72. & 177
Medico licet phyſiognomonizare, & cur. 156
Medico quid opus ſit, ut finem conſequatur. 197. 198
Medicorum deffenſiones contra Iuriſtarum obiectiones. 32. uſque ad 40. & à 43. uſque ad 55.
Medicorum nobilitas aliquibus auctoritatibus probatur. 56
Medicos poſt religioſos eſſe honorandos. ibidem
Medicus à Deo promouetur ad Doctoratum. 22
Medicus eſt philoſophus. 5
Medicus herbarum cognitione eget. 2
Modicus Iuuenis optimus eſſe poteſt. 197
Medicus per cauſas, & rationes procedit. 18. 19
Medicus quomodo poſſit à morte ſe, alioſque liberare. 41
Medicus quattuor modis quærit de quauis re. 72
Medicus uenenorum cognitionem cur quærat 225
Memoria Iuriſtæ ſolùm egent 13
Melodia unde proueniat. 168
Meridianus qualis. 128
Meſon Tetracordi nomen. 172
Metaphyſicę conſideratio. 92
Metaphyſicorum librorum ſummula. 95. 96
Metaphyſicus quid agat, & eius ſubiectum quale. 93
Meteoroſcopiæ, ac Dioptricæ ſermo. 121. 122
Methodus triplex, qua res tractari poſſunt. 182. 183
Metrum non eſt de eſſentia Poeſis. 233. 236
Minutum in Arithmetica quid, & aliud phyſicale, 106
Mixtæ ſubſtantiæ diuiſio. 69
Monocordorum differentiæ. 172
Mores hominum corporis temperamentum ſequuntur. 70. 156
Moralis Philoſophia triplex. 201
Morbus quid. ibidem
Mors multiplex, harumque cui medicus proſit. 41. 42
Motibus contrarijs eadem ratio. 36
Motus ſphęrarum cęleſtium quot. 126

Moſis opera non magica. 144
Muſica conſtat ex diapente, diateſſeron, & diapaſon. 169
Munifices in Domibus Cæleſtibus in numina diuiduntur. 133
Muſicæ diuiſio. 75
Muſica quid ſit, & eius origo. 168.169.170
Muſica triplex, & eius utilitas. 169.170

N

NArratio litis de palmo terræ ſeptem annos agitata. 50
Natura corporalis obedit ſpirituali in motu. 147
Naturalis Philoſophiæ diuiſio. 183
Natura nihil boni, aut mali dat, ſed conſuetudo 82.218
Neceſſitas rebus ex ſtellis non eſt imponenda. 136
Neceſſitas rei non arguit nobilitatem. 38
Necromantia qualis. 146
Nemo iuſtus eſt coram Deo. 82
Nemo poteſt uicem gerere Iudicis, & partis. 28
Nemo rectè adminiſtrare poteſt Remp. abſque ethicis præceptis. 202
Nihil eſt, quin ſolicitudine perficiatur. 77
Nobilitas ex uirtutibus. 5
Nobilius eſt agere de uniuerſalibus, quàm de particularibus. 19
Nomantia ars, quomodo fiat. 159
Notarius non poteſt eſſe ſeruus. 47
Notiora natura, & nobis quæ ſint. 183
Numerorum differentiæ, quotque ſint. 99.102
Numerus par, impar, ſuperfluus, diminutus, & ſuperficialis quales ſint. 100
Numerus quid. 98
Numerus quadratus, & cubicus, & eorum radices. 105

O

OBſeruationes ſuperſtitioſæ, & licitæ quales. 160.161
Ocium multorum malorum cauſa. 176
Oeconomicorum librorum ſummula. 216
Officium Cauſidici Doctores non debent exercere. 62
Omnia creata Dei iuſſu poſsunt iuſtitiam facere 25
Omnia natura creata ad corpus naturale redigi poſsunt. 179
Omnia ſuum tempus habent. 81

Omnis medela à Deo. 41
Omnis homo etſi Idiota poteſt eſſe prudens. 25
Opera Dæmonum cur admiranda uideantur, cùm ſint naturalia. 141
Opera magorum maleficorum qua uia efficiantur. 142
Optica Geometriæ ſubalternata eſt. 115
Optica quid ſit, & eius mirabiles operationes. 113
Optio quid apud Iuriſtas. 52
Opus Agricolæ inter cætera neceſſarium. 38
Opus elencorum non ad ludum ſcriptum fuit. 225
Orator differt à Rhetore, & quomodo res ſuas agat. 229.131
Orator qua methodo in efficiendo orationem utatur 231
Orator ut optimus euadat. ibid.
Ordo in legibus non debet ſpectari. 42
Ordo, quo uſus eſt Ariſtoteles in tradenda philoſophia. 183
Oratio ad Iudices contra maleficos. 146

P

PArabolanorum expoſitio uana Accurſij, & quid Parabola ſit. 54.55
Paralellus quid. 117
Particularium ſcientia non eſt. 18
Paulus Apoſtolus habuit intuitiuam cognitionem de Deo. 35
Petrus Lombardus ſerò ſtuduit 78. eiuſque librorum ſummula. 86.87
Phantaſtica corpora qua uia à Dæm. fabricentur. 147.149
Philalethis lis habita cum uicino. 50
Philalethis locus deſcriptus 3. quomodo inuentus fuerit. 83
Philoſophia eſt omnium cognitio 66. quæ omnes continet doctrinas 73. eiuſq; diuiſio. 74.75
Philoſophia nil præſtantius. 19
Philoſophiæ naturalis ſummula. 184. vſq. ad 192
Philoſophi cur ſpernantur ab ignaris. 63
Philoſophica decreta ſatis eſſent ad rectè uiuendum. 211
Philoſophiæ naturalis ſermo 178. eiuſque artificijs conſideratio. 179.180
Philoſophi primum iuriſprudentes ſecundum habebāt locum in Repub. Romana. 30
Philoſophus omnia profitetur 13. qui per cauſas, & rationes procedit 16. & de omnibus agit. 66
Phyſiognomonica in quibus rebus exerceri poſſit, & quid ſit. 156.157
Phyſiognomonica quibus liceat. 155

Planetæ exaltantur,& modo deijciuntur. 133
Planetarum Theoricæ quales,& quid in eis. 130
Platonis verba contra Iuriſtas. 9
Poemata à Platone improbata qualia ſint. 235
Poeſis in homine triplici modo,& quis eam ſequi debeat 234
Poeta optimus ut fiat,quid. 233
Poeſis quid,& eius eſſentia, & origo. 232.233
Poetarum ſcripta ſępè utilia. 234
Politicæ tractatio quid habeat. 210
Politicorum librorum ſummula. 215.216
Pontifices Medici,& Reges. 58
Potus ſobrius ſanitas animę,& corporis. 66
Præcedentia Medicis antiquitus data fuit ſupra Iuriſtas. 29
Pręclara difficiliora,& cur. 16
Prædicabilium liber Porphyrij quid agat. 221
Prædicendi modus in reuolutionibus nati,& annorum mundi. 137
Præparatio chimica quid,& quomodo fiat. 167.168
Præſtigiatores Magi quales. 165
Praxis Medicinę addit dignitatem Medico. 26
Progreſſio in Arithmetica,& Geometria quid,harumque exempla. 103.104
Prophetarum admiranda Dei virtute,non Cabalæ ui. 163
Proportionalitas,& proportio quid in omni genere. 99.111
Prudentia quid. 26
Pſelli opinio reiecta de Dęmonibus. 147
Punctus quid,qui cauſat omnem magnitudinem. 108.109
Pyromantia quomodo efficiatur. 145

Q.

QVa conditione homini terminus uitæ ſit aſſignatus. 40
Quadruuium mathematicum qua ratione ſit conſtitutum. 37
Quale genus hominum à Iuriſtis deffendatur à morte, & quale à Medicis. 39
Quæſtiones Medicorum licitæ ſunt,& cur. 35
Quæſtiones mechanicæ Iuriſtarum. 48
Quies à morte dabitur longiſſima. 176
Quidquid eſt uel ſubſtantia,vel accidens eſt. 66

R

Radij in optica quales, & quot. 115
Radix quadrata, & cubica qualis. 105
Rationalis philoſophiæ diuiſio. 75
Rationes probantes corporalia naturaliter moueri à Dæmonibus. 150.151
Rationes probantes Medicum Iuriſta eſſe nobiliorem. 16.23
Reges, ac Pontifices, qui Medici fuerunt. 58
Regnum Dei, & eius iuſtitia prius quærenda. 87
Reos deffendere iniuſtum eſt. 39
Res diuinæ cur ſub Methaphora ſcriptæ. 91
Res naturales, & non naturales in Medicina contra naturam quales, & quot ſint. 42.198.199.200
Reſponſiones pro Medicis ad obiectiones Aduerſariorum. 32. uſque ad 40. & à 43. vſque ad 55.
Res primæ quales. 19
Res, quę propter ſe expetenda eſt, nobilior eſt altera. 38
Rerum diuiſio. 66.180
Rerum conſideratio quattuor modis à medico fit 72
Rerum omnium cognitio ad Medicum attinet. 66. vſque ad 72
Reuolutio annorum mundi, nati, & ciuitatum quid. 157
Rex nullus admittebatur ad Regni dignitatem, niſi Magia imbutus. 144
Rhetoricæ inuentor. 227
Rhetorica quid, & quomodo concordet cum logica. 226.227
Rhetoris genera, quibus ipſe loqui poteſt. 230
Romani nunquam abſque Medicina uixerunt. 195

S

Sacerdotes ſuper omnes honorandos eſſe. 59
Sacræ Scripturæ uerba de Medicinę laudibus. 58
Sacri textus à Iuriſtis ſolùm quo ad litteram exponuntur. 8
Sancti Doctoris uerba in approbanda Aſtrologia 135
Sanitas maximè diuinum. 21
Sapiens ſibi, & non alijs nihil ſapit. 2
Saptientiæ initium timor Domini 88
Senſus Sacræ Scripturæ quattuor, qui cum in aliquo ſenſu litterali fundamētū non habeant repudiantur. 89.91

Scenographica quid ſit, ac eius Artificis operationum exempla. 115
Scientia explicatur etiam nomine artis. 19
Scientia nulla particularis probat ſua principia. 109
Scientia omnium quomodo haberi poſſit. 176. 177
Scientia rerum ſolùm homini, & Angelis conceſsa eſt. 18
Scientia tribus modis altera nobilior eſt. 24
Scire quomodo contingat. 95
Scripturæ Sacræ diuiſio. 90. 91
Sententia nulla adeſt pro Iuriſtarum præcedentia. 28
Seruius Sulpitius Iuriſprudentiam Senili ętatę didicit, & cur. 78
Sigilla malefica. 138
Signorum Cęleſtium diuiſio, & ſignificata. 133
Similares, & diſſimilares partes quales. 190
Simon Samaræus Magus. 145
Sibi ipſi nemo Iudex eſse poteſt. 38
Socrates iam ſenex Muſicis inſtrumentis operam dedit. 77
Solidus numerus qualis. 100
Solſtitium æſtiuale, & hyemale. 129
Somniorum obſeruationes. 161
Somnus multus malus eſt. 82
Sortilegium quid, & quomodo fiat. 158
Speculatione Medicus ſemper vtitur in medendo. 20
Speculatiuæ ſcientiæ pręcedunt actiuas. 22. 23
Specula Catoptrici qualia. 114
Sphæræ librorum ſummula. 129. 130
Sphæræ tractatus. 126
Spiritus tres in corpore humano, & eorum generatio. 199
Statuarius nobilior eſt ſtatua. 24
Subſtantiæ diuiſio uniuerſalis, & particularis. 66. 68. 69 70. 71
Subſtantia quid ſit. 66
Summula omnium librorum Ariſtotelis. 184. vſque ad 192
Syllogiſmorum genera tria. 222
Syllogiſmus quid ſit. 222. 224
Symptoma quid ſit. 201
Synemmenon quid 172

Tabulæ

T

TAbulæ decem legum Romanorum à Græcis Philoſophis datæ fuerunt 211
Tabula eclipſium, coniunctionum, aſpectumque Planetarum vbi. 107
Talmudiſtæ quales erant. 162
Tempore nil precioſius. 176
Tempus elapſum acquiri non poteſt. 176
Theologiæ diuiſio in plures partes, & earum conſideratio. 74.84.85.86.88
Theologia cur ante alias ſcientias tractetur. 84
Theologia eſt neceſſaria viro erudito. 37
Theologia omnibus non conuenit. 87
Theologiæ ſcholaſticæ ſummula. 86
Theologiæ ſpecies non differunt re. 88
Theologi intelligunt leges canonicas quoad quid eſt. 8
Theologi, Philoſophi, Medicique vtriuſque iuris Doctores præcedunt. 22.23
Theologi præcedunt Medicos, ac Iuriſtas. 62
Theorema quid. 110
Thomæ Gianini laus. 68
Tiraquelli obiectiones contra Medicos, & earum ſolutiones. 32. vſque ad 40. & à 43. vſque ad 55
Tiraquellus ſubtiliori modo, quàm cæteri in Medicos ſcripſit. 32
Tonus componitur ex epotame, & ſemitonio. 174
Tonus omnem conſonantiam producit. 171
Tonus quid, eiuſque diuiſio. 173.174
Topographia quid ſit. 118
Tractatuum totius Logicæ ſummula. à 220. vſque ad 226
Tria, quibus citò homo ducitur ad magnam eruditionem. 79
Tropicus æſtiualis, & hyemalis. 129
Tropologicus ſiue moralis ſenſus. 89

V

VErba Decretorum pro Medicorum honore. 52
Verticalis circulus qualis. 121
Vicarij, & Duces Medicis æquales. 60
Viles ſpeculationes Iuriſtarum. 48
Virgilij locus de Medico declaratus. 101
Virtus eſt æqualitas, & tenor vitæ. 6
Virtus ſola nobilitat. 5
Virtutum, vitiorumque cognitio multi facit ad Rerumpub. regimen 33
Vitæ initium, & finis quo ſit temperamento. 41

Vitruuij librorum ſummula. 124.125
Vnum non eſt numerus. 102

Z

Zabarellæ contradictio, & eius improbatio. 219
Zenit quid ſit. 117
Zodiaci conſideratio. 128
Zodiacus eſt pars octauæ ſphæræ. 129
Zodiaci diuiſio, & ſignorum nomina cum characteribus. 133

FINIS.

Errata ſic corrigito.

Pag.	lin.			Pag.	lin.		
3	12	mundū legito	nundum	44	18	praxim	praxi
4	21	eſſe	eſſem	55	1	dici	diſci
5	13	ob e iſti	obieciſti	59	36	iſtud	Ca. iſtud.
8	21	ſenſu,mcum	ſenſum,cum	73	32	prædictus	præditus
11	vlti.	Budęi	Ph. Budęi.	76	36	ſcitis	ſcito
12	1	Vulpiani	Vlpiani	78	29	eddidit	edidit
13	18	Philoſephiam	Philoſophiam	92	25	ananogicus	anagogicus
14	14	earum	eius	93	31	aſſertur	aſſeritur
17	26	agant	agunt	103	16	2, .	2. 5.
22	14	ac ipitur	accipitur	164	12	contratia	contraria
28	23	varia	vana	167	2	quadrupedis	quadrupedibꝰ
29	9	ilicubi	alicubi	176	14	ανδες	ανθες
33	8	neganimus	negationis	186	24	mentionum	mentionem
35	14	omeus	omnes	190	11	patet	partes
35	32	inconueneis	inconueniens	193	17	ſit	fit
36	6	in illaudabilis	illaudabilis	197	4	quūd	quòd
37	2	poteſt	poteſt eſſe	197	7	Scareni	Scarani
39	10	ex	eſt	200	2	verſatum	verſatus
40	6	hominem	hominum	208	17	percurrere	percurre
42	36	Valleriocolā	Valleriolam	216	14	horum	harum
44	17	Theriaca	Theorica	Nouizanius.		Neuizanus vbique	

Typographus Lectori.

Erat quoque (lector ſtudioſe) vnà cum Opere hoc Appendix quædam imprimenda, niſi ab Auctore ſerò data fuiſſet: multum enim temporis ſpatium Venetijs requiri ſolet, vt cuiuslibet operis typis mandandi licentia habeatur. Quare præſens à quampluribus iamdiu exoptatum pro nunc in lucem edere ſatius fore existimaui, omni interea ſtudio incumbens, vt Appendix curioſitate, ac præſtantia huic minimè poſtponenda quamprimum exeat. Vale.

GLi Eccel. Signori Capi dell'Illuſtriſs. Conſ. di X. infraſcritti hauuta fede dalli Signori Reformatori del Studio di Padoua per relation delli doi à ciò deputati, cioè del Reuerendo Padre Inquiſitore, & del Circ. Secretario del Senato Lorenzo Maſſa, che nel Libro de Nobilitate Medici di Domino Hippolito Obici Ferrareſe non ſi troua coſa contra le leggi, & è degno di ſtampa; concedono licentia, che poſſi eſſer ſtampato in queſta Città.

Dat. die 15. Octob. 1604.

D. Nicolò Querini, D. Gieronimo Iuſtinian, D. Lorenzo Capello.	Capi dell'Illuſtriſſimo Conſ. di X.

Illuſtriſsimi Conſ. X. Secretarius
Leonardus Otthobonus.

DE NOBILITATE MEDICI DIALOGVS PRIMVS.

Hippolyti Obicij Medici, & Philoſophi.

In quo rationibus, exemplis, grauiſſimorumq; virorum auctoritatibus, tum ſacræ ſcripturæ, ac vtriuſque iuris comprobatur Iuriſperito Medicum eſſe nobiliorem, quem de omnibus rebus diuinis, humaniſq; agere poſſe cùm quacunq; ſcientia, ac arte ſic ornatus, demonſtratur, omniumq; doctrinarum diuiſio traditur.

Calophilus. Philalethes.

Ca. MAXIMO laborioſarum actionum incommodo, immaniumq; ferarum aſpectu diu, noctuq; in ſylueſtribus, horridiſq; locis exagitatus me tandem portum tutum ingreſſum fuiſſe videre videor, cùm colles amęniſſimi, ſenexq; recentes herbulas colligens ſecuritatis indicium mihi præbeant. O ſumme Deus, quippè qui te purè inuocantes numquam deſtituis, permultas tibi habeo gratias.

Ph. Quid? forſitan humana vox ea eſt, quam inter hos colles reſonantem audio? Heus ò bone Ieſu hominem video.

Ca. Sit fœlix huius diei exortus venerande ſenex.

Ph. Nec tibi ſit infęlix mi amice; quo vadis miſer ita ſolus per hæc ſylueſtria loca, quæ ſolùm immites habitant Beſtiæ, porrò tibi fortuna fauit, quia ſi horrendam ingrediebaris ſyluam, infœlix inter Vrſos, Tigres, aliaſq; crudeles feras incidiſſes, è quarum immanitate homo regredi nequit.

Ca. Nec à vero abes, quandoquidem quibuſdam in luſtris adeo monſtruoſas fui intuitus feras, quarum ſolo aſpectu me peſſima morte interiturum fore veritus fui: quare omnium benigniſſimum conditorem magno mihi fuiſſe ſub ſidio haud ignoro, cui gratias ago immortales, agamq; dum viuam, ſed tu vir optime quorſum tendis ita lætus per hos delectabiles, amœnoſq; colles? forſan fruendi gratia dulci; ac iucundo Zephyro, aut potius ad has varias, diuerſasq; recentes colligendas herbulas?

Ph. Profectò me hùc duxi, vt tam varias, tamque diuerſas herbulas delectatione decerperem, magnum enim ex his pro humana uita tuenda, ac à varijs incommodis ſeiungenda elicitur emolumentum: quarum abſque cognitione Medicus cùm ab Vrbe abſit, mederi nequit; quippè quem cùm earum cognitio lateat, licet illarum virtutes non ignoret, pedibuſq; ipſas comprimet: attamen tunc inanis eius ſcientia eſt; ideo etſi ubi Pharmacopolæ optimus, frugiq; fuerit Medicus, cùm ab his abfuerit medicaminibus uti minime ualebit: unde inſcius iure dici poterit; ut enim Ciceronis fuit ſententia. *Qui ſibi ſapiens prodeſſe nequit, ne quidquam ſapit.* Quare, ut ſcias, uitam in his Montibus duco ſalitariam, ut quæ in terra, quæ in Cœlis hominibus admirãda uidentur, commodulè contemplari poſſim: horum enim medio ad ſummi boni cognitionem ducimur; quod ſcripſit D. Paulus dicens. *Inuiſibilia Dei ex creatura Mundi intellecta per ea, quæ facta ſunt, conſpiciuntur.* Sed dic quæ occaſio ad has ſyluas, hosque Montes te contulit? iam ſanè ſeptem elapſi ſunt anni, quod hìc hominem non uidi.

Abſque cognitione herbarum Medicus mederi nequit.

Li. 7. epiſt. fam. Epiſt. 6.

Ad Rom. c. 1.

Ca. An bona, ſiuè mala ſors fuerit, neſcio: quia nolens hùc ueni, tota namque erraui uia, iſtiuſq; cauſa iactura fuit, quam heri mei famuli quibuſdam in Montibus feci; præenim ibat, eumque ſequebar, ille uelociter, ego tàmen lento pede iter proſequendo, cauſa fuit, ut ipſius iacturam fecerim; hic per hos locos me ducebat, ueluti talis itineris peritus: quare temerè iter flexi; caſu igitur, & fortuna ſiuè bona ſiue mala adſum: non delectu.

Ph. Amice quidquid pura mente fit, ſæpè Dei uoluntate cõtingit, ſed quæſo dic, unde ueniebas, ac tui mihi non celato nomen.

Ca. Bononia, vbi legibus ſtudebam, atque ad Patriam ibam, & vt petitioni obtemperem, calophilus vocor.

Ph. Calophile tuo lætor nomine, cùm quaſi te honeſti ama torem eſſe oſtendat.

Ca. Forſan.

Ph. Ideo læto animo adeſto, etenim portum es ingreſſus. ad meam Domunculam te ducam, ibiq; hac nocte permanebis, deinde polliceor te ad rectam transferre viam, & ſic tutò iter proſequi poteris; eamus igitur halacriter, quia non procul hinc adeſt habitatio; vbi locũ à natura productum circumſpicies amœniſſimum, quippè quòd eidem ornatu çqualem mundum vidiſti.

Ca. Tecum libẽter adero, poſtquam adeo benignè me oſpitari vis, interim quomodo voceris, ſi lubet, dic.

Ph. Philalethes nominor.

Ca. O ſanctum nomen, veri amatorem, ni fallor, indicans.

Ph. Prorſus; ſed quod cernis, animaduerte, quia noſtrum Hoſpitium, vel potius Tugurium eſt.

Ca. Illud perpendo. Ehem, quid nunc aſpicio? Mundi delicias, vel fortè terreſtrem Paradiſum? ò quàm lautus, ac amœnus, ò quàm pulcher, omniq. elegantia decoratus eſt hic locus: hìc vmbræ, hìc colles, hìc fontes apparent, è quibus tam dulciter limpida emanat aqua, vt homines ad ſe refrigerandos, ac in his quieſcendos inuitare videantur; etenim ab his tam delectabiles oriuntur Riui cum tot piſcium copia, ac varietate; quòd reuera mirũ inſpicienti eſt. *Calop. miratur loci pulchritudinem.*

Ph. Quid de aeris clementia ais? ſemper hic locus, vt vides temperatus eſt.

Ca. Munus ſanè magnum eidem à Cęlo eſt datum.

Ph. Cerne ſyluam, eamque conſiderato: de qua nihil ais.

Ca. Eam miro ordine inſertam, ac digeſtam perpendo, nec tam præclarum opus ab arte fieri poſſe ſcio; vbi Platani Larices, Cupreſſi, Iuniperi, Mirti, atque aliæ tam delicioſæ reperiuntur Arbores, variæque fructuum ſpecies noſtris oculis obijciuntur; vt diuina potius, quàm humana hæc mihi videantur: ſed tot Lepores, Capreoli, Cerui, aliaq; pauida vbique conſpiciuntur Animalia, quibus animi gratia inſidias tendere potes; totque dulces Auium cantus percipiuntur, qui ad hìc habitandum quadam venuſtate pere-

grinos hortantur, profectò fęlix es, ſi homo in hoc terrarum orbe fœlicitate frui poteſt. hic locus ſic me delectat vbi tecum diù manere cupio, quo adeo lætatus fui, vt omiſſa triſtitia iam animus meus iucunditate affectus ſit: & miror, cur iſtius tanta contingat mutatio; nam, vt videmus, trans apricũ illum collem locus inuenitur crudeliũ ferarũ habitatio. infernus quidẽ, vel ei ſimilis: hic tamen quaſi Paradiſus dici poterit: ac verè cõtigua hæc loca ſunt, nec quæ trans collem habitant Beſtiæ, ipſum tranſgredi queunt.

Ph. Hæc naturę admiranda ſunt, priuatimque in Montibus talia ſæpè accidere ſolent; nè interdum obſeruaſti eodem in Monte eadem hora ſolem, grandinemq;? itidem Zephyrum, Boreamq; flare? nec non & frigus, æſtiuumq; calorẽ ſimul dominari? hęc tamen ex loci natura ob ſituum varietatem contingunt.

Ca. Sanè res hoc modo intelligenda eſt: hic tamen locus cęterorum eſt amœniſſimus.

Ph. Si hoc frui tibi libet, quod meum eſt, vtrique noſtri commune erit.

Ca. Gratias refero de tua in me beneuolentia, ac amore, nec vereor mihi pergratum fore, ſi diù tecum eſſe; verùm, vt quid exopto conſequi valeam, coactus, citò hinc diſcedam.

Ph. Quid exoptas.

Ca. Sapientes imitari lucubrationibus, varijſq; laboribus literarum cognitionem adipiſcendo.

Ph. Iſtud fieri ſolet libros legendo, ac præceptores audiendo, quæ omnia hic minimè deſunt.

Ca. Gratum ſi quidem tale conuiuium mihi eſt. dic quæſo, nè legum libros tenes?

Ph. Ita, ſed paucos, nihilominus cæterarum diſciplinarum multis exubero.

Ca. Legum libris tantummodo, ac inſtitutore indigeo: cæteros tibi relinquo?

Ph. Cur ſic loqueris Calophile?

Ca. Quia legum ſciẽtiam ſolùm quęro, vt finem exoptatum conſequar.

Ph. Quem finem.

Ca. Legũ ſcientia exornari finis, ac intẽtio mea ſemper fuit.

Ph. Cur te priuatim hac ſcientia decorari cupis?

Ca. Propter honeſtum.

Ph. Quid eſt honeſtum?

Ca. Animum virtutibus abſque lucri auiditate cohoneſtare.

Ph. Hæc quaſi Platonis eſt definitio. *Honeſtum*, inquit, *eſt cui turpe non eſt mixtum;* etſi Ariſt. dixerit. *Honeſtum eſt, quod per ſe eligendum cum ſit, laudabile ſit.* Si igitur adeo honeſta hæc tua fuit intentio, cur Philoſophorum, Medicorũ, ac Theologorum theſauros, ne dicam libros, ſpernis? in quibus tot, ac tanta arcana inueniuntur?

In Protagora li. 1. de Rhet q. c. 20. qui ſit honeſtum.

Ca. Quia ad ea, quæ mihi propoſui adipiſcenda nihil conducunt.

Ph. Quid tibi obie iſti?

Ca. Nobilitatem, virtutem, & demum fœlicitatem nanciſci, & vt apertius rem capias, iam anno elapſo ad legum ſtudia incumbere incępi, vt Domum, proſapiamq; meam maiori, quo potuiſſem honore afficerem, meque eximia nobilitate condecorarem: non enim ſatis eſſe duxi me è nobili natum fuiſſe progenie; quia vt ſæpè à ſapientibus audiui, nobilem, & ſplendidum non maiorum nobilitas, ſed animi virtus efficere ſolet.

Maiorum nobilitas non efficit nobilem.

Ph. Chryſoſtomi ſancti, ac Theopompi hæc fuit ſententia.

Ca. Quare, vt delectui exoluerem, diu excogitaui, an legum ſtudijs, aut Philoſophiæ, Medicinæq;, aut potius Theologiæ dogmatibus operam nauarem: verùm cum Philoſophos deluſos eſſe, Medicos minori dignitate conſtitutos: Theologiamq; ad Viros ſacros attinere conſideraſſem: legum ſcientiam ſequi, vti rerum omnium imperatricem malui; quippe me omnia hac via ſcire poſſe arbitratus fui; quid enim eſt Iuriſprudentia? niſi rerum diuinarum, ac humanarum notitia, iuſti, atque iniuſti ſcientia: quare cum certior factus fuiſſem in hac facultate omniũ rerum ſcientiam haberi poſſe, cæterarum diſciplinarum cognitionem inanem fore haud veritus fui: præterea à Iuriſperitis omnia gubernari, ſummamq; apud Principes obtineri dignitatem optimè agnoui: Hinc tales homines, honorabiliores, ac Philoſophis, Medicisq; ſapientiores eſſe exiſtimaui: Theologiæ tamen ſublimiorem locum deberi non nego; hæc tamen ad ſacra miniſtrantes, non ad nos, pertinet.

Cur Caloph. legibus, nõ alijs doctrinis ſtuduerit.

Nil dignius homini, quã literarum cognitio.

Ph. Planè honeſta fuit intentio finisq; optimus: cum propter honeſtum literarum ſcientiam ſequendam tibi propoſueris; quia nulla res eſt, quæ maiorem homini gloriam, ac dignitatem ſit allatura, quam literarum cognitio, ac virtus. hæc eſt, quæ homini conſona eſt, ſine qua homo numquam perfectus eſſe poteſt; de qua loquens Seneca ad Lucillum, dixit. *Virtus perfecta, quæ eſt æqualitas, ac tenor uitæ per omnia conſonans in nobis ineſſe non poteſt, niſi ſcientia, arsq; contingat, per quam humana, ac diuina noſcamus.* magnam ſanè expectationem de te tua indoles mihi pollicetur, ſed ne iter fruſtra ſequaris (quoniam ad falſam proculdubio flexiſti viã, dum Iuriſprudentiæ notitia omnia ſcire poſſe humana, nempe, ac diuina cogitabas) opus eſt, vt aliquibus rationibus, exemplis, ac auctoritatibus ab indirecta via te amoueam, atque hoc modo quidquid in te obſcurum erit patefaciam, ac ab oculis tuis caliginem diſcutiam. tua equidem me impellit calamitas ad flectum, in magnum enim errorem lapſus fuiſti.

Ca. Heù quid ais? in quem errorem?

Ph. Dicam, prolixo tamen ſermone id fieri neceſſe eſt, cum permulta ſint dicẽda, antequam vera capias: ideo primum ſub hac opaca quieſcamus vmbra, ac alimentũ noſtris corporibus præbeamus, vt viribus refocilatis robuſtiori virtute gratum colloquium amplecti valeamus. mecum panem teneo cum quo ſuaues, iucundosq; fructus comedemus, limpidamq; fontis bibemus aquam: quo facto optatum ſermonem exordiemur.

Ca. Penitùs ita cenſeo, quandoquidem virtutis robur ob nocturnum itineris laborem, vigiliasq; noctu paſſas pluris languidum eſt factum; quæ igitur ais, faciamus, exinde ad noſtrum inſtitutum proficiſcemur.

Ph. Panem igitur accipe, ac ſic concordes optimis fructibus veſci incipiamus.

Ca. Profectò cæteris iucũdiores, guſtuiq; ſuauiores vidẽtur.

Ph. His ergo ſilentio, vt decet, veſcamur.

Ca. In nomine Domini ſic nos geramus.

Ca. Cum iam grato alimento noſtris corporibus robur additum ſit, tempus videtur, vt meum errorem aperias; ſi, vt putas, error eſt.

Ph. Optimè Calophile, quia ſub hac vmbra tractare conſulto erit; quare ſcito, quod magnus error, inaneq; conſilium fuit legum ſtudio omnia adiſcere poſſe exiſtimare, nempe humana, ac diuina: iſtud namque à vero abeſſe monſtrabo; quandoquidem Iuriſprudentia Philoſophiæ pars minima eſt, ac ex ea, quæ non contemplatiua, ſed actiua appellata fuit; quippe quæ inferior contemplatiua eſt: idque tui Iuriſtæ confirmarunt, ac priuatim Miſingerius dicens, quod maior pars Iuris ciuilis eſt moralis Philoſophia; in legibus enim, vt ipſe ait, agitur de morum correctione, ac de hominum reliquis actionibus, de quibus in morali Philoſophia. itidem ait. *Totum ius ciuile habet cauſam in natura poſitam per omnes ſanctiones*. Si igitur Iuriſprudentia à Philoſophia deducta fuit, reuera eidem allata definitio non competit, nempe Iuriſprudentia eſt rerum diuinarum, ac humanarum notitia, iuſti, atque iniuſti ſcientia: quia ſi abſolutè hæc verba intelligantur, proculdubio falſa ſunt; hocque oſtendit Budęus, dum reprehendit Accurſium, dicens quod verba illius definitionis craſſa intellexit minerua; ideo melius ſcriptum fuit ex Auctoritate Celſi in libris Digeſtorum, vbi legitur. *Ius eſt ars boni & æqui*, & inferius *boni, & æqui notitiam profitemur, æquum ab iniquo ſeparantes, & licitum ab illicito diſcernentes*: vel ſi maluiſſent propoſitionem primam ſequi, non multum à veritate abfuiſſent, ſi dixiſſent. Iuriſprudentia eſt rerum diuinarum, & humanarum inter homines, externis ritibus tractandarum notitia, cuius medio iuſti, ac iniuſti habetur cognitio, non ſcientia; quia Iuriſtæ non habent ſcientiam, vt intelliges; Hæc igitur aptior fuiſſet deſcriptio, quoniam Iuriſprudentes id ſolummodo ſciunt, quod legum conditor iubet, ſiue ſit Imperator, ſiue Natura, Populus, aut Princeps: Quare de ipſis legibus nullam habent rationem, quam ſine dubio minime quærunt, ex quo ſequitur, quod tantummodo ipſarum legum interpretes, ac executores ſint. hinc patet, quod illorum finis ad opus tendit, non ad ſpeculationem: è qua fœlicitas cum nobilitate emanat; ideo cum de particularibus ſemper agant,

Iuriſprudentia eſt. Philoſ. pars. Super Inſt. ciuil. § Iuriſprudentia. In tit. 2. de iure ciuil. & gen.

In l. 1. annot. Pand. L. 1. iuri operam. ff. de iuſt. & iure.

Iuriſprudentiæ condecens definitio. Quæ legũ cõditor iubet, ſolum Iuriſtæ ſciunt.

ſcientiam minime habent,particularium enim ſciētia non eſt, vt ait Ariſt.

1. Poſter.

Ca. Niſi in ciuilibus, ſaltim in Canonicis legibus ſcientia ſpeculatiua haberi poteſt, itidem fœlicitas, ac nobilitas: quia ibi de Deo,diuiniſq; rebus agitur,ideo caue,ne temerè verba facias;quia Iuriſtæ vbique honore ſemper habiti fuere.

Iuriſtæ à canonico iure nō habent cognitionem de diuinis.

Ph. Tu caue Calophile,ne decipiaris; quia Iuriſtæ è canonicis legibus nec de Deo, nec de rebus diuinis cognitionem habent:etenim ad Iuriſcanonici peritos non attinet intelligere, nec intelligunt niſi Canones ad cauſas fori extrinſeci ſpectantes.

Ca. Cur id?

Diuiſio iuris canonici.

Ph. Quia cum corpus Iuris Canonici tribus partibus diuidatur, quidam Canones ex ſacris deſumpti ſunt literis, atque ex Conciliorum decretis: vt ſunt ea, quæ circa fidem,ac ſacramenta verſantur;iſtique ad Theologos ſpectant, non ad Iuriſtas.

Ca. Equidem. ſed ne Iuriſtæ ipſi etiam hos canones ſcire poſſunt?

Iuriſtæ ſacros textus quoad literā ſolum intelligunt, & cur.

Ph. Poſſunt. id tamen contingeret quoad literam,non quoad ſenſu,m cum Theologiæ, ac Philoſophiæ terminis careant: ideo nec ſenſum, nec rationem intelligere poſſunt: verum Theologi, cum Philoſophi ſint, de ipſis tractant, quaſi quid eſt, rationem ſæpè inueniendo, ſæpè inquam, quia in omnibus fidei cauſa,& ratio non ſemper reperitur, cum aliqua in noſtra fide inueniantur,quæ naturali ratione monſtrari nequeunt;vt verbi incarnatio,aliaq; multa, quibus fidem opem ferre neceſſum eſt, attamen pro maiori parte Theologi rei rationem inueniunt, cui Iuriſtæ numquam incumbunt, cum ipſis ſatis ſit, vt, quæ lex iubet, intelligant.

Iuriſtæ rerū rationi nō ſtudēt.

Ca. Id concedi poteſt; ideo Iuris Canonici prælibatam diuiſionem proſequere,quia,vt res ſit,adhuc ignoro.

Secunda pars iuris canonici.

Ph. Attentè audi,& nihil obſcurum erit. Alij igitur ſunt Canones, in quibus quædam habentur cæremonialia, de quibus nihil ad Iuriſtas, verùm ad Theologos, ſacraq; miniſtrantes res ſpectat;hæc enim circa ſacrarū rerum adminiſtrationem in Dei ſacrificijs accommodantur.

Ca. Cum ita ſit,iuriſtæ minime intereſt hæc tractare.

Ter-

Ph. Tertiam partem igitur perpendamus, in qua haberi ſolent quædam regulæ ad lites eccleſiaſticas decidendas; ac hæ regulæ vtplurimum in iure ciuili habent fundamentũ: hæcque poſtrema pars ea eſt, de qua Iuriſtæ agunt; vbi nihil de Deo, aut rebus diuinis habetur, quod idem Miſingerius affirmauit, dùm, quomodo Iuriſprudentia ſit rerum diuinarum notitia, declarauit, dicens, quod non quatenus Euangelium nobis notitiam rerum diuinarum præbet, ſed quatenus inter homines res diuinæ externis ritib. tractãtur.

Pars tertia iuris canonici ad iuriſtas ſpectans. In inſt. ciuil. §. iuriſprudẽtia.

Ca. Igitur vltra hos limites Iuriſta nequit ſtudere, ac res diuinas, vt alij ſcire?

Ph. Minime, ſi purus ſit Iuriſta Logica, ac Philoſophia orbatus; quia hoc modo conſtitutus termini eidem deſunt, quorum medio res, earumq; rationes ſciri poſſunt: quapropter de illis rebus eam cognitionem habere poteſt, qualis cõceſſa eſt puro grãmatico, qui tales canones legeret; ideo ſicuti purus grãmaticus ſenſum, & rationem ignorat, quia terminis principijſque Theologiæ caret, ita de Iuriſta dicendum: ideo tota dignitas Theologorum eſt, qui ſubtiliori modo ea omnia ſcrutantur.

Cur iuriſta res diuinas intelligere non poteſt.

Dignitas iuris canonici ad Theologos

Ca. Igitur abſque Logica, ac Philoſophia res diuinæ intelligi nequeunt?

Ph. Cur ambigis? ſi D. Thomas hoc idem dixerit, nempe quod abſque Logica, ac Philoſophia intellectus humanus ob ſui imbecillitatẽ diuinas res minime intelligere valet. quare cum Iuriſtæ Logica, atque Philoſophia careant, nedum res diuinas, verum nec humanas intelligere poſſunt, cum cauſas earum ignorent; iſtudq; animaduertens Plato, ac eorum imperitiam oſtendere volens, dixit, quod ſi in litibus aliqua oriatur controuerſia, quæ per cauſam ſit decidenda, ac de ea Iuriſtæ rationem afferre debeant, *tunc* (ait ipſe Plato) *puſilanimum illum, atque acerrimum cauſidicum vertiginem pati videtur ab excelſa ſpecula caligantibus oculis, vtpotè, qui ſuperne perſpicere ſit inſolitus, mæret quoque, titubat, atque barbarica profert, quare tunc non rudi homini, ſed Philoſophis riſum mouet, ad quos hæc pertinet deciſio.*

1. par. q. 1. ar. 5. abſq; Logica, & Phil. res diuinæ intelligi nequeunt. In Theæteto. Plato oſtẽdit ignorãtiam iuriſtarum.

Ca. Perperam hercle Plato de Iuriſtis ſermonẽ habuit, cum Iuriſtæ controuerſiarũ deciſiones præbeant, ne forſan Deciſionum volumina quamplura vbique haberi poſſunt?

Quidni,

Ch. Quidni,ſed quomodo res decidunt.

Ca. Auctoritatibus,ac rationibus.

Ch. Primo modo faciunt, non ſecundo: quia qui abſque auctoritate apud Iuriſtas loquitur ex eorum inſtituto non eſt audiendus; immo multis auctoritatibus probat Nouizanius, quod iudicans contra communem opinionem reputatur ignarus; incõſtans tamen,& ſibi ipſi contradicens paulo poſt aſſerit, quod ratio naturalis quaſi formam legibus affert,citatq; multos Doctores inter quos Baldum dicẽtem. *Ratio naturalis continet neceſſitatem veritatis, & quæ contra eam pugnant,odioſa ſunt:* ideo vt quarumcunq; rerum deciſionem afferant, Doctorum auctoritates concordantes enumerare incipiunt, ac communiorem opinionem tamquam iuſtam tenent,etſi minus communis centum rationibus conſtituta eſſet, ideo rationes ſpernentes (contra Baldi auctoritatem citatam) diſputant an hæc, vel illa communior ſit opinio, communioremq; de iure cõmuni eſſe aiunt, ipſamq; pro vera,ac iuſta approbant.

Iuriſtæ nõ audiunt loquentes abſq; auctoritatibus. In Sylua Nup. lib. 5. num 3. & nu. 23. Bal. in c. licet, de trãſlat. epiſc.

Ca. Profecto id faciunt,quid? ne iſtud prudentia eſt?

Ch. Apud ipſos, non apud ſapiẽtes, qui numquam rationem Auctoritati poſtponunt: cum temerarium ſit, immo ridiculum eſſe putant,ſi opinio,etſi multorum,rationi anteponatur: vt Baldus nouit, quia Philoſophus erat, vnde Hierocles ait. *Iuſtitia nihil à ratione patitur alienum.* Hæc igitur tui Iuriſtarum eſt doctrina, qua tam gloriantur, cum communiorem ſecernant opinionem,eamq; defendant: in qua doctrina interdum tot inſpiciuntur errores; qui ſanè miratu non abſque fletu digni ſunt; vnde hucuſque quomodo deceptus fueris, vides,dum ſcilicet putabas è legum ſtudio humana,diuinaq; ſcire poſſe: quia tantum abeſt vt id fieri contigiſſet, quinimo potius in illud incidices, quod dici ſolet. purus legiſta, purus Aſinus.

Sup. carmina Pitagora nihil iuſtitia à ratione patitur alienũ. Purus legiſta. Purus Aſinus.

Ca. Ex his videtur à te concludi nullam dignitatem Iuriſtis deberi,quia rerum ſuarũ cauſas,aut rationes non quærunt, cum ſola auctoritate contenti ſint; vnde omiſſa ſpeculatione ad actionem ſe dirigunt, quæ longe inferior ſpeculatione eſſe ſolet.

Iuriſtis aliqua debetur dignitas.

Ch. Immò aliqua ipſis debetur dignitas, ſed non ei æqualis, qua Theologi,Philoſophi,ac Medici præditi ſunt: quia iſti

per

per cauſam ſciunt, Iuriſtæ autem res ſuas abſque ratione intelligunt ideo ſcientes non ſunt vocandi, cum de nullis rebus ſcientiam habeant; etenim ſcientia numquam ſine ratione eſt, vt voluit Plato. *In Conuiuio.*

Ca. Igitur leges hominum arbitrio, non ratione conſtitutæ ſunt? vnde legiſlatores, & priſci legiſtæ eſſent ſpernendi, qui tam celeberimi in hoc terrarum orbe fuerunt.

Ph. Nec iſtud ſentio, quandoquidem de illis adhuc ne verbum quidem feci, ideo inter legiſlatorem, ac legiſtam multum intereſt, itidem & inter legiſtam priſcum, ac recentiorem, necnon & inter recẽtiores aliqua eſt differentia: Quare Legiſlatores, vt fuit Plato, Solon, Ariſtoteles, Lycurgus, Cicero, aliiq; viri præclari fuerunt inſignes Philoſophi, vnde Cicero dixit. *ius non opinione, ſed natura conſtitutum eſt:* tempore igitur veterum nedum legum conditores, ſed aliqui Iuriſtæ erant Philoſophi, inter quos Baldus vnus fuit, ac inter recentiores Petrus Gregorius Toloſanus, qui Artem Mirabilem ſcripſit de omnibus agens, idq; vt Philoſophus, non vt Iuriſta fecit, quapropter tales honorandi ſunt propter eorum ſcientiam, quia leges, ac Philoſophiam connectunt, hisq; ſimul exornati ſunt: vnde definitio Iuriſprudentiæ in inſt. ciuil. ſcripta vera eſſe poſſet, ſi Iuriſprudentiæ ſimul cum Philoſophia definitio ſit; vt Budęus aſſeruit. Hi autem, qui noſtro tempore Logicam, ac Philoſophiam negligunt, & puri ſunt legiſtę, nihil ſciunt, etſi multa ſcire exiſtiment, cum rerum cauſas ignorent; quare iſti valdè ignobiliores nedũ Medicis, verùm & Legiſlatoribus, ſunt, cum nec artem, nec ſcientiam habeant, quia rerum cauſæ, ac rationes ipſos latent; quandam enim ſimplicem de legibus habent peritiam, quæ ſub legiſlatoria ita continetur, vt empirica ſub Medicina, quod Zabarella Optimus Philoſophus monſtrat. Empirica quidem neque ſcientia, neque ars eſt, cum ratione careat; cum igitur legum peritia rationes non præbeat, empirica eſt, ideo empirici ſunt noſtri Iuriſtæ, quia ſolum vſu opinionis ſe accommodãt, vt Plato ſcripſit, quorum ſtudium in iure ab antiquo, & illo vero degeneraſſe aſſeuerandum eſt.

Multũ intereſt inter legiſlatorẽ & legiſtã.

Primo de leg. ius natra conſtitutum eſt.

In annot. ſuper Pãd. in l. 1.

Puri legiſtæ nihil ſciunt.

Lib. de naturalis ſcientię conſti. c. 35.

In Epinomide.

Ca. Qua ratione, vel auctoritate iſtud ais? nempe ſtudium iuris ab antiquo degeneraſſe. Budęi Iuriſconſulti celeberimi *l. 1. iuri ope*

in de-

r.ā ff. de iu ſtit. & iur.

in declaratione verborum Vulpiani, *ius eſt ars boni, & æqui.* ideo ex ſupra allatis verbis concludamus nullam inter empiricam, & legum peritiam (qua noſtri Iuriſtæ ornati ſunt) eſſe differentiam, etſi horum multi quadam incedant grauitate, retro gentium turbam habētes, vix aſpicientes ſalutem eis dicentes, quibus non licet ante alios cuiuſuis conditionis aperire caput; immo ſemper ex eorum mera bonitate, ſi vnà cum alijs ambulent, dexteram partem occupant, & quaſi arripiunt; etſi cum viris ſacris ſint, ideo hęc arrogantiæ peſtis adeo inter iſtos vagatur, quod nedum Legiſtæ, verùm aliqui Cauſidici idem faciunt, quamuis eorum ars vilis ſit, vt legibus ipſis concluditur, ſuper quibus Gloſa notat, quod officium Procuratoris, ſiue Cauſidici vile ſit. Loquor tamen de quibuſdam ambitioſis, atque ignaris, vel potius ineptulis (ſalua ſemper ſapientum reuerētia) ſcio enim multos, nedum optimè moratos, tam Iuriſtas, quàm Cauſidicos inquam, verum ſingulari doctrina exornatos reperiri, ac priuatim in quadam Ciuitate nobiliſſima, vbi ratio minime poſtponi ſolet auctoritati, ſed vna ratio pluris apud illos optimos viros valet, quàm centum Auctoritates; tam dico apud iudices, quàm apud Auocatos; ideo extra hanc Ciuitatem manentes intelligo, ac potiſſimum de illis verba facio, qui vix Togam ſe induunt, ac ita ſuperbi euadunt, vt beatos eſſe ipſis uideantur, qui eorum Togam tangere poſſunt, quos litium confuſores eſſe probat Ioannes Nouizanius in Sylua nup. nec eorum imperitiam inſpiciunt; quid credunt iſti? quod alijs miraculum videatur, ſi dicant, hæc Bartolus dixit, nec ratione quod aiunt demonſtrare. audiāt iſti, itidem & ſeniores Senecam, Ieronymum, alioſq; grauiſſimos viros de ipſis loquentes, quorum dicta, ne ſapientum auribus moleſtiam afferam pergo; ſed horum ſententias apud ſuum Tiraquellum perlegant.

Quidā deteſtabiles mores aliquorum iuriſtarum.

Lib 10. l ſi quis procurationē. C. de decurionibus.

Laudātur iuriſtæ in quadā ciuitate ferū exercētes.

In Sylua nuptiali li. 5. nu. 6.

Tiraq. lib. de Nobil. c. 29. ab initio. nu. 11.

Ca. Quid aiunt iſti? quæſo has ſententias ſilentio minime inuolue.

Lib. citato c. 29 ab initio nu. 11.

Pro L. Murena.

Ph. Vt optimè, & ſincerè horum virorum dicta intelligas, ipſum Tiraquellum legito; vbi pulchra epitheta, ac nomina ipſis aſcripta reperies; ſed audi Ciceronem de illis loquentem. *Cum permulta præclare legibus ſint conſtituta, ea iuriſconſultorum ingenijs corrupta, ac deprauata ſunt.* Iſti enim cum ignorent,

rent, quid ſit iuſtitia, cum non ſint Philoſophi, neſciunt ſæpè iuſtitiam facere; ideo Plato noluit eos ſapientes vocare, quia cauſas eorum, quæ tractant neſciunt. Hinc dicebat ipſe, quod memoria ſolùm, & vſu opinionis ſe accommodāt, ac à veræ iuſtitię intelligentia procul aberrant, vt ſupra dixi, *ſatis* (ait) *eſt illis, vt quæ volunt adiſcant, eaq; memoria teneāt.*

In Epinomide iuriſtæ nō ſunt ſapientes. Eodē loco

Ca. Plato inimicus forſan Iuriſtarum fuit; dum de ipſis ſermonem fecit: quia Iuriſtæ egent nedum memoria, verùm & iudicio.

Ph. Ita, raró tamen ipſum exercent; ideo audi Ciceronem Iuriſtarum amicum, qui idem cum Platone aſſerere videtur, dum recenſet, quę ad Oratorem requiruntur; cum dicat. *Acumen Dialecticorum, ſententia Philoſophorum, verba Poetarum, memoria Iuriſtarum, vox Tragedorum.* Ex quibus verbis perſpicuum eſt, Ciceronem Iuriſtis ſolùm memoriā aſcribere omnium partem debiliſſimam; vt etiam præallegatus Budęus notauit. iſti igitur quia (vt dictum fuit) Philoſophiam non habent, neceſſariò ſæpè indirectè leges exponunt; vnde imperitia, vel aliqua re ſua ducti perperàm etiam ius reddunt, cui debetur: quod Ioannes de Nouizanis aſſerere coactus fuit, dùm apertè probat, quod legis ratio multi facit ad eius intellectum, ac inductionem, in qua tota conſiſtit virtus, affirmans iuxta Ariſtotelis dogmata; quod ſcire eſt rem per cauſam cognoſcere, in cuius confirmatione aliquas adducit leges. Quare cum abſque Philoſophia legibus incumberes, nihil boni agebas, quia (vt Plutarchus ait) *rebus gerendis deditus Philoſophiæ ignarus rudis eſt, & facile errat*; ideo eos, qui publica tractant, ad Philoſophiam totis viribus adipiſcendam ortatur: Philoſophus enim ille eſt, qui de ſua vi, ac ſapientia omnia penè profitetur, quo nomine ille nominatur, qui omnium rerum diuinarum, & humanarum vim, naturam, ac cauſas noſcit, ac bene viuendi rationem tenet, perſequiturq;, vt Cicero eiſdem verbis aſſeuerauit; ex his autem clarum eſt, quod Philoſophus vltra iam dicta etiam legum rationem habet, cum bene viuendi ratio ſit lex generalis, quæ omnes iuſtas leges amplectitur; eas tamen negligit, quæ hominum arbitrio conſtitutæ ſunt: cum à natura ſeparatæ ſint.

Primo de oratore.

Cōditiones oratoris. Iuriſtæ egent memoria.

Super l. 1 iuri operā in annot. Pand.

In ſylua Nuptiali li. 5 nu. 20.

In com. de liberis educādis abſque Philoſophia iuriſta rudis.

Primo de oratore.

Ca. Hæ autem quales ſunt?

Quę

Ph. Quæ præter naturalem rationem fieri ſolent, veluti ſunt aliquæ ſtatuariæ dictæ ad libitum Principis, vel Magiſtratuum ordinatæ pro eorum commodo non reſpiciendo publicam vtilitatem: tales enim iniuſtæ ſunt, & vt vno verbo dicam iniqua lex ea eſt, quæ contra ius diuinum, vel naturale, & per conſequens contra poſitiuum cōſtituta fuit, cum iſtud ius cauſam & rationem in natura habeat, vt audiuiſti; porrò vbique lex eadem eſſe debet, quia vna eſt iuſtitia conſtans, & perpetua vnicuique ſuum tribuens ius, vt è legibus ipſis ſtatutum fuit.

iniqua lex quę.

Iuſtitia q̄d ſit. l. iuſtitia. ff. de iuſti. & iure & Rub. de iuſt. in Inſti. ciuil.

Ca. Nè forſan licet ad populi commodum leges conſtituere, etſi naturali ratione factæ non ſint?

Ph. Licet interdùm, vt ait Ariſt. ad ſpeciem reipublicæ accōmodatas, non ad earum labes: & hoc modo naturæ conſonæ ſemper erunt; verùm ſi ad labes reipublicæ ſint, quia iniuſtæ, admittendæ non ſunt, iuxta illud Iſaiæ. *Ve qui leges cōdunt iniquas.* Ideo iniqua lex illa britanica fuit, qua pluribus viris vna conceſſa fuit vxor, itidem, & alia apud Parthos, & Indos penè oēs, qua plures vxores vnico viro datæ erant; iſtæ quidem iuſto reclamant; atque aliæ quamplures, quæ apud diuerſos populos ſcriptę fuerunt, quarū aliquas recenſet Poſſeuinus; Philoſophi igitur tales ſpernūt leges, quas nunquam admittere volunt, niſi naturæ cōſonæ ſint, ob id tamen ſuæ Ciuitatis ſtatutarias non ignorant, non tñ vt Philoſophi, verùm vt Ciues. Turpe namque Ciuibus eſt ea non tenere, in quibus res patrię agitur. Quare nemo Ciuis aliquę cōditionis ſui principis leges ignorat. Et vt iſtud exemplo oſtendam, ridiculum eſſet Ciuem ſui Principis ſimilem legem ignorare, nempę. qui in platea gladium nudauerit tribus ictibus funis puniatur. itidē nemo à duabus noctis horis audeat abſque lumine per Ciuitatem ambulare ſub pœna indignationis Principis. & ſic de cæteris intelligendum eſt.

Cap. x. Iſ. Lex iniqua apud Britānos. ac Parthos

in ſelecta Bibliot. li. 12. c. 1.

Ca. Philalethes magnis illecebris mētem inuoluiſti; imprudens adhuc quidem fui, vt id fateor; nunc aliquid luminis mihi ineſſe videtur: quare rogo, atque etiam rogo à te mihi obſcurum patefieri, ac verum lumen reſtitui; idque cum feceris, ita viuam, in omnibus tibi morem geram; quia prorſus agnoſco è legum peritia reſpectu philoſophię, aut nihil

hil,aut parum ſciri poſſe,& miror tantam in me hucuſque cęcitatem.

Ph. Quid exoptas,libenter faciam,apertius ſcilicet monſtrabo à philoſophia,ac Medicina omnia ſciri poſſe: non à iuriſprudentia,ut temerè putaſti;itidem & à Philoſopho leges ſciri,non à Iuriſta: cum ſcire ſit rem per cauſam agnoſcere,quæ cognitio latet Iuriſtam. uerùm nè confusè rem tractem,in primis tua principia,quęrum cauſa ad legum ſtudia incubuiſti, falſa eſſe oſtendam. horum autem primum fuit. Legibus ſtudere,non philoſophię,nec Medicinæ,ut maiori honore, ac nobilitate proſapiam tuam exornares. itidem Theologiam omiſiſti,tanquam rem ſacris uiris, nō nobis condecentem. præterea quia Iuriſtæ maiori dignitate, quam Philoſophi, ac Medici ſunt; te legibus ornari ſtuduiſti; libentiuſque hanc partem elegiſti, cùm agnouiſſes Iuriſtas ui legum maiorem dignitatem,ac honorē apud Principes,quàm philoſophos,Medicoſque conſequi.quib. Ciuitatum regimen, ac adminiſtratio à principibus omnino comittitur: philoſophi autem cùm ſæpè ſpreti, ac deluſi ſint, philoſophiam amplecti noluiſti, porrò poſtremū fundamentum,cur legibus,non cæteris ſcientijs operam dare maluiſti,fuit,quia omnia humana nempe, ac diuina à Iuriſprudentia adiſcere poſſe intellexiſti, cùm ſcriptum inueniſſes.*Iuriſprudentia eſt rerum diuinarum, & humanarum notitia,iuſti,atque iniuſti ſcientia.*

Cur Cal. phil. legib. incubuit.

Ca. Quippè hæc mea fuerunt fundamenta,ac rationes,quarum cauſa legum ſtudijs,non reliquis artibus operam nauaui,quas falſas eſſe monſtrare ſpopondiſti; quod quamprimum, ſi me amas, facito.

Ph. Libenter. uerùm primum hoc unum tamquam uerum ſubintelligendum eſſe uolo, nempe quod omnis Medicus ſit Philoſophus, cùm nullo modo admitti poſſit uerus Medicus,niſi fuerit Philoſophus: unde natum eſt illud adagiū. *Ibi incipit Medicus, ubi deſinit Philoſophus* Hoc eſt philoſophia iam tranſgreſſa incipiendum eſt Medicinæ ſtudium hoc idem confirmauit Ariſt.dicens, *Diligens Medicus de natura agit*,atque alio loco adeo Medicum Philoſopho cōiunxit, & econtrariò, ut nullo modo Medicum methodicum abſque philoſophia admittere uelit,nec philoſophum, niſi

MEDICUM ESSE PHILOSOPHUM.

Lib. de ſanit. & morbo, lib. de ſenſu, & ſenſibili, primo.

prima

lib. de tuenda valet. prima principia Morbi, ac ſanitatis agnoſcat, etiam Plutarchi ſententia fuit, has duas ſcientias abinuicem non eſſe ſeparandas, nec aliter voluit Galenus, cum iſtud pluribus rationibus probauerit; quibus antea Hippocrates vſus fuit affirmans Sapientiam, hoc eſt, philoſophiam non eſſe ſeparandam a Medicina, nec Medicinam ab ipſa ſapientia: quare cum dixero Medicum, intelligo eos, qui de natura agũt, & veri ſunt Medici: nec de empiricis nomine Medicorum ſermonem faciam; quia iſti nullam habent dignitatem, & potius de genere tunſorum, q̃ Medicorum ſunt; cum inſtar Iuriſtarum in ſuo perficiendo opere nullam præ oculis habeãt rationem, quibus ſimiles ſunt, de quibus in Textibus ciuilibus legitur, quorum mentio aptiori loco erit facienda: quapropter ut ad primum inſtitutum me cõuertã, dico, quod nobilius, ac honorabilius, digniuſque eſt Medicum eſſe, quàm Iuriſtam.

lib inſcripto. Si quis optimus. Medicus. Hipp. lib. de decenti ornatu. Noı̃e Medici non intelligi i põt Empiricus

L parab. C. de epiſ. & cler.

Ca. Id rationibus probato.

RATIONES PROBANTES MEDICVM IVRISTA ESSE NOBILIOREM.

Ph. Scientia quò magis nobilior eſt, eò magis nobiliorẽ, ac honorabiliorem efficit hominem, nè hoc concedis?

Ca. Quidni? cum iſtud luce clarius ſit.

Ph. Philoſophia, ac Medicina nè ſunt nobiliores, ac ſit Iuriſprudentia?

Ca. Niſi probaueris, non admittam.

Ph. Quæ præclara difficilia ſunt, & quò præclariora, eò difficiora; nam uia uirtutis ardua eſt: hæcque Platonis ſunt verba.

Quæ præclara difficilia. 6 de republica.

Ca. Concedi poteſt.

Ph. Philoſophia, ac Medicina ſunt difficiliores, ac iuriſprudẽtia ſit: igitur erunt præclariores.

Ca. An res ita ſit, dubitari poteſt.

Ph. Difficilius eſt vnamquamque rem per cauſas, ac rationes intelligere, quàm ſine cauſis, ac ſine rationibus.

Ca. Omninò aſſero.

Phi. & Medicus per rationem ĩtelligit, nõ Iuriſta. Iuriſta auctoritatib. ſolũ vtuntur.

Ph. Philpſophus, ac Medicus per cauſas, ac rationes res ſuas intelligunt, quod non faciunt iuriſtæ, vt ſupra pluribus auctoritatibus confirmatum fuit; cuius teſtimonium etiam experientia eſſe põt, quia ſemꝑ Bart. alijque Iuriſtæ auctoritatibus res ſuas monſtrant, itidem & Recentiores, vt ſæpè paulo ante tibi oſtendi.

Quid

Ca. Quid inde ſequi poteſt?

Ph. Concluſio noſtræ quæſtionis, nempe quod cũ philoſophia, ac Medicina ſint ſcientiæ iuriſprudentia intellectu difficiliores, quia earum cognitio per cauſas, ac rationes habetur, ſint etiam præclariores; Sed hoc idem alio modo probamus. ne difficilius eſt, & per conſequens præclarius, ac honorabilius agere de multis, & nobilioribus, quàm de paucis, & ignorabilioribus? *Secũda ratio de Medici nobilitate.*

Ca. Non vereor, cum hæc veritas minimè obſcura ſit.

Ph. Medicus igitur cum de pluribus, ac nobilioribus agat, ac Iuriſtæ faciant; perſpicuum eſt ipſum Iuriſta nobiliorem, præclarioremque eſſe. *Medicus de plurib. ac nobil. agit, quã Iuriſta.*

Ca. Cur iſtud? cum nondum clarum ſit Medicum de pluribus, & nobilioribus agere, ac Iuriſta faciat.

Ph. Medicum eſſe Philoſophum concedito; cum iam iſtud probatum fuerit.

Ca. Nemo hoc negat.

Ph. Ergo Medicus, quia Philoſophus, agit de Deo, de Cœlo, de Angelis, de Elementis, de Anima, de Homine, deque ceteris, quæ in Mundo reperiuntur. iſtud iam patuit, & opportuniori tempore apertius patebit, quod nunc teſtimonio Senecæ comprobari poſſet, qui ad Lucillum ſcribens clarè hoc voluit. *Medicus de omnib. agit.* *Lib. 14. epiſt. 90.*

Ca. Quid igitur tractant Iuriſtæ? ſi Philoſophi omnia perpendunt?

Ph. Quidquid Iuriſtæ agant ad tria reducitur, vt Syluestro Aldrobandino placuit, dum ait. *omnia iura aut reſpiciunt vitæ honeſtatem, aut alterius læſionẽ, aut tribuere quod ſuum eſt vnicuiq;.* Ideo cum nobilius ſit de Deo, de Cęlo, ac de ceteris in mundo contentis tractare, quàm de his tribus; apparet Medicũ Iuriſta eſſe nobiliorem. *Super Inſtit. ciuil. Rub. de iuſtit. & iur. in verbis iuriſprud.*

Ca. Dic quæſo, Deo excepto quid nobilius eſt vitæ honeſtate, itidem, & tribuere ſuum vnicuique, ac offenſorum læſiones inquirere, vt eiſdem ius ſuum reddi poſſit?

Ph. Quid Caloph. nobilius eſt ſubſtantia, vel accidens? ſubſtantia quidem ſemper permanet, accidens autem abeſſe, & adeſſe poteſt nullam ex ſe habens permanentiam, niſi in ſubſtantia.

Ca. Subſtantia accidente nobilior eſt.

Iuriſta agit de accidentibus.

Ph. Concludamus igitur, ea tria, de quibus Iuriſta agit, cum accidentia ſint, quæ verò tractat Medicus, ſubſtantiæ: Medicum ipſum de nobilioribus, ac honorabilioribus agere, quã Iuriſtam: vnde ſequitur Medicum Iuriſta eſſe nobiliorem, ac præclariorem.

Ca. Quis declarat ea tria, de quibus Iuriſta agit, eſſe accidentia?

Tertia ratio. *Dialogo de ente.*

Ph. Definitio accidentis, ne vitæ honeſtas poteſt eſſe, & non eſſe in vnoquoq; homine? ſic læſio, atque voluntas tribuendi vnicuique ſuum?

Ca. Equidem.

Ph. Quid igitur ambigis? Sed alias audi rationes. Nobilius eſt rem ſcire cum cauſà, ac ratione, quàm ſine; vt voluit Plato, & omnes idem concedunt; quia multi agnoſcunt ægrotum febricitare, cum videant ipſum inſigni calore eſſe affectum, ignorant tamen cauſam à qua febris proficiſcitur; ſic omnis homo in Sole fieri Eclipſim agnoſcit, cauſam tamen, ac rationem, cur contingat, multi neſciunt, quod turpe eſt apud ſapientes tale ignorari.

Ca. Ne indecens videar, approbo.

Primo Magnorũ Moral. c. 33.

Ph. Cum igitur Medicus per cauſas, & rationem incedat, Iuriſta autem abſq; his: iſtudque Ariſtotelem non præteriuit.

Ca. Iam claruit.

Ph. Clarum igitur eſt Medicum Iuriſta eſſe nobiliorem.

Ca. Ne habes alias rationes proponendas?

De vniuerſalibus nõ de particularib. ſcientia eſt.

Ph. Multas. ſed primum hãc ponamus concluſionem, nempe de vniuerſalibus ſcientiam haberi poſſe, non de particularibus; cum hæc contingentia ſint, & nullam habeant firmã permienentiam, quæ numquam ſenſum trangrediuntur, vniuerſalia autem in intellectu ſuum eſſe habent; de quibus intellectus ipſe ſcientiam habere poteſt, quia res ſpeculari, ac rationibus perpendere ſolet; quod circa ſenſum non contingit; hinc Animalia bruta, quia intellectu carent, de quauis re ſcientiam non habent, quæ ſolum homini à Deo optimo conceſſa fuit, itidem & Angelis, dignori tamen via iſtis, cum omnino intellectuales ſint, ac ab omni materia ſeiuncti pergo auctoritatem Ariſtotelis dicentis de particularibus ſcientiam haberi non poſſe, iſtudque euidenter monſtrauit.

Homini, & Angelis rerũ ſcientia conuenit. 1. Poſter.

Ca. Cur tot ad id propandũ? Ariſtotelis auctoritas ſatis erat, cum

cum hæc propoſitio ni fallor, magnum totius philoſophiæ ſit fundamentum, ideo hoc verum, & probatum eſſe faciamus.

Ph. Pulchrè rem intellexiſti. His igitur conſtitutis dicamus, quod nobilius eſt agere de vniuerſalibus, quàm de particularibus, cum ſolum de illis, non de particularibus ſcientia habeatur.

Ca. Præclarè iſtud aſſertum fuit.

Ph. Si igitur Medicus de vniuerſalibus, & Iuriſta de particularibus: concluſio erit Medicum de nobilioribus cognitionem habere, & quod ſequitur, Iuriſta eſſe præclariorem.

Ca. Medicum de vniuerſalibus ſemper tractare conceſſum eſſe nolo. ne forſitan de homine iſto, & illo. & quod magis eſt, de eius partibus, vt de male affecto pede, & oculo conſiderationem habet?

Ph. Equidem id facit, attamen de illis ſcientiam habet, cum cauſas illius affectionis inquirat, quę cum vniuerſales ſint, & ſemper eædem permaneant, de illis ſcientia eſt, cum ſcire cõ tingat per cauſarum cognitionem; vt aliàs dixi. inſpectis igitur cauſis, ac animaduerſis tunc ad particularia deſcendit imperando quid (vt ſternatur morbus) agendum ſit. quod autem hoc modo ſe gerat, excepta experientia etiam Plato iſtud agnouit dicens. *Medicina dicitur ars, quia quidquid Artifex agit, ratione agit, atque eorum, quæ tractat rationẽ reddere poteſt.* nota tamen, quod ars hìc accipitur pro ſcientia, nam quidquid artifex agit, ratione facit. ideo dicebat Euſtratius, quod ſcientia explicatur interdum nomine artis. quare audiuiſti, quomodo Medicus in vniuerſali de rebus ſuis tractet.

Medicus ingrit cauſas Morborũ, quarũ ſcientia eſt.

In Gorgia. Medicus agit ratione.

Ars accipitur pro ſciẽtia.

1. Ethi. c. 4 in com.

Ca. Dictis tuis iure me ſubijcio.

Ph. Optimè, ſed antequam vltra progrediamur, quid de philoſophia Cicero ſcribat, audi, *mater bonarum artium eſt ſapientia, quæ Philoſophia vocatur, qua nihil à Dijs immortalibus vberius, nihil florentius, nihil præſtantius hominum vitæ datum eſt.* hanc igitur adeo ipſe admiratur, vt ipſius initium Dijs ipſis, non hominibus aſcribat.

Primo de leg. nihil p̃ſtãtius Philoſophia.

Ca. Laus philoſophię hęc eſt, non Medicinę, ideo pro Philoſophorum honore dicta faciunt.

Ph. Quid? ne ſatis probatum fuit nihil intereſſe inter Medicum, ac Philoſophum?

Ca. Quæ ſtatuta fuere oblitus eram.

In quadã epiſt. ad Hyppocr. Medicina ſoror Phyloſophiæ.

Ph. Rebus tamen concluſis Democrati ſententiam addamus, qui cum dixiſſet Medicam facultatem omnibus neceſſariam eſſe, & priuatim eruditis hominibus; hæc verba ſcripſit. *Sapientiæ cognitionem Medicinæ ſororem, ac contubernalem eſſe puto: ſapientia enim animam ab affectibus liberat, Medicina verò Morbos à corporibus aufert.* Ex quibus verbis apparet has ſcientias adeo vna eſſe coniunctas, vt ſorores iuſtè ſint nominandæ.

Ca. Si de Theorica ipſius Medicinæ id ſtatuendum ſit, de praxi verendum eſt, cum hæc à ſpeculatione proſus abiuncta ſit.

PRAXIM MEDICINAE NIHIL NOBILITATIS MEDICI AVFERRE POSSE.

Primo de officijs. Medicus exercẽs praxim dignior eſt.

Ph. Iam oſtenſum eſt Medicum nunquàm ſine ſpeculatione ad praxim ſe conuertere, cum ſemper cauſas, ac rationes rerum agendarum præ oculis habeat; ideo cum res ita ſit, praxis dignitatem Medici auferre nequit; Medicus enim ſoli aſſimilari poteſt, qui vt humanò generi vitam ſuppeditet, radios quocunque mittit; ideo etiam ſuper lutum, aliaque obſcęna: quia ſic decet, vt ſuo lumine illuminet vniuerſum, ſuoque calore totum genus humanum tueatur; qua actione nullam amittit dignitatem, cum ſemper idem ſit totam illuminans terram; quare finis optimus cum ſit, etiam actio honorifica eſſe debet. ſic igitur Medicus, vt pretioſam in hominum corpora, & ſæpè in animam introducat ſanitatem, vel in eiſdem ipſam tueatur, Medicinæ praxim exercet, quæ actio, quia nobilem reſpicit finem, Medici dignitati derogare nõ põt immo quod praxis exercitio Medicus dignior ſit, vt è Ciceronis verbis elicitur, qui ait. *Sed vt nec Medici, nec Imperatores, nec oratores, quamuis artis præcepta perceperint. quidquam magna laude dignum ſine vſu, & exercitatione conſequi poſſent; ſi officij conſeruandi præcepta.* & quæ ſequuntur.

Ca. Satis, abundèque rem probaſti.

Exemplo oſtenditur praxim dignitati Medici non derogare.

Ph. Nec ob id alio modo monſtrare à praxi dignitatem Medici minimè auferri poſſe deſinam; ideo exemplo optimi Legislatoris iſtud intelligito, qui Medicorum verum exemplar fuit; hic enim cum ius œconomicum ſiue iuſtum rei familiaris regimen, vel leges firmis rationibus condiderit, eaſdem ad praxim in propria familia redigit, ac adamuſſim omnia inſtituta exercet: actionẽ tamen iſtam ſuæ dignitati deroga-

derogare poſſe, nemo aſſerere vnquam auſus fuit; quandoquidem etſi praxim adhibeat, ſuarum actionum rationes habet: cum legum, ac regiminis ipſius auctor rationalis fuerit. Ita igitur Medicus naturæ humanæ conſeruator fidiſſimus, ac Miniſter pro eiuſdem naturæ conſeruatione multas leges methodicè, indubitatiſque rationibus inſtituit, vt quidquid naturam infeſtauerit, harum legum executione ſterni poſſit. Quare his conſtitutis amore, ac proprio fine ſanitatem conſequendi impulſus ad praxim omnia iam decreta conducit, atque inſtar Legislatoris in propria familia, hoc eſt in natura humana cuius Pater, & cōſeruator electus fuit (vt ſacræ canunt paginæ) leges ſuas exercet, ſemper rationes, quibus eas condidit, perpendens; ideo cum rationis via agat, actio praxis dignitati ſuæ derogare nequit, etiam quia finis eius nobilis eſt, cum ſanitas ſit; hæc enim illud tam precioſum eſt bonum, citra quod certum habemus, quod neq; diuitiarum, neque corporis, neque vllius alterius rei vlla, aut voluntas, aut fructus eſt: de cuius vtilitate multa in Medicorum honore Tiraq. ſcripſit. & vt vno verbo dicam, hæc illa eſt, ſine qua homo nihil eſt; vnde Plutarchus dixit. *Sanitas maximè diuinum, longèque blandiſſimum eſt vitæ condimentum:* ideo vt tam precioſa gemma conſeruaretur, Altiſſimus creauit Medicum, vt à ſacris habentur literis. vnde ex adductis puto ſatis probatum eſſe, praxim Medicinæ nedum Medici dignitati derogare, verùm plus honoris addere.

Comparatio Medici ad Legiſlatorem.

Eccl. c. 38.

Finis Medici ſanitas.

Lib. de Nobil. c. 31. num 384. & inde vſque ad 391.

Lib. de tuēda bona valet.

Eccl. c. 38. citato.

Ca. Prorſus id aſſerendum eſt.

Ph. Alia tamen ratio pro dictorum corroboratione ſpernenda non eſt, quandoquidem nemini conceſſum eſt ex ſacris, ac Pontificijs conſtitutionibus praxim Medicinæ exercere, niſi inſignibus Doctoratus honoribus imbutus fuerit; licet tamen omnia ad Medicinam ſpectantia omnibus ſpeculari, non ſanè exercere: cum tales approbati non fuerint, huiuſq; profeſſionis digni à Collegijs iudicati: vnde patet plus dignitatis eſſe praxim exercere, quàm res ipſas abſque praxi ſpeculari; cum Theorica Medicinæ omnibus cōceſſa ſit, praxis niſi electis, ac ad dignitatem promotis, necnon à collegijs Medicorum approbatis.

Praxim Medicinæ exercere niſi doct. licet.

Plus dignitatis eſt praxim Medi exercere, quā Theor.

Ca. Profectò tam multa pro Medicis ais, vt penè te ipſorum factioſum eſſe oſtendas; cur, dic, illam auctoritatem ſacræ

ſcripturæ adduxiſti? vbi habetur, quod altiſſimus creauit Medicum; ne fortaſis omnibus hominibus, ac cęteris rebus tale priuilegium commune eſt? poſtquam vt eędem ſacræ literæ aiunt, Altiſſimus Cęlum, terram, cunctaque in Cęlo,& in terra exiſtentia ab initio creauit.

Ab initio Geneſis.

Ph. Omnia quidem creauit Deus, alio modo tamen Medicum produxit: quare verba eccleſiaſtici non ad literã ſunt intelligẽda, ſed vt exponit Cornelius Ianſenus,qui ait,quod verba illa. *Altiſſimus creauit Medicum.* Sunt intelligenda,quatenus Deus optimus aliquibus ingerit inclinationem ad Medicam facultatem, circa quam iſtorũ ſtudia promouet, ingenia eorum illuſtrando; ideo hæc ſunt Ianſeni verba, ac expoſitio: cui addi poteſt Gloſa Nicolai de Lyra. vbi apertè ait,quod ibi creatio non ac ipitur propriè, ſed largè: ſicuti Rex dicitur creari, quando promouetur ad dignitatem Regni; ita etiam de Medico, ait ipſe, intelligendum eſt; quia Deus promouet eum ad dignitatem. creare igitur ibi ex Gloſæ expoſitione priuatim accipitur pro promotione ad dignitatem.

Expoſitio Eccl. vbi legitur Altiſſimus creauit Medicum.

Deus promouet ad dignitatẽ.

Ca. Optimè pro Medicorum honore hucuſque te geſſiſti.

Ph. Vt opus perficiamus, maiora erunt dicenda; ſed interim audi quid Poſſeuinus vir ſapiẽs,ac Religioſus de diſciplinarum gradibus dicat. ait enim,quod tribus generibus omnes diſciplinæ definiuntur θεωρητικοῦ, πρακτικοῦ, καὶ ποιητικοῦ. nos autẽ eadem ratione vtentes dicamus, tribus generibus. nẽpè θεωρίας, πράξεως ἐργασίας. primus modus ad ſpeculatiuam ſcientiam ſpectat, & primo loco ponitur. Secundus ad prudentiam rerum agendarum, hoc eſt ad iuriſprudentiam, hæcque pars ſecundum habet locum, vt ipſe ait. Tertius autem ad opificia attinet: quæ pars cæteris inferior eſt. Quare hac diuiſione primo gradu ſpeculatiua conſtituitur, ſecundo prudentia, tertioque loco opificia collocantur.

In Select. Bibl. lib. 12. c. 20. omnes diſciplinę tribus generibus definiuntur. Speculatio præcedit actionem hacque factiuã art.

Ca. Cur ſpeculatio præcedere debet rerum prudentiam?

Ph. Quia cum rerum prudentia actio ſit, nobilior eſt ſpeculatio actione. iſtudque multis rationibus à Benedicto Pererio comprobatum habebis. notato tamen, quod in qualibet harum diſciplinarum dantur gradus, quia in ſcientijs ſpeculatiuis Theologus primum locum habet, poſt quem ſequitur Philoſophus, ac Medicus. atque hoc idem in actiuis diſci-

Li. 1. Phil. cap. 4.

diſciplinis contingit; nam iuris Canonici peritus Ciuilem iuriſtam, hicque cauſidicum præcedere debet, deque opificijs ita aſſerendum.

Ca. Sile quæſo, quia ſatis patet ſpeculatiuam ſcientiam actiua eſſe nobiliorem; & ideo negare nequeo, quin Theologi, Philoſophi, ac Medici ſcientiarum ſpeculatiuarum artifices vtriuſque iuris Doctores præcedant.

Theol Philoſ. ac Medici vtriuſque iuris Doctores precedunt.

Ph. Nunc Calophile veritatis es capax, ac ſapientum rationibus vteris, maximèque Ariſtotelis, qui ait, quod ſpeculatiuæ ſcientiæ alijs præferendæ ſunt, cuius ratio eſt, quia ſpeculatio eſt propter ſe, actio verò propter aliud: hoc eſt propter opus. Quare nemo tam inops mentis eſt, quin agnoſcat ſcientiam ſpeculatiuam actiua eſſe nobiliorem. Sed nunc alijs rationibus probamus philoſophiam, ac Medicinam iuriſprudentia eſſe nobiliorem; ex quo manifeſtum erit Medicum iuriſta eſſe præclariorem.

6. Metaphyſ. tex. 2

ATIONES PROBANTES Medicum iuriſta eſſe nobiliorẽ.

Ca. Quæſo id fac, vt Medicorum ratio magis eluceſcat.

Ph. Ab hoc principio auſpicamur, & dicamus. Mira, ac ſublimior, & per conſequens honorabilior ſcientia illa eſt, cuius cauſæ ſecretiores, ac abſtruſiores ſunt: miramur enim quorum cauſam inueſtigare difficilimum eſt.

Sciẽtia cuius cauſa ſunt abſtruſiores nobilior altera eſt.

Ca. Porro res ita videtur.

Ph. Ne philoſophia, ac medicina ſecretiores, abſtruſioresq; cauſas habent, quàm iuriſprudentia?

Ca. Videtur, id tamen, ſi lubet, probato.

Ph. Maior intelligentia requiritur ad ſcientiam ſecretiores, quàm patentes cauſas habentem.

Ca. Clarum eſt.

Ph. Talis philoſophia, ac medicina eſt; quia has ſcientias nemo intelligere poteſt, niſi optimus fuerit Logicus: ſed iuriſprudentiæ cognitio ſola grammatica (vt experientia docet) facile haberi poteſt; cuius facilem intelligentiam oſtendit Cicero, ſcribens Iuriſconſultum triduo hominem fieri poſſe. cuius verba hæc ſunt. *difficilis autem res adeo non putatur, quoniam perpaucis, ac minimè obſcuris literis continetur, itaque ſi mihi vehementer occupato ſtomacum mouerint, triduo me iuriſconſultum profitebor.* his igitur ſic conſtitutis concluſio exoritur, nempe philoſophia, ac medicina, quia iuriſprudentia intellectu ſunt difficiliores, ſunt etiam ea præclariores: & quod

Philoſophia et Medicina cauſas habẽt ſecretiores quã iuriſprudentia.

Cicero pro Murana triduo ſe iuriſcõſultum profiteri ait.

ſequitur, Medicus iuriſperito præclarior eſt.

Ca. Profectò Ciceronis verba valde miror, tuamque cõcluſionem approbo.

Sciētia tribus modis nobilior, q̃ altera. Ariſtot. 1. de ãia tex. 1.

Ph. Aliam etiam probationem pro Medicis maiori vi fulcitam intelligito. Vnaquæque facultas nobilior altera eſt, vel propter nobilitatem ſubiecti, vel propter confirmationem demonſtrationis, vel propter vtrunque: iſtudque doctè Ariſtoteles declarauit, cuius confirmatio nedum ab Auerr. in expoſitione, verùm ab omnibus philoſophiam, bonaſq; artes profitentibus facile intelligi poteſt.

Ca. Hæc dicta ignota mihi ſunt

Geometria cur præcedat Aſtrologiam.

Ph. Exemplo Geometriæ ea declarabo; hæc enim ſcientia præcedit Aſtrologiam propter demonſtrationis confirmationem, quia demonſtratiuè, & per cauſas, rationesque eius Artifex incedit, quod non facit Aſtrologus, & priuatim ſi iudicium aliquod fecerit; qui etſi ſuæ prædictionis aliquam cauſam dixerit, cum ea contingens, ac falax ſit: veram, ac indubitatam ſcientiam afferre nequit, ideo hac ratione Aſtrologia Geometriæ poſtponi debet: Aſtrologia autem ſubiecti ratione Geometriæ anteponi ſolet; hæc enim continuã quantitatem, Aſtrologia Cœlum præoculis habet: iſtudque quantitate cum nobilius ſit, ſubiectum etiam eius ſcientia nobilior altera erit.

Aſtrologia cur præferatur Geometriæ.

Ca. Planè pulcra eſt ea diſtinctio, quam omnino confirmo.

Ph. Igitur ex conceſſis ſtatuere poſſumus philoſophiam, ac medicinam, cum iuriſprudentiam vtroque modo præcedant, eadem nobiliorem, ac præclariorem eſſe.

Ca. Vnamquamque ſcientiam vel propter ſubiecti nobilitatem, vel propter demonſtrationis confirmationem, vel vtroque modo altera nobiliorem eſſe concedo. Philoſophiam autem, & Medicinam huiuſmodi eſſe, niſi id monſtraueris, non quieſcam.

Ph. Quid quæſo nobilius eſt agens, vel patiens? uel quid nobilius Statuarius, uel ſtatua ab ipſo facta?

Ca. Hæc petitio quaſi ridicula eſt, cum apud omnes clara, & euidens ſit.

Iuſtitia & iuriſtarũ ſubiectũ.

Ph. Qualenam eſt Iuriſtarum ſubiectum?

Ca. Iuſtitia ni fallor.

Ph. Optimè, ſed quis iuſtitiam facit?

Deus

Ca. Deus omnium iuſtiſsimus, poſtea cęteri Iudices.

Ph. Quales ſunt huiuſmodi iudices?

Ca. Homines, itidem Angeli poſſent iuſſu Dei peccatores puniendo; hoc idem & Dęmones ipſi permittente Deo efficerent.

Ph. Ne Cęlum, elementa, ipſaque Animalia irrationalia, & inanimata oīa Dei voluntate vti Miniſtri illius ſummæ poteſtatis iudices eſſe poſſent hoīum? & ideo iuſtitiam facere?

Oīa creata poſſunt iuſſu Dei iuſtitiam facere.

Ca. Quid ni? cum Deus omnium dominator ſit.

Ph. Ergo hæc iam dicta iuſtitia ſunt nobiliora; quæ omnia pro ſubiecto Medicus in diuerſis diſciplinis habet. vt in Medicina corpus humanum, in philoſophia Deum, Animam, Angelos, Cœlum, Elementa, atque cętera alia, prout ſic diuerſas habet conſiderationes; vnde ex his perſpicuum eſt ꝑpter ſubiecti nobilitatem Medicum Iuriſta eſſe nobiliorem.

Ca. Cōtradicere nequeo, cum omnia paulatim cōfeſſus fuerim; ſed ad alia tranſeamus, & videamus, an propter demonſtrationis confirmationem Medicina præferri poſsit iuriſprudentię.

Ph. Non eſt verendum, quin ratione demonſtrationis Medicina Iuriſprudentię præponenda ſit; cum ſæpenumero ſupra oſtēſum fuerit Medicum per cauſas, ac rationes res ſuas tractare, idque pluribus modis ſtatutum fuit; quæ omnia ſi repetere vellem, nimium prolixa eſſet noſtra oratio.

Medicina præfertur iuriſprudentię rem demonſt.

Ca. Equidem iſtud probatum fuit; quo etiam nobilitas Medici concluſa fuit: durum tamen mihi videtur Iuriſtam demonſtratiuè res ſuas oſtendere non poſſe.

Ph. Immò interdū poſset, ſi philoſophia, ac logica imbutus eſſet; ſed his ſcientijs orbatus numquam demonſtrare pōt, hinc ſumpta occaſione Ariſtoteles dixit, quod iuriſprudentia, neque ars, neque ſcientia eſt; quia demonſtratione caret, nec circa neceſſaria verſatur: verùm circa particularia, ac cōtingentia, quæ aliter ſe habere poſſunt; quo loco clarè elicitur, quod omnis homo poteſt eſſe prudens, etſi indoctus; non tamen ſciens: prudens namque dicitur, qui rectè de illis, quæ ſibi, alijſve vtilia pro ſuis conſeruandis, vel acquirendis bonis conſulere poteſt. Quare etiam Ruſtici interdum eſſe poſsunt prudentes, ſi vt dixi, conſulere ſciant.

6. Eth. c. 5. Iuriſprudentia neque ars, neque ſciētia eſt.

Oīs homo pōt eſſe prudens etſi indoctus, non tñ ſciens.

Difficile

Ca. Difficile creditu illud videtur, cum ſemper ruſtici ignari ſint.

Beſtiæ poſſunt eſſe prudẽtes.

Ph. Nedum ruſtici, verùm & aliquę beſtiæ prudentes nũcupantur, inter quas formica, quæ hyemẽ præuidens, ſub terra quæ ſibi pro totius tẽporis nutritione neceſſaria ſunt, collocat, hæcque opinio multorum fuit, ut ſcribit Ariſtot. vnde Horatius ſic de ipſa cecinit. *Paruula (nam exemplo eſt) magni formica laboris. Ore trahit quodcunque poteſt, atque addit aceruo. Quem ſtruit, haud ignara, ac non incauta futuri.* Nec mirum eſt, ſi Belluæ aliquæ dici poſſint prudentes, nam quæ ad prudentiam ſpectant circa ſenſum verſantur; prudentia enim eſt rerum multarum memoria, & plurimorum negotiorum vſus, vt definiuit Ioachimus Fortius, quod antea Cicero ſcripſerat, qui ab Ariſtotele minimè abfuit, vel dicamus cum ipſo Cicerone prudentia eſt, qua aliquid videtur, antequam factum ſit.

6 Eth. c. 6. Satira prima

Formicæ prudẽtia.

Prudentia quid. Lib. de homine. li. 3. ad Herennium in Rhet. Moral. Nicomach. c. 5. lib. 6. Cic. 2. Rhet.

Ca. Tibi ipſi contradicere videre videor; cum prius dixeris iuriſperitum Logica, ac philoſophia imbutum de rebus ſuis ſcientiam habere poſſe, poſtea Ariſtotelis auctoritate aſſeruiſti, iuriſprudentiam neque artem, neque ſcientiam eſſe, quia demonſtratione caret, cum circa contingentia verſetur, de quibus numquam ſcientia haberi poteſt.

Bh. Auribus adeſto, & nullam contradictionem à me dictã fuiſſe intelliges; ideo in particulari, & de particularibus ipſis numquam ſcientiam habebit; verùm in uniuerſali, ac de ipſis uniuerſalibus, ſi philoſophia, ac Logica exuberauerit, ueram ſcientiam habere poterit: & ut exemplo rem capias. Iuſtitia una eſt conſtans, & perpetua uoluntas unicuique ſuum tribuens ius; ſi igitur iuſtitia in uniuerſali, & in ſe conſiderata fuerit, ſemper idem manebit, ac talis definitio omni tempore eidem condecens erit: uerum ſi hæc in particulari animaduerſa fuerit, utpote in Petro, uel in Martino ſemper idem non erit, unde firma ſcientia de ipſa non continget, cum reſpectu Petri, ac Martini mutabilis ſit: quia nunc etſi iuſtitia in Petro ſit una conſtans, non tamen erit perpetua cum ipſi uoluntas fuerit ius ſuum Ioanni, & non Paulo tribuendi: quare patet iuſtitiam in particulari, & reſpectiuè cõſideratam, contingentẽ ac mutabilem eſſe, ideo tunc de ipſa ſcientia eſſe non poteſt.

Iuſtitia quomodo ſit contingẽs.

Affabrè,

Ca. Affabrè, ita viuam hucuſque omnia tractaſti.

Ph. Nunc igitur talē ſermonē intermittamus, ac de Theologia aliquid dicamus, cuius ſtudium proſequi noluiſti, quia ad viros ſacros, non ad nos pertinet: equidē circa iſtud mens tua valde decipitur iuxta illud Matth. *Primū quærite regnum Dei*, & quæ ſequūtur, ideo Theologia neceſſaria eſt cuilibet Chriſtiano vltra alias ſcientias ab eo naturaliter inuentas, quod voluit Sanctus Doctor.

Cap. 6. Theologia neceſſaria eſt Chriſtiano prima parte, q. 1. art. 1.

Ca. Porro Sancti Doctoris ſententiæ, ac dictis Matthæi fidē adhibeo: ideo alia ad inſtitutum noſtrum conuenientia ſequitor.

Ph. Hoc loco monſtrandum eſſet Medicos maiori dignitate, quam Iuriſtas eſſe conſtitutos: quod ex probatis concedi poſſet.

Ca. Sanè permulta dicta fuerunt, quæ hoc idem concludere poſſunt; ſed quæſo ne graueris declarare, cur Iuriſtæ primū, Medici ſecundum vbique habeant locum, cum (vt ais) Medici ipſi maiori dignitate, quam Iuriſtæ ſint conſtituti: ſignum enim loci primi econtrario rē eſſe oſtendere videtur.

Ph. Non grauabor, faciam ita, vt vis; quare ſcito, quod quāuis Iuriſtæ partem dexteram occupent, nihilominus maiorem dignitatem non habent, etſi ſiniſtrorſum manerent: nam locus cum ſit accidens ad quantitatem pertinens, non poteſt aliquam inferre dignitatem, cū qualitatis expers ſit; quia cum dignitas ſit accidens ſpectans ad qualitatem, & cum locus ex ſe omni careat qualitate, nequit vllam dignitatem afferre; nemo enim dat, quod ſibi ipſi deeſt.

PRIMVS LOCVS nullā affert dignitatem.

Ca. Apparet; ſed clarius iſtud exponito.

Ph. Apud omnes conceſſum eſt dignitatem e virtutibus, non è loco emanare; immo quod locus ab homine nobilitari ſolet, vt à Plutarcho Memoriæ proditum eſt, *curandum enim non eſt quo loco, aut poſt quos collocemur*, vt exemplo Aryſtippi, quod ſcripſit Diogenes Laertius; nempe Dioniſius ob quoddam Aryſtippi reſponſum indignatus iuſſit eū locum infimum accumbere; Aryſtippus tamen nihil ob id offenſus dixit, Dioniſius hunc locum illuſtrem, honorificumque reddere voluit. hoc idem legitur de Damonide apud Plutarchum, quo vltimo loco Chori ab ordinante Chorum conſtituto, hęc verba protulit. *Laudo te Chorage, qui ratio-*

Dignitas ex virtutibus.
In ſeptem Sapien. cōui. in uita Aryſtippi.
Aryſtipp' locum primū ſpreuit.
Plutar. in Apophth.

Damonidas vltimo poſit. *Lib. 3 Apopht.*

rationem inuẽneris, qua hunc quoque locum alioqui ignominioſum co honeſtares. Iſti igitur Philoſophi his actionibus oſtendunt (vt notat Paulus Manutius de Aryſtippo) quod locus nõ derogat hominis dignitati, verùm ex dignitate hominis quid honoris addi loco: ideo cõcluſio noſtræ orationis ſit, quod D. Iuriſtæ nullam habent dignitatem a loco primo, immo quod locus ipſe eorum dignitati euidenter derogat.

Ca. Cur iſtud? quid mali faciunt, etſi primum occupent locum, cum hunc ipſis conuenire exiſtiment?

Primus locus derogat dignitati Iuriſtarum.

Ph. Derogat eorum dignitati, quia iniuſtè ipſum, ubi poſsũt, arripiunt, ideo qui iniuſtè alienum vſurpãt, iniuſtum faciũt, vnde ſequitur, quod honoris expertes ſint.

Ca. Quis ait, à Iuriſtis iniuſtè primum locum occupari? vel qua ratione iſtud aſſeris?

Iuriſtæ non habent ſententiam pro precedẽtia

Ph. Ea, qua euidens eſt nullam pro ipſis adeſſe ſententiã, nullumque decretum, nullamque legem vnquam ſcriptam fuiſſe.

Ca. Si fortè aliquo tempore aliqua ſententia ad eorum fauorem pronunciata fuiſſet, ne iuſtè locum ipſum tenerent?

Ph. Equidem, ſi iuſtè à competenti iudice lata fuiſſet, & rationibus conſtituta; ſed vbi eſt talis ſententia? qualisnam iudex eam protulit; quia ſi Iuriſta, varia, & nullius momenti eſt.

Ca. Cur ſententia ab optimo Iuriſta pronunciata non eſt approbanda? atque à Medicis ipſis humiliter admittenda?

Non licet uicem gerere iudicis, & partis. l. generali C. ne quis in cã. 2. de aia. cap. de ſenſu cõi.

Ph. Quia præter id, quod nemini licet uicem gerere Iudicis, & partis: vel ſibi ipſi iudicem eſſe: vt legibus ſtatutum fuit. additur etiam, quod talis iudex pro hac actione ineptus fuiſſet, cum quid ſit philoſophia, ac medicina neſciuiſſet; nemo enim (vt ait Ariſt.) diſcrimen inter duo ponere poteſt, niſi ea duo agnoſcat; cui addi poteſt, quod iſtud eſſet ius ſibi facere, quod non decet per legem ſupra allegatam. Si igitur nulla adeſt ſententia nullumque decretum pro eis: quo iure locum primum occupant?

Non adeſt cõſuetudo precedẽtie pro iuriſtis

Ca. Ex conſuetudine id ſaltim faciunt.

Ph. Nulla adeſt conſuetudo, ſi rem optimè perpendes; idq; monſtrabo.

Ca. Quæ ais, facito.

Prima

h. Prima ratio eſt,quia iuriſtæ non ſemper primum locum occupant,ſed ſæpe cedũt, vel confusè ambulant: ne forſan Genuæ pari dignitate Medici,& Iuriſtæ fruuntur?cum vtraque pars ad ſenatoriam dignitatẽ admittatur. vnde Raphael Merellus Medicus tali dignitate elapſis annis fũctus fuit, ante quem multi alij Medici ipſius Senatus Principes fuerunt, idque neminem latet,immò octo principatu perfũcti ſunt, vt memoriæ proditum eſt apud eoſdem ligures: ideò nullã habent conſuetudinem,verùm ilicubi ſolum quandam occupationem,vel detentionem;cum Philoſophorum,ac Medicorum vbique conſenſus defuerit. quis,dicant, aſſenſus fuit huic detẽtioni?nemo equidem; ne forſan quotidie hoc idem inter vtriuſque profeſsionis ſtudentes contendere videmus? itidem & inter Doctores armis,nedũ verbis? & potiſsimum iſtud ſæpe Patauij contigiſſe viſum eſt: ideo vbi eorum multitudine dominium habent,hanc detentionem tenent;quæ nullo modo cônſuetudo vocanda eſt,cum ſæpe cedant,vel confusè ambulent, vt Bononiæ citra præiudiciũ Medicorum ſtatutum fuit; ideò, quia Medici,ſiue Philoſophi nunquam eidem detentioni, nec tacitè,nec expreſsè aſſenſerunt, nullam conſuetudinem habent. meis autem verbis leges ipſę aſtipulatæ fuerunt,vbi legitur. *Conſuetudo eſt poſſeſſio longiſſima tempore tacito conſenſu primorum poßeßorum comprobata.*

IVRISTæ non habẽt conſuetudinem de præcedẽtia

Inſt. Ciui. Rub. de iure naturali, & gen. §. ex non ſcripto.

Ca. Quo teſtimonio oſtẽdes Antiquiores Philoſophos, Medicoſque nunq̃ huic Iuriſtarum detentioni aſſenſos fuiſſe?

Ph. Teſtimonio rationis,quia etſi veteres Philoſophi,ac Medici ſilentes locum conceſſiſſent, attamen huius futurique temporis Philoſophis,Mediciſque præiudicium inferre non potuiſſent;cum antiquitus Medicis prçcedentia data fuerit, nedum,inquam,ab hominibus,verùm à Deo ipſo: hæcque tamquam fideicommiſsum perpetuum in poſteros continuandum.

Præcedentia antiquitus Medicis data fuit.

Ca. Hercle pulchrum auditu iſtud erit, ſi aliquo modo à te comprobatum fuerit.

Ph. Quæ dixi,ordinatim monſtrabo. ideo primũ probamus detẽtionem primi loci Iuriſtarum Medicis,aut Philoſophis, tum præſentibus, tum futuris nullum præiudicium afferre potuiſſe:cum Medici, ac Philoſophi ſuccedant in dignitate

tam-

Fideicommiſſarijs à maioribus non ſit præiudicium.

tamquam fideicommiſsarij, non vti ſimpliciter ſucceſſores; quare cum ſolum habentibus ſimplicem ſucceſſionē, non fideicommiſsariis à maioribus fieri poſsit prçiudicium, cum bona libera fuerint, non fideicommiſso obnoxia. hinc hucuſque, nec à Iuriſtis nec à Medicis præmortuis factum fuiſse præiudicium Medicis præſentibus, aut futuris clarum eſt; cum munus iſtud maioribus noſtris minime liberum datum fuerit, ſed tamquam fideicommiſsum in poſteros cō tinuandum, ut ſupra aſsertum fuit.

Dignitas medicis data fuit in poſteros cō tinuanda.

Ca. Pro confirmatione dictorum, ne habes aliquam legem, qua ꝑbari poſsit fideicōmiſsarijs numq̃ fieri poſse p̄iudiciū?

Ph. Multas, inter quas pro nunc l. ſi duobus, vel tribus ſuffiat; ideò ſi D. Iuriſtæ locum primum habent, Medicis ipsū reſtituant, cum iniuſtè abſque ſententia ipſum retineāt; nec apud ipſos conſuetudo vlla valeat, quia ex non ſcripto ius ſolum venit, quod vſus comprobauit. vt in ciuil. inſt. vnuſquiſque legere poterit. Medici autem ius ſcriptum habent.

§ ſin autē C. commū. de leg. & fideic.

Vbi ius ſcriptū conſuetudo nō ualet. §. ex nō ſcripto.

Ca. Quid ais? nundum iſtud audiui ubi tale ius ſcriptum habent? dic, quia breui quæſtio terminata erit.

Ph. Antequam hinc proficiſcamur illud clarè intelliges, nūc tamen vltra allegatas rationes verba legis perpendito, quæ incipit, *Medicos*, in qua Imperator mentionem faciens de artium profeſsoribus anteponit Medicos Legū Doctoribus, cum prius de Medicis, poſtea de Iuriſtis, verba faciat. prætetea Baldus clarè ait. magis fauendum eſse Medicis, quàm Aduocatis. his additur illud, quod in Decretis Canonicis legitur, vbi apertè habetur Medicos Iuriſtis eſse digniores.

MEDICI IVS ſcriptū habent.

l. Medicos C. de ꝓfeſſ. lib. x.

Medici anteponūtur Iuriſtis.

L. 1. col. 2. c. mand. c. non ſane q. 5. cauſa 14.

Ca. Verba legum minime ſilentio inuoluito, ut tibi maior fides adhibenda ſit.

Ph. Quæ ſcripta ſunt ad vnguem paulopoſt referam, eaque exponam: interim quę dicat Cicero, non pergamus, *In Republica Romana eloquentes primū tenebant locum, ſecundum iuriſprudentes.* Per eloquentem verò nil aliud intellexit, quàm philoſophum; hocque ab eodem memoriæ traditum fuit, dum eloquentem Philoſophum eſse ab initio Oratoris mōſtrauit: ex quibus perſpicuum eſt, quod Philoſophi primum, iuriſprudentes ſecundum in Republica Romana habebāt locum. Sed D. Iuriſtæ legant Textus Ciuiles, & luce clarius Medicorum dignitatem cognoſcent.

In Oratore eloquens ī Rep. Rom. præcedebat Iuriſprudentem.

Vbi

Ca. Vbi ſunt huiuſmodi Textus Ciuiles?

Ph. Codex de Comitibus,& Archiatris vnus eſt,vbi legitur, quod Medici Principum Vicarios,Duceſque, nedum Iuriſtas dignitate præcedere poſſunt;idque ob eorum ſapiētiam conceſſum fuiſse ſcies;hoc idem ab expoſitione Nicolai de Lyra ſuper eccleſiaſtico habebis, qui aſſerit poſt Religioſos Medicos eſse honorandos.hęc autem omnia, & alia, vt iam dixi,antequam hinc diſcedamus diffuſius explicabo;quia legibus ipſis Medicos Iuriſtis eſse nobiliores monſtrabo;nunc tamen ſatis patere mihi videtur,quod D.Iuriſtæ id,quod ſibi non conuenit,occupant,iſtudque ſignum euidens eſt ipſos dignitatibus eſse orbatos,cum alienum iniuſtè arripiant. Horum profectò errorem oſtendit Plato,dum mōſtrat ignarum,indoctumque eſſe uolentem honore alteri præferri, cū id ſe ipſum non deceat.

L. vnica, C. de Comitibus, & Archiatris Medici magna dignitas. Eccl. c. 38.

2. de Rep.

Ca. Qua ratione id Plato probat?

Ph. Tali argumento. *Doctus eſt ſapiens,& ſapiens eſt bonus, ergo doctus eſt bonus* (quia quæ vni tertio conueniunt,ēt inter ſe idē ſunt) *Si igitur doctus eſt bonus.non plus,quàm ſibi conuenit, exoptat, quia bonus eſt;at indoctus cum docto ſit contrarius,neceſſario ex dictis eſt malus:ideò cum malus ſit,plus ſibi arrogat ſimili,atque diſſimili; quia ita vult,cum ſit malus docto contrarius:* Similibus igitur verbis cum Plato rem probet.patet, quod qui occupant alienū mali ſunt,& quod ſequitur indocti,ſi vim argumēti capias. Vnde ſi D.Iuriſtæ hoc faciunt,indocti ſecundum Platonem dici poterunt.

Iuriſtę locum Medicorum occupātes indocti dici poſſunt.

Ca. Sile quæſo,cum ſatis, abundeque hucuſque de his verba feceris.

Ph. Multa Calophile pro Medicorum præcedentia deinceps erunt dicenda,antequam tamen ad probandam veritatem me conuertam;opus eſt aliquibus obiectionibus à Tiraquello perperàm adductis reſpondere,cum minime ſatis eſſe putem,ab ipſo plurimas reſponſiones pro dictarum obiectionum ſolutione allatas fuiſse; quandoquidem leues, ac minime ſufficientes à me iudicatæ fuere:adeò præcipuis ſatisfaciam,ut magis Medicorum nobilitas, ac præcedentia eluceat.

lib. de Nobilitate.

Ca. Prudenter cogitas Philalethes,quare,vt vis,fac.

Ph. Scito igitur,quod inter eos, qui aduerſus Medicorū nobilitatem

Tiraq. ſub tiliori modo, q̃ cæteri ſcripſit aduerſus Medicos.

bilitatem ſcripſerunt, vnus fuit Tiraquellus, qui nedum ele gãtius, verùm perſpicaciori modo, quàm cæteri, omnia, quę contra Medicos adduci poſſũt, ſcripſit. Hinc ergo, quæ ab eo proponuntur, tamquam maiori acumine allata omnibus, q̃ ab alijs adducta fuere, refellam; atque ad nihilum redigam: reliqua à cæteris Iuriſtis propoſita minime curabo, cum nihil ab eiſdem pro hac materia dictum ſit, quin ab ipſo Tiraquello ſubtiliori modo latum fuerit: ideò cum huiuſce obiectionibus pro Medicorum defenſione ſatis reſponſum fuerit; ad noſtri ſcopi probationem me conferam.

Ca. Si Tiraquellus, quæ ab alijs dicta fuere, memoriæ prodiuit: ſuis obiectionibus reſponſa præbere ſufficiet: vt enim aiunt Philoſophi, fruſtra per plura, quæ fieri poſſunt per pauciora.

Lib. de Nobi it. c. 31. ab initio uſque ad finem.

Ph. Auribus, intentoque animo adeſto, vt quæ dicam, intelligas. Cum igitur Tiraquellus pro Medicorum honore multa dixiſſet, omnes obiectiones, ac argumẽta, quæ (vt ipſe ait) cõtra Medicorum dignitatem afferri, ac dici poſſunt, ſcribit; eaque tueri nititur; & quãuis, vt iam dixi, ſolutiones aliquas prȩcipuarum obiectionum poſt dicta pro Medicis attuliſſet; ego tamen ſubtiliori via, ac efficacioribus rationibus omnia ſua argumenta, omneſque falſas obiectiones confutabo: ut magis, ac magis veritas appareat: & ut nugæ Aduerſariorum perſpectæ ab omnibus habeantur: minus tamen præcipuis, vel partim earum omiſſis, cum nullum vigorem habeant; quibus ſatisfactum eſſe per ea, quæ dicta ſunt, ac infra dicenda exiſtimabo: Si autem tu, vel aliquis Iuriſtarum ſolutiones particulariores exoptabit, iſtud efficere nobis minime difficile erit.

Lib. de Nobil c. 31. in num 360 361. et 362 RESPON. PRO Medicis contra obiect. aduerſ.

Pan. in c. cæterũ. col. 2. ver. venio ad glo.

Ca. Ne nimiũ prolixus ſermo noſter euadat, vt dicis, facito.

Ph. Sic rem tractandam eſſe cenſeo: verùm quia idem Tiraquellus dùm Medicos laudat, incipit vereri, an Medici Iuriſtis ſint nobiliores, atq; probare uidetur eos Medicis digniores eſſe, idq; aliquibus friuolis rationibus, vel auctoritatibus perperam ab eo intellectis, quæ imprimis ſunt confutandæ. quare primo loco auctoritate Panor. aliquorumque Legum Doctorum probat Iuriſtas circa animam, Medicos circa corpus verſari: vnde à ſubiecti nobilitate concludit Iuriſtas Medicis eſſe nobiliores, cum nobilius ſit de anima, quã de cor-

pore

pore agere: hoc idem Ariſtotelis auctoritate affirmare nititur, vbi Ariſtoteles habet, quod ciuilis diſciplina eſt nobilior, quàm medicina, cum eam tractantes de anima agere teneantur. *1. Ethicor. cap. vlt.*

Ca. His ſatisfac auctoritatibus, ne multitudine confuſio excitetur.

Ph. Satisfactum fore exiſtimo, ſi Iuriſtarum dicta, vti falſa, negauero, ratio neganimus eſt, quia in eorum libris ne verbum quidem de anima ſcriptum reperitur; nec Iuriſtam inuenies, qui de anima agere ſciat, vt quotidiana experientia cõprobari poteſt: immò circa talem materiam tanta eſt eorum imperitia; quod nedũ quid ſit anima, verùm nec quid, nec quales ſint eius virtutes, ac potentiæ ſciunt, de quibus, non de ipſa anima ſui Doctores intelligebant, dicentes Iuriſtas aliquid de anima ſcire neceſſum eſſe; & optimè, cum virtutum, vitiorumque animæ cognitio ad Ciuitatis, ac Reipublicæ regimen multi faciat: namq; niſi Gubernatores, Conſules, Proconſules, huiuſmodique alij agnoſcant quid iuſtitia, quid Temperantia, quid Magnanimitas, fides, ac quid ſimiles ſint animi virtutes cũ ſuis contrarijs (de quibus Ariſtoteles decẽ præcipuos libros ſcripſit) rectè regere nequeũt. noſtri autem Iuriſtę non ſunt de illis, atque ſi non credis, teſtis inter nos experiẽtia ſit. ideo primi dubij ſolutio hęc ſit. *Iuriſtæ neſciunt agere de anima.* *Cognitio virtutũ ac vitiorũ cõducit ad ciuitatis regimen. Lib. Ethic.*

Ca. Quid ad Ariſtotelis auctoritatem ais? vbi habet, quod ciuilis facultas eſt nobilior, quàm medicina. *1. Ethicor. cap. vlt.*

Ph. Eidem cum Euſtratio, ac Auerroe reſpondeo, quod ibi Ariſt. non loquitur de Iuriſtis, ſed pro ciuili facultate intelligit Legislatoriam, locoque ciuilium hominum explicari debent Legislatores: vt idem Ariſt. ibi declarauit; quare ibi nullo modo ſermonem habet de Iuriſtis, & priuatim noſtri temporis; ſed de Legislatoribus, qui ciuiles appellabantur homines; quia ciuilem facultatem ſectabantur; atque iſti erant Philoſophi, vt fuit Minos, atque Licurgus: quorum alter Cretenſium, alter Lacędemoniorum Legislator fuit: ideo huiuſmodi hominibus talis dignitas aſcripta fuit ab eodem Ariſtotele, qui potius philoſophiam, qua imbuti erãt, quàm ciuilem actionem aſpexit; Quare nullo modo verba de Iuriſtis, aut Iuriſconſultis facere voluit, ſed de Legislatoribus: vt Auerroes optimè exponit. patet igitur, quod non *In com. eiuſdẽ loci Ethicorũ cap. vlt.* *Reſponſio p Medicis.* *In Cõmentario.*

D. Iuriſtæ, ſed Medici ſunt illi, qui de anima ſcientiam habent; vt probatum fuit; non quidem ſecundario, vt ait Tiraq. ſed primario, ac eſſentialiter: quia Medici quid ſit anima quærunt, ac demonſtratiuè de ipſa cognitionem habẽt; vt videre eſt in libris Ariſtotelis de Anima, & apud expoſitores talis materiæ; Legislatores quidem ſecundario ipſam agnoſcunt, cum quid ſit ea, non quærant, ſed Iuriſtæ nullo modo de ipſa tractant: vnde ex his veritatem rei ſatis perſpicuam eſſe arbitror; quæ confirmari poteſt auctoritate Alberti Gandini.

Tit. de aliquib. qſt. var. col. penul. q. inſuper.

Ca. Quid contra Iuriſtas ait iſte; quippe qui optimus, ac celeberimus fuit Iuriſconſultus.

Ph. Hic à veritate minimè abfuit, cum probauerit Medicos Iuriſtis eſſe præferendos, hisque omnibus Theologos; ratio ſua fuit, quia Iuriſtæ de rebus inanimatis, Medici de corpore animato, ac Theologi de ipſa anima agunt: ideo à rerũ tractandarum nobilitate allatam concluſionem probauit.

Alb. Gandinus probat Medicos Iuriſtis eſſe nobiliores.

Ca. Porrò melius fuiſſet pro Iuriſtarum honore Tiraquellum ſiliſſe.

Ph. Equidem, ſed alias Tiraq. obiectiones proponamus, & primo vbi habet, quod Iuriſtę bona publica, & priuata defendunt, quá actione medicos antecellere debent, itidem quod hominum vitam tutantur, à morteque ſæpè liberant: pro cuius probatione adducit l. aduocati, quæ nihil ad rem facit; cum ſolùm à lege habeatur, quod aduocati bona publica, & priuata defendendo, non ſunt minus vtilitatis, quàm ſi prælijs patriam, parentesque defenderent; quæ verba nihil contra Medicos concludunt; ideo Tiraquellus Logicæ imperitus indecentem concluſionem effecit, cum dixerit aduocati bona publica defendunt, ac priuata: ergo Medicos antecellere debent. quid ais? ne eſt ridicula talis conſequentia?

In num. 363. c. 31.

C. de aduocatis diuer. iudicum. l. aduocati lex addu cta nihil cõtra Medicos facit.

Ca. Profectò ſic res ſe habet; cum ratio contra ſit, ac præallegatus Albertus Gandinus, cuius verbis obſtupeo.

Ph. Sed audi, quam gloriam, ac honorem Iuriſtæ nanciſcũtur, dum bona publica, ac priuata defendunt: ne, vt iſtud efficiant; ſunt vel duo, vel plures? quorum aliqui affirmatiuam, aliqui negatiuam partem rei iudicandæ tenent, ac defendunt?

Ca. Neceſſario id fieri debet.

Si res

Ph. Si res hoc modo contingit, ne ſemper aliqui iuſtum, & aliqui iniuſtum defendunt?

Ca. Quis ambigit?

Ph. Concludamus igitur, quod iniuſtum defendentes ignari, vel iniuſti ſunt: quoquomodo res ſit ignominia eſt; & forſan hanc ob cauſam à legibus habetur, quod officium procuratoris eſt vile. nec quis ſe excuſare poteſt dicēs, ego ſemper iuſtum defendo, quia experientia aliter docet, cum modo fauorabiles, modo contrarias ſententias habeant: cumq; nunquam iniuſtum tueri dixerint, Iudices iniquos eſſe fateri opus eſſet, cum contra eorum patrocinium ſententias ſæpè ferant; ſed ne tam inconueniens ſequatur, licet interdū id contingat, dicamus Dominos Iuriſtas iniuſtum tuentes, vel imperitos, vel iniuſtos eſſe: quo morbo omnes patrocinium litium ſuſcipientes affectos eſſe iure aſſerendum.

Iuriſtæ ſæpè vel imperiti, vel iniuſti.

Ca. Hèm quid Medici, quidque Philoſophi faciunt?

Ph. Diſputant interdum Medici, ſæpèque Philoſophi, quorum diſſentiones licitæ, ac laudabiles ſunt, tum quia animi gratia vt plurimū, tū ēt quia finis optimus; ac honorabilis eſt: cum ex arduis, ac difficilibus veritatem euellere oēs cōſpirent; ideo tales controuerſię in alterius detrimentum nūquam contingunt; cum bona vnius minimè arripiant, vt ea alteri tribuant. quod ſæpè Iuriſtæ faciunt, dum ſuis cautelis, ac vociferationibus iniuſtum tueri, ac defendere enituntur.

Quęſtiones Medicorū honorificę.

Diſſenſiones Philoſophorū ac Medicorū nemini obſunt.

Ca. Forſan legum difficultas eos cogit, vt neſcientes iniuſtum defendant.

Ph. Leges Calophile intellectu minimè ſunt difficiles, vtpote quæ, vt ſonant intelligi debent; cumq; id fieri, vt ais, quia leges non intelligunt, dicerent: imperiti, ac doctoratus indigni eſſent vocandi: Medici igitur, ac Philoſophi cum circa ardua ac intellectu difficilia tractent, vt ſupra probaui, inter ipſos diſſenſiones exoriri non eſt inconueniēs, quas tamen vna die, & ſæpè vna hora ad finem redigunt quæ vero à Iuriſtis diſputantur decem, ac viginti annos perdurare ſolent: iſtudque magno vitio affectum eſſe neceſſe eſt; vnde vel tales ignari, vel iniuſti ſunt.

Inter Medicos diſſenſiones oriri licet.

Quæſtiones Medicorū vna hora. Iuriſtarū diu perdurant.

Ca. Idem de Medicis, ac Philoſophis eſt aſſerendum; cum de vnaquaque re diſcordes ſint.

Ph. Minimè, quia Philoſophi etſi veritatem agnoſcant, eam

tamen ſubtiliori via probare enituntur, uarijsque rationibus id faciunt: ſi autem contingat diuerſos diuerſas habere opiniones; cum iſtud nec Petro, nec Martino obeſſe poſſit: quamuis ad oſtentationem id velint, actio tamen honorifica, ac laudabilis eſt.

Medicorũ diſſensiones ægrotos interimere. eſt vulgi opinio.

Ca. Immò in illaudabilis, cum Medici ipſi ſuis cõtrouerſijs ſæpè ægrotos interimant.

Ph. Hæc vulgi opinio eſt, cum, etſi inter ſe diſputent, ſemper iuſtum defendant: quia omnes ad eundem finem conſpirant.

Ca. Quomodo iſtud fieri poteſt, cum vnus venam ſecare, alter aluum lenire velit; è qua diſſenſione vel ignorantia, vel eorum peruerſa uoluntas elici poteſt.

Ph. Dic quæſo, quid iuſtius eſt, tueri morbum, vel naturam? morbus quidem naturæ inimicus eſt; ideo inter ſe pugnant, ac magni conflictus ſæpè ab vtraque parte ſuccedunt.

Ca. Conſeruare naturam, ac morbum ſternere iuſtius eſt.

Medici etſi diſcordes omnes ad idem cõſpirant.

Ph. Si igitur Medici, etſi diſcordes, omnes ad tuendam naturam opera ſua dirigant, ne iuſti erant?

Ca. Profecto, ſed qua via id accidit, cum ſępè contraria auxilia ægroto præbere velint? quorum aliud morbum, aliud naturam iuuare opus eſt, cum contraria ſint.

Ph. Audi Calophile, ſi inimicus enſe punctim in Ventre te peteret, quomodo ictum, ne tibi offenſioni eſſet, inhiberes?

Ca. Meo gladio eius enſem ſurſum erigendo, meque ocyſſimè ad ſiniſtram amouens, ac eodem tempore ipſum inimicum punctim, vel cęſim circa collum feriens.

Ph. Ne alio modo ictum interdicere ſcires?

Ca. Quidni? ſi contrario modo me gererem, nempe gladio meo alterum deprimendo, meque itidem ad ſiniſtram velociter deferens, ac confeſtim in coxa punctim, uel cæſim eum vulnerans.

Motibus cõtrarijs eadem ratio.

Ph. Quid Calophile? igitur motibus contrarijs ab enſe inimici te defendere, ſimulque eum ferire poſſes?

Ca. Cur mireris, etſi motibus contrarijs id contingat, cum uno modo collum, alio modo coxam vulnere afficere ſtudeam.

Remedia Medicorũ contraria

Ph. Ex his igtiur ſtatuere poſſumus, quod etſi Medicorum inter ſe diſputantium aliqui ſanguinem mittere, alijq; pur-

gans

gans medicamentum exhibere uelint: id tamen inconueniens, non poteſt, cum omnes ad eundem finem tendant, nempe ad morbum propulſandum. Verùm cum id accidere non poſſit, niſi morbi ictus, hoc eſt ſymptomata varia inhibendo, ac ſimul morbum ipſum feriendo: idque cum pluribus in partibus fieri opus ſit; alij prius in coxa alijque in collo, poſtea in coxa morbum ipſum vulnere afficere malunt: quapropter multis rationibus perpendunt, an tutius hic, quàm illic ipſum percutere prius expediat: quod reuera iniuſtum non eſt, cum vtraque pars Medicorum, vt iam dixi, ad idem, ſcilicet ad profligandum morbum conſpirent; ideo eorum quæſtiones honorificæ ſunt, cum nemini detrimento eſſe poſſint. *idem tendunt.* *Deffenſiones Medicorum non iniuſte.*

Ca. Perbelle, ita viuam, rem pro Medicis tractaſti, ſed ne aliqui medici inueniuntur, qui ignari, ac alij, qui maligni ſunt? iſtud etenim ſępè ab eiſdem medicis audiui.

Ph. Immò multi huius generis adinueniri poterunt, veluti etiam Iuriſtarum quamplures. *Multi Medici ac Iuriſtę ignari.*

Ca. Ergo inter ſe æquales, cum ab vtraque parte docti, & indocti, iuſti, & iniuſti reperiri poſſint.

Ph. De particularibus ſermo meus nunquam fuit, qua via impoſſibile eſſet decernere, an iſti, vel illi eſſent honorabiliores: cum particularium ſcientia nō ſit, vt alias audiuiſti; ideo in vniuerſali ſemper verba feci, in futurumque faciam.

Ca. His igitur relictis ad rem noſtram proficiſcamur; videamusque, an Iuriſtæ Medicis ſint nobiliores, cum hominum vitam defendant: quod à Tiraq. loco citato fuit propoſitū, ac tali actione Iuriſtas Medicis nobiliores eſſe ſtatutum.

Ph. Equidem Tiraquellum miror; quia ſi Iuriſtæ vitam hominum tueantur quid de Medicis erit dicendum? qui huiuſmodi rem profitentur, de hac tamen re abundè tractabo, prius enim cuidam auctoritati à lege laudabili deductæ reſpondere volo, vbi habetur, quod officium aduocatorum vitæ hominum eſt neceſſarium; ideo his verbis concludere credunt D. aduerſarij aduocatos Medicis eſſe nobiliores; aiunt enim, eorum officium eſt neceſſarium, ergo Medicis ſunt nobiliores. *Medici magis defendunt hominum vitā, quàm aduocati.* *C. tit. ſeq.*

Ca. Etiam Medicorum officium naturæ humanæ eſt neceſſarium.

Neceſſitas operis non nobilitat.

Ph. Neceſſitas rei nobilitatem perſonæ nunquàm conclude re pōt,qa ſi ex neceſſitate operis, uel actionis nobilitas ema naret;quid de Agricolis eſſet excogitandū?quippe qui omniū hominū nobiliſſimi eſſent, cum horū opus tàm ſit neceſſarium, quàm quod neceſſariſſimum: vt à ſacris literis clarè intelligi poteſt; vbi ſcriptum inuenitur. *in laboribus comedes ex ea cunctis diebus uitæ tuæ.* Quare nedum neceſſitas nobilitatem non producit, verùm quo magis res homini neceſſaria apparet,interdum ignobilior fit,cuius ratio eſt,quia ſi res neceſſaria ſit, propter ſe expeti non ſolet, ſed propter neceſſitatem: verùm nobilius eſt id, quòd propter ſe expetitur,quàm quod propter aliquid deſideratur: vt doctè oſtēdit Euſtratius.

Opus agricolarū cęteris eſt magis neceſſarium.

in Gen.c.3.

1.Eth.c.5.

Ca. Cur nobilius eſt id,quod propter ſe expetitur?

Res propter ſe expetenda nobilior eſt altera.

Ph. Quia quod propter ſe expetitur, non propter aliud, ex ſui natura bonum eſt,veluti eſt Deus Optimus Maximus, qui propter ſui bonitatem,potentiam,ac ſapientiam amabilis,ac deſiderabilis eſt,fruibiliſque;quæ vero in mundo ſunt, & ipſe mundus propter aliud deſideratur, hoc eſt propter noſtras neceſſitates, vel quia à Deo: ex quo concipi poteſt, quod per ſe mundus amabilis non ſit, quia niſi corpus nutriendi homo neceſſitatem haberet, in ſui ſudore non exoptaret panem, aliaque ad victum, & veſtitum ſpectantia: Quare ex his fateri oportet Iuriſtarum argumentum nihil valere,immò cōtra ſuam æſtimationem adductū fuiſſe.

Ca. Hæc dicta ſufficiant,vt reliqua diluere queas.

Lib.& c.citato.in nu. 381.

Ph. Seriem ipſius Tiraquelli ſequamur, qui nititur probare aduocatos vitam hominum defendere, cum bona defendant,tum reos à morte liberent:quorum actione putat Medicis eſſe nobiliores, quę concluſio, ita viuam, ridicula eſt; quandoquidem gloriantur de iniuſta actione;quis enim neſcit? quod iniuſtum eſt reos tueri.

Ca. Quid ais Philalethes? res ita non eſt, quia cum dicant reos defendere, intelligi debent illi, qui pro reis habētur,& tamen huiuſmodi non ſunt.

Ph. Ne ſuperflua dicere videar, audi rationem.cum pro aliquo D.Iuriſtæ patrocinium ſuſcipiant,hic vel reus,vel innocens eſſe debet: quid reſpondis?

Rationes cōtra argumētum iuriſtarum.

Ca. Ita res eſt.

Si

Ph. Si reus eſt,nè iniuſtè ipſum defendunt? cum ex legibus puniri debeat.

Ca. Confirmo,ſi id ſciunt.

Ph. Vel ſciunt,vel non:ſi ſciunt ipſum eſſe reū male agunt, ſi neſciunt, quid dicemus? niſi quod ignotum defendunt, iſtudque quàm deteſtabile ſit, tu animaduertito, quia cum cauſa eiſdem ignota ſit,impoſſibile eſt eam rectè agi poſſe.

Ca. Videtur.

Ph. Si autem innocens eſt,cuius cauſam agunt; quid dicendum ex? profectò homo innocens nullo indiget auxilio; quia qui bonus eſt, per ſe ipſum defenditur; vt ex quadam epiſtola Diogenis Philoſophi haberi poteſt;idque cum coram iudice non contingat abſque vllo alio patrocinio,iudex vel negligens, vel expers charitatis,vel iniquus videretur,cū Iuriſta ſit,aptuſque ad innocentis cauſam cognoſcendam.

Ca. Subtilis hercle hæc ſpeculatio eſt.

Ph. Eam tamen dimittamus,& iterum dicamus, ſi D. Iuriſtæ vitam hominum defendunt, quid Medici faciunt? ne forſan Regum,Imperatorum,aliorumque Principum, nedum priuatorum hominum vitam tutantur, conſeruant,ac à morte ſępè liberant, idque rationali doctrina, non nugis faciunt,tanquam garruli.

Ca. Vtcumque res ſit,horum vtraque pars idem facit.

Ph. Sed dic, quales defendunt Iuriſtæ? nè fortaſis latrones, manticularios,ac huius generis alios?

Ca. ita fatendum eſt,vel eorum interdum, qui iniuſtè accuſati fuerunt.

Ph. Igitur D. Iuriſtæ malos homines, vel interdum eos,qui huius generis creduntur,defendunt: idque verbis,vt quamplures,per fas,& nefas faciunt: Medici autem grauiſſimorū virorum,magnorumque Principum,nedum vulgarium hominum vitam defendunt,conſeruantque, ac à morte ſæpè, ac ſæpius eos liberant; iſtudque ratione, & methodo efficiunt: vnde ſacræ literę de ipſis loquentes aiunt. *Altiſſimus dedit ſcientiam hominibus honorari in mirabilibus ſuis*,pergo,quod Medici per ſe,ac eſſentialiter hominum vitam temperamēta corporis imuttando à morte liberant, Iuriſtæ autem accidentaliter id faciunt: cum nullam rationē de humano corpore habeant; cum ſolummodo delictum reſpiciant, cuius

Iniuſtū eſt reos defendere.

Ignotū defendere deteſtabile.

Innocens nullo auxilio eget.

Ad Mouenum.

Quales homines defendunt Iuriſtæ, & quales Medici, et modus.

Eccl. c.38. Medici liberant homines à morte, & qua via iuriſtæ.

cauſa homo mori debet: Sileo, quod quamplures, ne omnes dicam, cum occaſio eis præbeatur, nedum vitam hominum defendunt verùm eidem prorſus aduerſantur, licet occultè, cum dedecus eſſe ſciant; ideo clientibus capitula, interrogatoria multaque conſilia manu incognita ſcripta contra hominem vitam præbent.

Aliqui Iuriſtę contra hominũ uitam patrocinium ſuſcipiunt.

Ca. Vereor, malè tamen agunt; ſed ne à primo inſtituto proficiſcamur, cur Medici ſe ipſos à morte non liberant? cum iſtud opus, vt ais, ad ipſos ſpectet? porrò mortem irreparabilum eſſe ſæpe audiui, nullumque admittere remedium.

Ph. Quis neſcit? quod Medici, ad terminum vitæ poſtremum ducti ſe à morte defendere nequeunt, cuius teſtimonium Iob fuit dicens. *Dies hominis breues ſunt, numerus Menſiũ eius apud te eſt; conſtituiſti terminos eius, qui præteriri non poterunt.* Circa quæ verba ſciendum eſt, quod quamuis homo dies vitæ ſuæ ſibi aſſignatos præterire nequeat, eos tamen diminuere poteſt, ac breuiores efficere: ideo ante tempus ſibi aſſignatum aliquam ob cauſam etiam ſe interficere inopinato poteſt; Quare etſi Deus optimus (vt loco allegato Iob legitur) cuilibet homini terminum ſuum aſſignauerit, quem nemo (niſi ex particulari priuilegio, quod Ezachiæ conceſſum fuit, ſuper cuius dies Dominus quindecim annos adiecit, vt ſacræ literæ teſtantur) præterire poterit, attamen cum homini libera ſit voluntas, ne tale liberum arbitrium ab eo auferatur, fatendum & ipſum ante tempus vitæ ſuæ poſtremum ſe interficere poſſe, idque vel ſpontè operibus manifeſtis, vtpote enſe, veneno, vel huiuſmodi alijs rebus, vt nonnulli impudentes fecerunt, vel iſtud fieri poteſt præter voluntatem aliquo errore præcepta Medicorum ſpernendo, & priuatim id continget, ſi in aliqua ægritudine valde lædentia ægrotus aſſumere volet gullę indulgens, uel ſi aliũ inſignem errorem perpetraret; hoc modo igitur ante tẽpus determinatum ſibi mortem præparare poterit; quoniam etſi, vt dictum eſt, Altiſſimus terminum longiorem eidem aſſignauerit, iſtud tamen tali conditione voluit, vt medio inferiorũ cauſarum ſe gerat, nec vti Bellua vitam degat; ideo ſacræ paginæ nos admonentes aiunt. *Altiſſimus de terra creauit Medicinam, & vir prudens non abhorrebit eam.* cum igitur homo ſolum medio cauſarum inferiorum, hoc eſt Medici auxilio,

Cap. 14.

HOMINEM dies vitæ imminuere poſſe.

Deus Ezechię adiecit quindecim annos. 4. Reg. c. 20. & cap. 38. Iſa. 1.

Homo ante tempus põt ſibi mortẽ inferre.

Quã conditione dies vitę homini aſſignati ſunt. Eccl. c. 38.

xilio, ac Medicinæ præceptis vſque ad poſtremum vitæ terminum ſibi aſſignatum ſe ducere poſſit, cumque præcepta illa Medicinæ vna cum remedijs ipſi Medico tantummodò nota ſint: Hinc concipi poteſt Medicum nedum ſe ipſum verùm alios homines à morte, quæ ante tempus prædeſtinatum aliquo errore aduenire poteſt, defendere, atque liberare poſſe; morboſque vſque ad vltimum terminum vitæ homines infeſtantes depellere, itidem ſæpe, ac ſępius à talibus incommodis præſeruare: ideo ſatis patet, quomodo Medicus humano generi prodeſſe poſſit, eidemque auxilio eſſe; iſtudque negari haud poteſt, cum ſcriptum ſit. *Altiſſimus creauit Medicum propter humanæ naturæ neceſſitatem*. Vnde Cornelius Ianſenus in expoſitione verborum, quæ ibi leguntur, nempe *à Deo omnis Medela*. monſtrat Medicinam eiuſque vſum ex Dei voluntate inſtitutum fuiſſe.

Quomodo Medicus ſe alioſque à morte liberare poſſit.

in Eccl. loco citato.

Ca. Quæ dixiſti, etſi vera uideantur, attamen tua opinio, non aliorum forſan fuit; cum non facilè res intellectu ſit.

Vſu Medicinæ ex Dei voluntate.

Ph Quæ dicta ſunt, Philoſophorum, ac Medicorum ſententia fuit, qui rationibus facile probant Medicos artis ſuæ auxilio mortem retardare poſſe, hominemque ſanum ad vltimum vitæ terminum tueri; atque ne à Theologorum dogmatibus recedant, triplicem hominibus aſcribunt mortem (ómitto mortem peccati, & alteram myſticam, quæ contingit, quando quis peccato moritur, & Deo viuit, de quibus D. Ambroſius, de quarum prima ſcriptum eſt, anima quæ peccauerit, ipſa morietur, de ſecunda Apoſtolus ait. Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in morte) harum igitur trium alteram accidentariam, uel terminum vitæ accidentarium, ſiue decurtatum uocant, huiuſmodique mors ob inopinatos caſus in ſingula momēta euenire ſolet, cuius cauſa ſunt ueluti incendia, vulnera lęthalia, lapſus, naufragia, huiuſmodique ſimilia. Alteram vero terminum naturalem vitæ appellant, hæcque longiori, uel breuiori tempore accidere ſolet pro corporis temperamēti ratione; ideo corpore cōſeruato, ac inſtaurato eo modo, quo ratio exigit, mors retardari poteſt; etenim cum uitæ principium calido, & humido fuerit conſtitutum, ac finis ſicco, frigidoque prçditus ſit: ſi bonum, atque conueniens temperamentum cōſeruabitur, ac inutile introductum remouebitur, ſiccum, frigi-

MEDICVS quomodo mortem retardare poſſit.

Lib. de dono mortis.

Mors multiplex.
Vide Auic. Fen. 3. cap. ſing.

Initium vitæ, & finis vbi.

frigidumque tanquam uitæ finem euitando, uia erit, qua Medicus tuto mortem retardare poterit; namque iſtud efficiendo neceſſario putredo prohibi ſolet, uel iam genita expelli, atque à corpore amoueri.

Ca. Quomodo iſtud Medicus efficere poterit?

Mēſura rerum nō naturalium mors retardatur.

Ph. Menſura ſex rerum non naturalium, atque interdum medicamentorum uſu pro ratione morbi præſentis, uel imminentis: qui à Medico optimè agnoſci poteſt.

Ca. Quales ſunt res naturales.

Res non naturales quales.

Ph. Aer primo loco ponitur, poſtea cibus, & potus: deinde motus, & quies, ſomnus, & uigilia: excretio, & retentio, ſeu abundantia, & inanitio; atque ultimo loco animi perturbationes: ideo menſura omnium iſtarum rerum homo ſanus conſeruari poteſt, eademque uia mortem retardari poſſe intellectu non eſt difficile; Quare à Galeno huiuſmodi res cauſæ conſeruatrices fuerunt vocatæ, ab alijs autem non naturales, quia corpus noſtrum neceſſario alterant, niſi opportunè exhibeantur.

In arte Medic. c. 85.

Ca. Ne tertium uitæ terminum ſub ſilentio tranſigamus ad rem propoſitam reuertamur.

Ph. Tertium uitæ terminum ſupra naturam nominatur, iſtudque à Deo hominibus ſua prouidentia aſſignatū fuiſſe aiunt, de quo loquens Iob loco citato dixit, quod nullo modo præteriri poteſt. His igitur tribus uitæ terminis conſtitutis concludunt termino naturali Medicum auxilio eſſe poſſe, ipſumque terminum medicæ artis ope retardare; accidentarium uero, alterumque ſupra naturam dictum nullo modo adiuuare poſſe affirmant: Aſtrologi tamen uia Aſtrologiæ accidentarium ab homine effugi poſſe exiſtimant, iſtudque concedi poteſt, ſi Aſtrologus futura prædicere ſciat, quæ res quàm falax ſit omnibus ſanæ mentis perſpicuum eſt: Quare concluſio noſtra ſit, quod Medicus uitæ terminum naturalem uocatum retardare poteſt, alijsque duobus adiumento minime eſſe huius tamen rei quæſtionem longiori ſermone tractatam uidere poteris apud Valleſium, necnon & fuſius apud Vallericolam, Baptiſtamque Cedronchium: itidem & apud Michaelem Sauonarollam.

Cap. 14.

Naturali termino uitæ Medicus auxiliatur.

Medio Aſtrologiæ terminus vitæ accid. effugi pōt.

Li. 6. cō. c. 13. locorum cōm. c. 19.

Lib. 2. de Chr. medē di rōne. c. i.

Lib. de nat. alim. tract. 25. dub. 9.

Ca. Porrò de iam dictis nullum dubium cōcipi poteſt; ideo rem noſtram proſequamur, Tiraquelli rationes, ac argumenta

menta aduerſus Medicos improbando.

Ph. Omnino ſic nos geramus, atque ualentioribus obiectionibus reſpondeamus, friuolas autem tanquam nullius uigoris omittamus: etiam multa ab eodem pro Medicorum honore dicta ſilentio tranſigamus, & ad fortiores rationes deueniamus: quarum prima ui cuiuſdam legis ab ipſo formata fuit, ubi aliqui Artifices, omnesque ualetudinarij à conditione grauium munerum immunes fiunt; iſtudque priuilegium cum eadem in lege Medicis conceſſum fuerit, nititur idem Tiraq. ea lege Medicorum honorem maculare; ideo ait, ſi medicorum, Artificumque eodem textu mentio fiat, idemque priuilegium habeant, ſequitur, quod idem ſint.

ALIA RESPONSA pro Medicis contra Tiraq.

L. quibus aliquã, ff. de iure immun.

Ca Ratio ipſius eſt, quia idem priuilegium eodemq; tempore utrique horum cõceſſum eſt, ex quo elici poteſt, quod neuter horum altero magis mereatur; unde cum æquales merito ſint: utraque pars honore ęquè digna erit.

Ph. Scito, quod conſequentia tua nihil ualet, quę quam uana, & falſa ſit, niſi animi impos, optimè agnoſcere poteris; ideo primo dico, quod nullus ordo in legibus ſpectari debet, ut l. nec enim ordo, comprobari licet. deinde ſi conſequentia ualeret, ſequeretur iſtud inconueniens, quod omnes ualetudinarij eſſent mechanici, cum de ualetudinarijs, mercenarijsque ſimul eadem lege mentio fiat, ac horum utrique idem priuilegium concedatur: unde nobiliſſimi uiri, cum interdum ualetudinarij ſint, mechanici hac ratione eſſent dicendi; de quibus legem ipſam uerba facere clarum eſt, licet non explicitè, id tamen ſubintelligi debet, cum uniuerſalis ſit; ne igitur tale abſurdum ſequatur Tiraq. Argumentum nullius momenti eſſe affirmemus. idque exemplo Regis comprobatum eſſe uolo; qui eadem lege omnibus Aulicis ęquè concedere ſolet, ut armis noctu abſque lumine per ciuiatẽ ambulare poſſint nec ob id ſequitur omnes Aulicos dignitate ęquales eſſe, cum aliqui Duces, alij Marchiones, alij Comites, alijque dignitatis expertes ſint.

Reſponſio ad obiect.

L. nec. n. ordo, ff. de ſolution. & libertat.

Expoſitio legis quib. aliquã, ff. de iure immun.

Cõfutatio arg. Tiraq.

Ca. Non fruſtra ratione, ac exemplo obiectioni reſponſum fuit

Ph. Alia igitur diluamus argumenta è multis legibus à Tiraq. euulſa, & priuatim è lege ambitioſa, ubi talia leguntur

ff. de operibus. l. ambitioſa. Ti-

uerba.

Tiraq. in nu. 40. de Nobilit.

verba. *ob liberalem artem, vel ob Medicinam*. ex quo loquendi modo aſſerit Tiraq. Medicinam non eſſe artem liberalem, cum hac lege à liberalibus artibus ſeiungatur; quare ait, ſi liberalis ars Medicina non eſt, ergo mechanica: cum omnis ars vel liberalis, vel mechanica ſit, ſiue ſeruilis.

Ca. Quid reſpondis?

Prima doctrina lib. 1. Fen 1. in præfat. & Fen 3. cap. ſingul. eiuſdem lib.

Ph. Quod Medicina eſt ars liberalis, immo ſcientia ſcientialis, vt ait Auicennas, qui maiorem cognitionem de ea habuit, quàm qui legem eam conſtituit: ideo non ſequitur liberalis non eſt, ergo mechanica; aliter idem de iuriſprudẽtia eſſet aſſerendum, quæ proculdubio, vt probatum fuit, nõ eſt liberalis, ideo ſequeretur ſtante ſui argumenti robore, quod eſſet ſeruilis, ſiue mechanica, quod tamen D. Iuriſtæ non concedunt; negari etiam poſſet auctoritas legis, tanquã ab aduerſario Medicorum conſtituta. Sed dicamus, quod pro Medicina in lege ſcripta intelligi debet pars empirica prorſus à Theriaca ſeiuncta: nos autem Theoricam vnà cum praxim tuemur, quarum vna abſque altera rectè ſe habere non poteſt.

Reſponſio.

Ca. Quid Philalethes ſupereſt, vt finem cõſequamur?

Ph. Multa, quia multas leges Tiraq. contra Medicos proponit, inter quas ſubſequenti loco legem præſes prouinciæ allegat, qua alio modo Medicinam ſeruilem, non liberalem eſſe probare nititur: lex tamen pro Medicorum honore citari poſſet, cum legis verba hæc ſint. *Medicorum eadem eſt cauſa, quæ & profeſſorum, niſi quod hæc iuſtior eſt, ſcilicet Medicorum*: ex quibus verbis (neſcio qua ratione) idem Tiraq. cõcludit Medicinam eſſe ſeruilem, cum cauſa Medicorum differre videatur ab ea profeſſorum, vt ipſe ait, & non animaduertit, quod non differt ab ea profeſſorum, niſi quia iuſtior eſt: etſi apud me idem ſit profeſſor artium liberalium, & Medicus, cum Medicus ipſe, uti Philoſophus, omnibus doctrinis ſit ornatus; iſtudque antequam hinc proficiſcamur luce clarius erit.

§. Medicorum ff. de varijs ac extraord. cogn.

Ca. Libenter iſtud audiam.

Ph. Nonnullas etiam citat auctoritates potius contradicendi gratia, quæ reuera nihil obſunt; vt idem confeſſus fuit.

Ca. Ne Medicorum auctoritates obeſſe poſſunt? cum aliqui dicant medicinam eſſe mechanicam; vt, ni fallor, audiui.

Etiam

Ph. Etiam Tiraq. his vtitur auctoritatibus,ſed notato à Medicis illis hoc ſcriptum fuiſſe potius animi gratia, & etiam ne diſcipuli ſuperbi euaderent, ſed hoc legentes (quod aliqui ab initio inſtitutionum Medicinę ſcribunt)humiles fierent, & vt plura in ſtudendo inuenirent, quàm ea, quæ ab initio ſibi ipſis pollicita fuerunt; cuius contrarium à Iuriſtis obſeruatum fuit, cum ab initio ſuarum inſtitutionum multa ſpondeant, quæ in iuriſprudentia nunquam reperiri poſſunt; nempe, quod iuriſprudentia ſit rerum diuinarum, & humanarum notitia.his addo,quod Medici ipſi locuti fuere de pura practica Medicinæ à Theorica ſeiuncta,& priuatim de parte ea,quæ manibus exercetur Chirurgia dicta.nos autem vtranque partem ſimul conſideramus, & ſic de veris Medicis philoſophia imbutis verba facimus, non de empiricis,qui ſolo experimento nulla inſpecta ratione rem ſuam tractant.

Cur aliqui Medici ſcribant medicinam eſſe factiuam.

Quomodo medicina factiua & qua pars.

Ca. Igitur Medicus Chirurgus dignitatis expers erit, & ideo mechanicus,cum manibus proprijs medeatur.

Ph. Si experimento ſolo omiſſa ratione opus ſuum efficiat; at ſi experimento rationem addat,& praxim, Theoricamq; Medicinæ connectat, eius ars eſt liberalis, & nullo modo mechanica: aliter ſequeretur, quod Iudices criminales etiã & ipſi mechanici eſſent, cũ res mechanicas exerceant,dum varios cruciatus reis præbent,vt alicuius rei veritatem eruãt: ideo cum huiuſmodi rebus mechanicis aſſiſtant, atque ira, vel odio,vel re ſua impulſi interdum manibus operentur (vt de aliquibus à viris fide dignis audiui) proprijs pugnis cum reis manus fune connexas habentibus certantes; mechanici eſſent vocandi; ſed cum D.Iuriſtæ iſtud non admittant,nec etiam aſſerendum eſt medicinam, ſeu Medicum ipſum eſſe mechanicum,niſi vt dixi,empiricus ſit, quia tunc ratione vtentis mechanica dici poteſt medicina, non tamen in ſe conſiderata; cum ſcientia ſpeculatiua ſit. ideo cum ſermo noſter ſit de veris Medicis, non de empiricis, ſeu tunſoribus:nullo modo prææallegatæ auctoritates, ac Tiraquelli rationes dignitati Medicorum obeſſe poſſunt.

Qualis chirurgus ſit mechanicus.

Iudices mechanicis aſſiſtunt, & aliqui cũ reis pugnis certant.

Ca. Quamuis de Medicis philoſophia imbutis, non de empiricis quæſtio tua ſit:attamen cum ſæpe tales Medici Chirurgiam exerceant,opus iſtud ſuæ dignitati, cum factiuum

ſit,

ſit, derogare videtur.

Ph. Quid ais Calophile? nè ſupra validiſſimis rationibus audiuiſti praxim medicinæ dignitati Medicorum minimè derogare poſſe.

Ca. Equidem eas nunc nemini; ſed dic, cur vis Iudices criminales mechanica exercere, cum ſolum rebus efficiendis aſſiſtant.

Aliqui volunt Architectos mechanicos eſſe.

Ph. Iſtud abſolutè nolui, ſed dic, cur multi ſapientes volunt Architectos mechanicos eſſe? cum minime manibus operentur, & ſolum vtentibus, ſeu operarijs præſideant? eadem ratio ſiquidem eſt, quia rebus tractãdis aſſiſtunt, quæ actio, nullo modo ex his viris liberalis eſſe poteſt. Quare cum Iudices criminales huiuſmodi ſe gerant, mechanici eſſent dicendi, ſi rationes Tiraquelli valerent, cum ſemper inter funes, Cruces, Collarios, Cippos, huiuſque generis inter alia, præ oculis habentes inueniantur: quæ omnia cum ſatellitibus, carnificibus, graſſatoribus, furibusque, necnon cum alijs huius naturæ agere coguntur, quæ actiones quàm odioſæ, abominandę, ac horrendę nedum hominibus, verum & ipſi Diabolo ſint, omnes optimè norunt.

Quale ſit exercitium iudicũ criminalium, & cũ quibus tractent.

Ca. Vtcumque res ſit, hanc rem pergamus, aliaque aggrediamur.

Ph. Nè ab aduerſariorum rationibus proficiſcamur ad eundem Tiraquellum redeamus, qui pręallegato capite aſſeuerat Medicos antiquitus ſeruos fuiſſe; iſtudque è lege ſi duobus, vel tribus probare nititur; vbi de Medicis vnà cum ſeruis mentio fit; ſed quàm perperam hic vir legem exponat omnium ſcriptorum, tum Antiquorum, tum recentiorum auctoritatibus comprobari poteſt: à quorum nemine iſtud memorię traditum fuit, nec leges ipſæ hoc idem continent; quamuis eadem in lege de ſeruis, Medicisq; ſermo ſit; vbi ponitur exemplum de optione relicta pluribus, inter quos Medici, aliæque perſonæ, ſeruique connumerantur; quibus verbis concludi poſſe Medicos ſeruos fuiſſe Aduerſarij exiſtimant; quod tamen falſùm eſt. verùm ſi maluiſſent Medicos aliquos ſeruos fuiſſe, res ita explananda eſt, nempe quod ſerui Principum fuiſſent eo modo, quo viri nobiliſſimi, ipſique Iuriſtę eſſe ſolent; vel alio modo dicamus, quod Medici aliqui in numero ſeruorum poſiti fuiſſent, quia in Bello capti,

Cap. 31. in num. 410. l. ſi duobus C. commu. de legibus, §. ſancim⁹.

capti, & ſic coacti ſerui dicerentur, qua via nedum Medici, verùm Principes magni interdum ſerui euaſerunt; ideo veritatem continet lex, ſi de his ſeruis intelligẽdum ſit; nec ſecus de Notarijs eſt excogitandum, quos in numero ſeruorum eadem lege fuiſſe connumeratos perſpicuum eſt; attamen nullo modo ſerui eſſe poſſunt, vt ex l. generali clarum eſt; quare ſi ſerui dici debeant vi illius legis, coacti, vel eo modo, quo dixi, ſunt cenſendi, vti de Medicis ſtatutum fuit.

L. citata ſi duobus Notarij ſerui eſſe nõ poſſunt, ut l. generali patet, C. de Tabularijs lib. 10.

Ca. Etiam dici poſſet, quod aliqui Medici, vel Notarij naturaliter ſerui fuerunt, ſcilicet cum ex ſeruis nati fuiſſent, atque ſic Iuriſtæ ipſi, Theologique potuiſſent naſci ſerui, ſi tunc ſtudium Theologiæ apud gentes inueniebatur; quare cum hæc ſeruitus omnibus communis eſſe poſſit nullo modo (vt eadem ratione tecum vtar) Medicis lex illa obeſſe poteſt.

Ph. Doctiſſimè, ideo concluſio ſit, quod ex legis verbis elici non poteſt Medicos ſeruos fuiſſe, priuatimque eo modo, quo D. Aduerſarij volunt, cuius legis hæc ſunt verba. *Si optio duobus, vel tribus, vel pluribus relicta fuerit, Notarij æſtimentur uiginti ſolidis, Medici ſexaginta*, alijque aliter, vt in textu, æſtimati fuere. Ideo his verbis non intelligi poteſt, vt D. Aduerſarij volunt, Medicos ſeruos fuiſſe, quia fieri poteſt ab aliquo optionem relinqui omnibus ſuæ familiæ, itidem & ſuo Medico, nec ob id ſequitur Medicum illum ſeruum illius eſſe: quare Tiraquelli liuorem vehementer miror.

Ex l. ſi duobus non elicitur Medicos ſeruos fuiſſe. Verba legis ſi duobus uel tribus, et eorũ expoſitio.

Ca. Nec minus ego obſtupeo, cum ab ipſo tot adeo indecenter ſcribi, audiam.

Ph. Poſt iam dicta iterum nititur Medicos ignobiles eſſe probare, vnius ratio eſt, quia in medendo ſordidis vtuntur, hæcque conſequentia quàm falſa ſit, nemo ignorat; quia ſi hæc ſua concluſio vera eſſet, ſequeretur, quod qui eiſdem rebus virtutem dedit, ignobilis eſſet, cum circa ſordida tractaſſet, quod aſſerere iniquum eſt; cum Deus ille ſit, qui virtutibus eas exornauerit: his etiam addi poteſt, quod ignobiles eſſent vocandi, qui huiuſmodi rebus vtuntur, & ideo inter iſtos collocandi eſſent nedum D. Iuriſtæ, verùm Principes omnes, quod indecens eſt.

In nu. 412

Inconueniens deductum ab argumento Tiraq.

Ca. Ita viuam, quod iſtæ obiectiones aduerſus Medicos à

Tira

Tiraq. adductæ adeo friuolæ, ac ſophiſticæ ſunt, vt nefas ſit ipſas inter Doctos ferre.

In nu. 413 Ph. Nec ob id deſinit ſophiſtas rationes, cũ alio modo tẽtet probare Medicos eſſe ignobiliores, cuius ratio eſt; quia medicina, ait, eſt ſordida, iſtudque eadem ratione eſſe voluit, cum Medici res fœdas, ſordidasque tractare cogantur, cuius rei veritatem ab Hippocrate euulſam fuiſſe exiſtimat; attamen valde decipitur, cum Hippocrates ex mente aliorum ſermonem inſtituat, cuius verba hæc ſunt. *Quæ vulgo uilia putantur agnoſcere difficile eſt, ideo hæc ſolum Medicis nota ſunt.* hæc igitur agnoſcere propter corporum humanorum ſalutem nec indignum, nec dedecus, verùm honos, ac vtilitas eſt (vt exemplo monſtratum fuit) quia nobilem reſpiciunt finem.

Lib de flatibus locus Hipp. malè intellectus à Tiraq. verba Hippocr. Sordida agnoſcere cur non ſit indignum.

Ca. Mirum equidem eſt, cum non perpendant iſti omnium conditorem luto, & ſputo cæcis lumen præbuiſſe, itidem de limo terræ hominem creaſſe.

Ioan. c 10. Gen. c. 2.

Ph. Pulchro exemplo Aduerſariorum errorem oſtendiſti; ſed dicant iſti quid indignius, quid fędius peccato? nihil certè: attamen ſacri Theologi, nedum D. Iuriſtæ de ipſo agunt, nec indignũ eſt: ſic igitur Medici pro humani generis emolumento rerum iſtarum virtutes ſcrutantur. Ideo miror, quomodo Dom. Iuriſtæ audeant dicere Medicos de humanis excrementis agere, hocque Medicorum dedecus eſſe: quandoquidem (vt dici ſolet) aliorum fęſtucas, nec eorum Trabes cernunt: ne forſan de merda (vt diſtinctione incedam) nedum de Animalium excrementis agunt? immò merdam ipſam proprijs naribus olfaciunt, quando ſuper locum differentiæ vili compendio eunt, vtpote decem ſolidis (quæ pecunia iudicibus ad Victoualia Ferrariæ pro ſalario in tali itinere aſſignata fuit) ad diſputandum, vtrùm liceat merdam eriuari per hanc, vel illam Latrinam in vicini detrimentum: etiam contendunt, vtrùm liceat in communi pariete ædificare Latrinam ipſam; & ideo ſuper loco differentiæ ſpeculantur, an merda, vel excrementa nedum parieti, verùm naribus vicini obeſſe poſſint; aliaſque pulchras quæſtiones habent; vt eſt quæſtio de ſeruitute Vaſariorum, hoc eſt, Seclariorum, eorumq; ductuum: quæ quidem res apud iſtos Viros intellectu ſunt difficiles, quas omnes priuatim apud

Nil fędius peccato.

Matth. 7.

Iuriſtæ de merda agunt.

Iuriſtæ decem ſolidis eunt ad iudicãdum.

Lib. 7. ſtatutorum Ferr. c. 8.

Quæſtiones mechanicæ Iuriſtarũ.

apud Excellentiſſimum Cępolam inuenies, quippe qui de huiuſmodi ſeruitutibus magnum volumen compoſuit.

Ca. Tuis ſanè verbis animum meum exilaraſti, nec mentiris; quia Iuriſtæ de merda, vt merda eſt, vili cõpendio agunt, nè illa vicino incommodo ſit; Medici autem de excrementis, vt hominibus ſanitatem præbeant, quorum finis eo Iuriſtarum nobilior eſt.

Ph. Rectè, cum excrementa humana à Medicis conſiderentur, non vt fex, ſed vt bilioſa, attrabilaria, pituitoſa, vel ſanguinolenta; ac ſi bilioſa, vel poracea, vel æruginoſa, vel flaua: atque hoc modo alias differentias in excrementis ipſis perpendunt, vt his medijs infirmitates agnoſcant; hæcque cõſideratio à ſenſu per intellectum cõtingit, ab effectu ad cauſas, & interdum contrario modo: vel per rerum definitionem: ea vero Iuriſtarum ſolùm per ſenſum fit.

Ca. Hinc eorum difficultates non adeo arduæ ſunt, vt illæ Medicorum.

Ph. Immò omnium difficillimę, vt aiunt ipſi, & ideo multos annos, vt ad finem perueniant, agitantur; etſi reuera res, vt aiunt, minime ſit, cum nulla controuerſia adeo difficilis ſit, quin breui terminari poſſit, ſi pietas, ſi charitas, ſi ſolicitudo, & tandem ſi doctrina hominibus non deſit. *Lites à Iuriſtis multos annos agitantur.*

Ca. Profecto non omnes controuerſiæ, ac lites breui expediri poſſunt, ſed illæ de ſeruitutibus ſola inſpecta rei veritate, etiam abſque ſcripturis, nullaque forma Iudicij ſeruata ad finem redigi ſolent. *Lites de ſeruitutibus.*

Ph. Nihilominus tam iſtæ, quàm aliæ niſi multorum annorum ſpatio, magnoque litigantium diſpendio expediri ſolent: iſtudque impietate, auaritia, ac ſæpè imperitia Aduocatorum, vel cauſidicorum fieri neceſſe eſt. *Cur nulla lis termine tur à Iuriſtis, niſi multis ãnnis.*

Ca. Nè interdum id contingere poteſt à natura rei, quæ talis ſit, vt niſi longiſſimo tempore terminari poſſit?

Ph. Quæſo exemplo iſtud intellige, quid, dic, difficilius controuerſijs, quæ inter Magnos Principes exoriri ſolent? vbi de ciuitatibus, de Prouincijs agitur, & quod magis eſt, de eorum dignitate: attamen iudice conſtituto inter ipſos breui pacem conciliari ſæpè viſum fuit. præterea nè ſacra Cõcilia breui terminantur? vbi tam ardua, tamque difficilia, tam ſublimia, ac tam grauia tractantur? vbi tot capita, de *Sacra Concilia breui terminantur.*

quibus dici ſolet, tot ſententiæ. attamen quia viri doctiſſimi, quia nulla re ſua ducti, ſed ſola pietate christiana, ac veritatis amore, paruo temporis ſpatio res omnes cõcludunt. Nec fieri poteſt, vt controuerſia inter duos vicinos (ò bone Deus) de minori palmo terræ, quæ octo ſolidis æſtimata fuit, niſi ſeptem annis terminetur? cur iſtud? quam ob cauſam id contingit? neſcio an Iudicibus, an illis, qui cauſas agunt, culpa ſit imponenda: hæc lis, vt dixi, fuit de minori terræ palmo octo ſolidis æſtimatæ. tres ſententiæ latæ fuerunt; pro ſalario poſtremæ ſeptem nummos argenteos apud Notarium depoſui, pro alijs duabus quid depoſuiſſet Aduerſarius neſcio: quid ais Calophile? nè hæc pietas, nè iuſtitia eſt? Agè lingua mea quæſo ſile, nè, quæ in corde latent, promulgas.

LIS INTER PHILA. ET eius vicinũ de palmo terra, ſeptẽ annis agitata.

Ca. Non miror ſi cõtra Iuriſtas patrocinium ſuſcepiſti, quia fòrsàn magna cauſa tibi fuit.

Ph. Rectè dixiſti, ſcito tamen, quod ſolùm inueſtigandæ veritatis gratia ductus ſermo de illis tecũ mihi fuit inſtitutus.

Ca. Si fortè Iudicum defectu lites interdum producerentur, quippe qui aures his præberent, quæ nullo modo eſſent audienda; quid culpæ Iuriſtis eſſet imponenda? vel quid mali Aduocatis, aut Cauſidicis eſſet exprobandum?

Ph. Agedum. Calophile nihil de hac re loquere; nè forſitan eiuſdem generis omnes ſunt? quid enim eſt Iudex, niſi Iuriſta? qui interdum Iudicis, aliàs Aduocati vicem gerit: multa ſanè haberẽ, quæ de iſtis dicere poſſem, ſed nè iuſtorum auribus moleſtiæ ſim, onus tractandum à ſummis Theologis dimitto, quibus aliorum vitia reprehendere conceſſum eſt.

Iudex, & Iuriſta idem.

Ca. Igitur ad primum inſtitutum proficiſcamur, ſi tamen Iuriſtarum obiectiones contra Medicos alicuius momenti ſuperſint.

Ph. Etſi quæ ſuperſunt nihil valeant, attamen aliquas refellam; & primo friuola quædam auctoritas iam probanda eſt, qua Tiraquellus putat probare Medicos non eſſe maioris pretij, quàm obſtetrices; hæcque auctoritas eſt Gloſæ ſuper decretis in c. non ſanè. vbi Gloſator animaduertens eo decreto Medicos Iuriſtis nobiliores eſſe declaratos, ait, quamuis hoc decreto Medicos Iuriſtis digniores eſſe videatur; attamen non plus valent, quàm obſtetrices; in cuius confirmatione

Tiraq. capite citato num 414. in Decr c. non ſanè cauſa 14. q 5. Medicos Iuriſtis nobiliores.

mation e citat l. ſi duobus, vel tribus ſupra allegatam.

C. cõmu. de legatis, & fideicom. l. ſi duob. §. ſancimus. Verba legis, ſi duobus.

Ca. Quid in hac lege ſcriptum eſt, quo contra ſacros Canones Gloſatori liceat quidquam probare?

Ph. Hæc, nempe. *ſi duobus, vel tribus, vel pluribus relicta fuerit optio, Notarij æſtimentur uiginti ſolidis, Medici, ac obſtetrices ſexaginta*, atque alij aliter, vt in textu. Quare cum eadem portio in bonis Teſtatoris obſtetricibus, & Medicis aſcribatur; ex hoc concludere exiſtimat Medicos maiore dignitate non eſſe, quàm obſtetrices: quæ concluſio, quàm à tantorum virorum dignitate, ac à veritate abſit: nemini ignotum eſſe puto.

Ca. Iſtud argumentum adeo ſophiſticum eſt, quod indignũ reſponſione eſt reputandum.

Ph. Attamen ei reſponſa præbere volo; ideo primo dico, quod verba Gloſæ nihil valent, cũ Decr. pontificio prorſus repugnẽt; ideo cũ vnius Aduerſarij ea verba ſint, nulla fides eiſdem præſtanda eſt, ſed potius ipſi Decreto, vbi clarè patet Medicos Iuriſtis eſſe digniores, vt idem Gloſator confeſſus fuit; quare pluris pontificio Decreto fides adhibenda eſt, quàm fędatis interpretis nugis; qui tantum Medicorum honorem ſufferre nolens, verba illa contra Medicos indecenter attulit, quibus cum Tiraquellus vtatur, putat eadem Medicis obeſſe poſſe, cum nullo modo iſtud contingere poſſit, cum ab Aduerſario abſque ratione prolata ſint.

Decretum Pont. in c. non ſanè cauſa 14. q. 5.

Ca. Quid reſpondis legi ſi duobus, vel tribus, ab aduerſario contra Medicos citatæ? vbi eadem portione Medici, & obſtetrices æſtimentur?

Ph. Circa textum illum animaduertendum eſt, quòd Medici non æſtimantur, vti obſtetrices: ſed obſtetrices illæ ſunt, quibus eadem portio, quæ Medicis conuenit, conceſſa fuit: vnde patet, quod lex illa nedum Medicorum ignominia eſt, verùm honor, ac gloria: quandoquidem etſi obſtetrices viles ſint, attamen quia medicinam exercere videntur, eadem portio, quę Medicis debetur, eiſdem cõceſſa fuit: ideo hanc ob cauſam idem ius cum profeſſoribus artium liberalium habere debent; vt alia lege monſtrari poteſt. iſtudque totũ pro Medicorum honore factum fuit, quippe qui nedum honorandi ſunt, verùm eorum ſequaces, ac ancillę, veluti ſunt obſtetrices.

Expoſitio legis ſi duobus, vel tribus, § ſancimus.

Cur obſtetrices idem ius cũ Medicis habeant.

L. 1. § ſed, & obſtr. ff. de varijs, & extr. cogn.

Ca. Verba Decreti, vbi Medici Iuriſtis nobiliores fiunt, ſi lubet, dic.

Verba Decreti citati c. non ſanè. vbi Medicos Iuriſtis eſſe digniores conſpicitur.

Ph. Hęc ſunt. *nec Medico plerique reddere volunt honorem ſuum, nec operario mercedem,* poſtea. *Aduocatus autem uendit iuſtum patrocinium, Iuriſconſultus uerum conſilium* : ex quibus ſatis perſpicuum eſt Medicos Iuriſtis eſſe nobiliores, cum ibi de Medicis ſermo fiat, tanquam de viris honoratis, ac dignitate prędictis, ſed de Iuriſtis, vti de mercenarijs.

Ca. Vltra progrediamur, quia abundè res declarata fuit. interim quid ſit optio oſtende; hucuſq; enim, quid ea ſit, nundum mihi notum fuit.

Quid optio apud Iuriſtas.

Ph. Optio etſi apud Iuriſtas multis modis intelligi poſſit, attamen in allegata lege eſt exactio; exactio autem nil aliud eſt, quàm petitio: exigere enim eſt rem aliquam ab aliquo petere, quare cum dixero relinquo optionem Petro, pro optione intelligenda eſt exactio, ſiue petitio ideo Petrus, cui relicta eſt optio, poteſt in bonis teſtatoris petere portionē ſibi relictam, hęc autem portio qualis eſſe debeat per legem citatam, ſi duobus, vel tribus declarata fuit. nempe quę Notario, qualis famulis, itidem quę Medico debeatur, & ſic de reliquis declaratum fuit per verba textus.

Ca. Non temere rem expoſuiſti, ideo ad rem incœptam reuertere.

Num. 414. cap. 31. Lib. 3. de Ciuitate Dei, c. 17.

Ph. Dubia Tiraquelli ſequamur, qui iterum nititur eodem capite citato probare Medicos ignobiles eſſe, idque per locum D. Auguſtini, vbi ſanctus ipſe verba hęc habet *in tanta ſtrage Bellorum etiam peſtilentia grauis exorta eſt, mulieres namque priuſquam maturos partus ederent moriebantur, ubi ſe credo, Aeſculapius excuſabat, quod Archiatrum ſe, non obſtetricem profitebatur*: ex his igitur diui Auguſtini verbis Tiraq. putat poſſe ſtatui, Medicos titulo obſtetricum fuiſſe vocatos, quę expoſitio quàm falſa ſit, verba ipſa clarè oſtendunt; & primo quia D. Auguſtinus non loquitur de Aeſculapio Medico, vt Aduerſarij credunt, ſed de oraculo eidem ab infidelibus dicato, à quo populi illi petebant aliquod auxilium, vt morbum popularem propulſarent; ideo Dęmon in ſtatua exiſtens illud dedit reſponſum, illudque ante, & poſt verba dicta à D. Auguſtino declaratum habetur; quare vide quomodo vbique ſuā imperitiam iſti oſtendunt. Prętere a dicamus, quod etſi D.

Argumentū Tiraq. è verbis D. Aug. perperam intellectis.

Expoſitio loci D. Auguſtini.

Augu-

Auguſtinus locutus fuiſſet de Aeſculapio Medico, attamen res ad Medicorum fauorem explananda eſſet; cum tantum abſit, vt titulo obſtetricum Medici fuiſſent nominati, quinimo potius res econtrario intelligenda eſſet: cum Aeſculapius affirmaſſet ſe obſtetricis artem non profiteri; nihilominus reſpōſum illud à Dęmone populis datū fuit, vt ſanctus prædictus ſcribit.

Ca Obſtupeo Philalethes, cur tot viri tot nugas ſcribant.

Ph. Nè reliquæ nugæ te lateant, conſideremus alium locū, quo idem Tiraquellus etiam nititur probare Medicos de numero obſtetricum fuiſſe. ratio ipſius eſt, quia in l. 1. §. ſed & obſtetrices. fit mentio de Medicis, & obſtetricibus; vnde, ait, ſi Medici idem non eſſent cum obſtetricibus, in vno textu de Medicis, & in alio de obſtetricibus mentio facta fuiſſet: & adeo cæcus eſt, quod non animaduertit etiam de artium profeſſoribus eodem textu mentionem factam fuiſſe: vnde ſi de Medicis illud afferendum, etiam idem de artium profeſſoribus eſſet affirmandum: quod ſanè de ambobus excogitare falſum, ac indignum eſt: ſed verba legis audito, quippe quæ pro Medicorum honore, vt aliàs dixi ſcripta fuere. hæc igitur ſunt. *Medicorum quoque eadem eſt cauſa, quæ profeſſorum, niſi quod iuſtior eſt, cum iſti ſaluti hominum, illi ſtudiorum curæ incumbant: ideo Medicis ipſis hac de cauſa extra ordinem ius dici debet.* poſtea aliquibus verbis interpoſitis. *Audiant præſes Prouinciæ obſtetrices, quæ vtique Medicinam exhibere videntur.* atque nè quis putaret ibi mentionem fieri de omni genere Medicorum. Vlpianus paulo inferius verba textus declarans ait, *intelligo eos, qui via naturali medentur, & veri ſunt Medici, non empirici, qui de genere Medicorum non ſunt tenendi.* quare, vt magis honorarentur Medici, lex iubet, idem ius obſtetricibus reddi, quod artium profeſſoribus debetur, etſi vile exerceant officium, quia Medicinam exhibere videtur.

Tiraq. numero 414. cap. 31. ff. de varijs, & extr. cog. l. 1. § ſed, & obſtetrices.

L. 4 §. ſed & obſtetr. ff. citato.

Declaratio legis ex Vlp. in Medicorū honore.

Pro Medicorum honore ius extra ordi. Obſtetricib conceſſum eſt.

Ca. Ha ha he ò cæci homines, nedum hæc lex contra Medicos adduci poteſt, verùm multi facit ad eorum honorem; & adhuc ter hæc lata fuit à Tiraquello, vt contra Medicos aliquid ignominiæ probaret. ſed iam iſtos ſinamus, & ad altiora tranſigamus.

Ph Solùm duas refellamus obiectiones, quo facto, vt ais, nos geramus, quarum altera vim habet in Accurſij auctoritate,

Cap. pręallegato 31. num 114.

qua idem Tiraq. vtitur contra Medicos. Accurſius igitur exponẽs l. placet, vbi habetur, ꝙ parabolani petere nõ poſſint; per parabolanos Medicos eſſe intelligendos voluit; quæ expoſitio quàm falſa ſit intelliges, veluti altera ab initio citata. quare nomine parabolanorum intelligi debent empirici, vel potius Hoſpitalium famuli, qui infirmis aſſiſtere ſolẽt, nec planè res alio modo cenſenda eſt: vt eadem lege haberi poteſt, cuius verba hæc ſunt. *Sexcenti parabolani ad huiuſmodi ſolicitudinem eligantur exceptis videlicet honoratis, & curialibus.* Super quibus verbis Gloſa notat quod per honoratos intelligi debent Medici; etiam ab eadem lege poſt allata verba clarè habetur differentia inter parabolanos, Medicoſque; & quid inter illos interſit: vnde clarum eſt parabolanos non eſſe Medicos, ſed quoſdam Hoſpitalium aſſiſtentes nulla dignitate præditos: hinc Petrarcha alioqui vir doctus, forſan in aliquem Medicum inuehens, valdè allucinatur, cum more Accurſij legẽ fuerit interpretatus, ſed non miror quia Iuriſta, ꝙ notat Vincentius Alſarius à cruce optimus Medicus.

L. placet noſtræ, C. de epiſc & cleric. L parab. c. citato.

Quid per parabol ſit intelligendum.

4. inuecti. in Medicum. In Ephem. lib. 1. c. 4.

Ca. Hæc tua eſt interpretatio de parabolanis, ſed quid aiunt alij?

Ph. Idem vt Marius Nizzolius, qui habet, quod parabolani erant quidam plebei, qui Hoſpitalibus deputabantur; itidẽ & Alciatus ab hac ſententia non abfuit, cum dicat. Parabolanos fuiſſe quoſdam plebeos, qui ſeruituti Eccleſiarum, vel Hoſpitalium, Xenonumque deputati erant: Ideo ex his apparet, quàm indecens ſententia Accurſij ſit, cuius auctoritatem Tiraquellus contra veram expoſitionem præbuit.

In Theſauro linguę Latinę. Quales parabolani. Li. 4. diſp. ut notat Tiraq. in num. 420. In num. 415. c. 31.

Ca. Qua ratione ductus Accurſius talem interpretationem dedit?

Ph. Nulla ratione verùm liuore impulſus: quare ſuæ expoſitionis vocem tuis auribus accipe non minus ridiculam, quã reprehenſione dignam: ait enim. *Medici parabolani ſunt dicti, quia multas habent parabulas.* credit hic multas habere parabolas, ſit multa loqui, vel multas ambages, vel fabulas dicere: quid tibi videtur Calophile? nè iſti ſuam imperitiam vndique oſtendunt?

Expoſitio Accurſ. de parabolanis.

Ca. O mirum mundum hic vir vocabulorum ſignificationẽ nouerat; parabola enim eſt ſimilitudo, quæ Græcè παραβολη dicitur ἀπὸ τοῦ παραβαλλειν, quod comparare ſignificat; ut ab

Quid parabola.

ab eodem Mario à te citato dici poteſt.

Ph. Optimè cenſes, etenim loqui per parabolas eſt loqui per ſimilitudinem, quod ſapientũ mos ſemper fuit, vnde Chriſtus Saluator noſter ſemper in parabolis cum Turbis loquebatur & perrarò ſine parabolis: quod ſcripſit Matthæus. vt igitur Accurſius ſuam expoſitionem corroboret, citat legẽ ſi duas, qua nititur (Tiraq. retulit) probare Medicos circulatores fuiſſe vocatos; ſed falſà vndique talis expoſitio fuit; vt per verba Græca legis concipi poteſt, quæ hæc ſunt. *Grammatici, Sophiſtæ, Rethores, Medici, qui* περιόδευται, ſcilicet ἀγύρται hoc eſt circulatores nominantur. Circulatores equidem ſunt illi, qui cętu hominum circundati fabulis ipſos oblectant, qui interdum (etſi temerè) nomine Medicorũ vocantur, quia empiricè, & ſola experientia medicinã exercere ſolent; hinc cum Imperator æquiuocè locutus fuerit, poſtea ſe declarauit.

Matth. c. 13 Chriſtus parabulis loquebatur.

L. ſi duas §. Gràmatici, ff. de excuſ. tutelarum.

Cur circulatores interdum temerè Medici uocentur.

Ca. Satis quæſo iam dicta ſint, niſi alia maioris momenti diluenda habeas.

Ph. Nil ſcriptum maioris momenti aduerſus Medicos inueni; ideo reliqua contra ipſos ſcripta ab Aduerſarijs, vel à iam confutatis dependent, vel nullam vim continent: veluti ſunt ea; quæ à Ioanne Nouizanio dicta fuere in Sylua Nuptiali; quia præterquam quod multæ auctoritates falſæ ab ipſo adductæ fuere, reliquæ vel nihil ad rem faciunt, vel vti ab Aduerſarijs prolatæ reijciuntur: qui pro illis, quæ contra Medicos ſcripſit, nunquam rationem præbuit, ſed ſolũ prædictis Iuriſtarum auctoritatibus locutus fuit: ideo dicta iſtius tanquam nugas pergo, nimium enim prolixum fore exiſtimo, ſi vanis verbis ipſius reſpondere vellem; iſtud profecto eſſet à propoſito ſcopo aberrare: Quare pro his, quæ dici poſſunt aduerſus Medicos, atq; pro eorũ ſolutione iam dicta ſufficiant; quibus addo validiſſimas defenſiones, quas Ioannes Baptiſta Pellegrinus Bononienſis, pro Medicis contra quandam orationem Ferdinandi Alduuenſis Mediolan. ſcripſit, quarũ Titulus eſt aduerſus Medic. & Philoſ. calumniatores; ideo hunc librum pro maiori corroboratione eorum, quæ diximus legere poteris. interim nos alijs rationibus, ac auctoritatibus probamus Medicum Iuriſta eſſe nobiliorem.

In Sylua Nuptiali. lib. 5.

Cur Nouizanij obiectionib. non reſpondeatur.

Ca. Iam iſtud diuerſis modis hucuſque probatum fuit; attamen ſi aliqua habes, quibus, quæ antea dixiſti, corroborare poſſis; ea ſi placet, minimè ſilentio inuoluito.

AVCTORitates quibus probatur Medicorum nobilitas.

Eccl. c 38.

In Odiſſæa lib. 4.

In Iliades lib. 11.

In Conuiuio.

Ph. Vt iſtud exequamur, â ſacra ſcriptura initium capiamus, ac locum Eccleſiaſtici aſſumamus, vbi ſacræ literæ ſic aiunt. *Da locum Medico, etenim illum Deus creauit, & non diſcedat à te, opera enim eius neceſſaria ſunt.* & paulo infra loquendo de Medicis. *Altiſſimus dedit ſcientiam hominibus honorari in mirabilibus ſuis.* At ille Omerus canendo dixit. *Medicus vero vnuſquiſque peritus ſupra omnes homines.* alioque loco. *Medicus enim vir multis anteponendus alijs.* hoc idem dixit Plato in Conuiuio, dùm locum Medico cedere voluit, vbi aſſerit Medicum Philoſopho eſſe anteponendum, adducens præallegati Homeri locum. itidem Gloſa ſupra locum Eccleſiaſtici allegatū, ait, *Medicos poſt Religioſos eſſe honorandos.* pergo Galenum, qui multis in locis aſſeuerauit inter liberales artes medicinam præſtantiſſimam eſſe.

Ab initio Methodi in orat. ſuaſoria ad artes, & in prin. Iſagogicorum librorum.

Ca. Porrò dum tantam Medicorum dignitatem antiquitus à ſapientibus, Deoque ipſo ſacris in literis eiſdem conceſsā audio, obſtupeo.

Ph. Nè igitur adhuc ſciuiſti? quomodo Medici ſemper in honore à Regibus, nedum ab alijs hominibus habiti fuere?

Ca. Iam ſupra multa; & ea quidem perpulchra meis auribus accepi.

Hippoc. honores in epiſtolis q̃ poſt opera ipſius collocantur.

Ph. Nunc etiam, ſi lubet, Epiſtolas ab Artaxerſe Rege ad Hippocratem ſcriptas, reſponſumque ab ipſo Hippocrate datum ad audiendum adeſto; quia inuenies Hippocratem ab ipſo Rege pro liberando populo ab ingenti peſtilentia magnis honoribus vocatum fuiſſe; etenim ex regali epiſtola eidem dignitatem optimatibus Perſarum æqualem, aurū, argentumque quantum ipſe voluiſſet ſpoponſum fuiſſe reperies, vt etiam teſtatur Plutarchus, quæ dona ab ipſo Hippocrate ſpreta fuere; itidem videbis Coos maluiſſe Regno priuari, quàm Regi Hippocratem dare: atque ſi Athenienſium Decretum (quod poſt epiſtolas Hippocratis collocari ſolet) factum pro ipſius honore leges, etiam intelliges à Coo Senatu, vnà cum populo coronatum fuiſſe ipſum Hippocratem corona aurea mille aureorum, ipſamque Quinquatrijs magnis Mineruæ Feſtis in Critamine Gymnico per Præconem

In Vita Marci Catonis Cenſorij.

Coi coronarunt Hipp. corona aurea mille aureorum.

nem proclamabant propter eius honorem; vt quæ maiori honore, ac gloria ipſum afficerent, conſtituerunt Decretũ, quo magnis honoribus, priuilegijſque eundem exornabant; vt in prædicto legi poteſt; alia etiam quamplura traduntur de dignitatibus, ac Medicorum honoribus: veluti apud Suetonium in Vita Cæſaris, quod Cęſar ipſe Medicos quolibentius, & ipſi Vrbem incolerent, Ciuitate donauit; atque ipſemet Suetonius ſcribit, Auguſtum Cæſarem magna in quadam ſterelitate peregrinos omnes ab Vrbe expuliſſe, non autem Medicos: Præterea Pontifex ille Honorius quartus appellatus ſic Medicos dilexit, atque honorauit, quod in quadam ſua infirmitate quotidie quadringentos nũmos aureos Thadeo Florẽt. donabat, vel auri libras tres (vt ſcribit Tracagnota) atque priſtinæ reſtitutus ſanitati decem mille ipſi tribuit. etiam legitur, quod Lodouicus Rex Francorum ſingulo anno Iacobo Canterio Medico pro honorario ſuo decem millia aureorum aſſignauit; multisque alijs magna fuerunt tributa dona; de quibus Tiraq. meminit.

Decretum pro Hipp. honore.

Honores et priuilegia Medicis data.

Lib. 29. cit.

part. 2 lib. 15. Hiſtoria Mũdi.

num 405. c. 31. lib. ci tati.

Ca. Vltimis exemplis potius oſtendis Medicos mercenarios eſſe, quàm quod magnæ mercedes eiſdem honorem, laudẽque præbeant..

Ph. Longè profectò à vero abes; namque nullo modo dona illa faciunt Medicos mercenarios, verùm magis honorabiles: quod elici poteſt ab Eccleſiaſtico; vbi habetur. *à Deo omnis Medela, & à Rege accipiet donationem:* quem locum exponens Cornelius Ianſenus ait, quod verba illa ſic ſunt intelligenda, nempe *à rege accipiet donationem, hoc eſt, regaliter, & liberaliter remunerandam eſſe medicinam, doniſque honorandam à magnis Principibus, quippe qui Medicorum ope ſępè indignent;* unde Cicero volens ſcribere Medico donum dari, loco doni explicat honorem; quare ait, *Curio miſi, ut honos haberetur Medico;* hoc idem alijs in locis legitur, veluti in Canonicis Decretis ſupra allegatis, vbi memoriæ traditum eſt. *nec plerique Medico ſuum reddere uolunt honorem, nec operario mercedem:* Ideo Archidiaconus in explicatione uerborum declarat, quod ibi honor ſcribitur pro præmio, quod Medico debetur. Quare non pro mercenarijs; ſed vt vitæ conſeruatores à ſapiẽtibus haberi ſolent; proinde honorandi, venerandiq; ſunt poſt Religioſos, vt Gloſa loco citato affirmat, cum eis omnia arcana nuda,

cap. 38.

Epiſt. 9 ad Tiro. lib 15. epiſt. fa mil.

c. non ſanè cauſa 14. q. 5.

Medici poſt Reli gioſos ho norandi

Gloſa. in c. 38. Eccl.

nuda,

nuda, atque adaperta ſint; vnde Altiſſimus per ſacram ſcripturam loco præallegato ſic loquitur. *Scientia Medici extolet caput eius, & coram principibus in admiratione habebitur.*

Reges, qui Medici fuerunt. Hinc profectò multi Reges animaduertentes ſcientiæ dignitatem Medici eſſe voluerunt, vt fuit Sabor, & Ginges Medorum Reges, Sabid Rex Arabum, Mithridates Perſarum, Hærmeſque Aegyptiorũ; quos omnes Marſilius Ficinus recenſet: præter autem hos quamplures fuerunt etiam Medici Reges, de quibus Tiraq. mentionem fecit, quorum vnus eſt Meſues auctor Medicorum celeberrimus, qui Regis Damaſi nepos, & Auicenas Cordubę Princeps Medicus fuit, multaque medicinę opera ſcripſit; nec ab his Nicolaus quintus Pontifex Maximus abfuit, Euſebiuſque, qui Medicus, Medicique filius fuit: prætęrea Ioannes xxij. Pontifex Maximus Canones in medicina ſcripſit, vt in eius vita Platina teſtatur. quot autem Imperatores, ac Pontifices alij fuerint medicinæ profeſſores, idem Tiraq. loco citato ſcribit. ideo quid plura?

Lib. 1 Epiſtolar. epiſ. ad Thomam Valerium. *Lib. citato ca. 31. nume. 106.* *Pontifices Medicinæ profeſ.* *Nu. 157. vſque ad num. 164.*

Ca. Nihil ſanè quia ſatis affatimque dictum fuit.

Chriſtus exercuit Medicinã. Ph. Sed nunc ad Chriſtum ſaluatorem eſt confugiendum, qui volens oſtendere quanta ſit honoranda medicina, eandem exercere voluit, dum luto, ſputoque lucem cæco donauit; quod ſcripſit Ioannes, & Marcus; aliaque quamplura inſtar Medici fecit, de quibus in Euangelijs; idque voluit, vt medicina exaltaretur, quia potuiſſet hoc idem pura voce facere, tamen placuit re aliqua mederi, vt vicem gereret Medici. Deus namque, vt ſacræ aiunt literę, eſt ſanatur, hoc eſt, Medicus; atque apud Matth. memoriæ proditum eſt Chriſtum Medicum fuiſſe, cum omnem languorem, omnemque infirmitatem ſanaret, ad cuius imitationem multi viri ſancti fuerunt medici; vt idem Tiraq. loco pluries citato recenſet, quorum nomina ibidem haberi poſſunt.

Cap. 9. c. 8 Ioãnes, & Marcus. *Cap. 15. in exo. Matt. 4. & c. 9.* *In nu. 81.*

Ca. Deus, ais, fuit medicus, fuit etiam legiſta: nè dedit leges?

Ph. O Calophile quæ dicta ſunt in mentem reuocato, & recordaberis, quod differt Legiſta à Legislatore: Quare Chriſtus præbuit leges, nec fuit Legiſta, nec modum litigandi attulit, ſed viam, qua anima noſtra ſaluari poſſit; antea tamẽ medicinam nobis largitus fuit, vt loco Eccleſiaſtici legitur nempe. *Altiſſimus de terra creauit Medicinam, & vir prudens no*

Cap. 38.

abhorebit

abhorrebit eam. Et inferius, *omnis Medela à Deo,* & quæ ſequuntur; quare poſtquam hæc omnia largitus fuit, Medici vice, numquam Legiſtæ, fungi voluit, qui etſi leges præbuerit, attamen non illas Iuriſtarum attulit; vnde Budæus loco aliàs citato eos leguleos deridet, qui putant leges è cælo delapſas fuiſſe, cùm ab hominibus quotidie conſtituantur.

Chriſtus Medici officio functus fuit non Legiſta.

In annot. ſuper Pandectas.

Ca. Si tam venerabilis, tamquam honorifica hæc medicina eſt, cur Medici in tanta veneratione nunc temporis nō habentur? vt iuxta pręallegata condecens eſſet?

Ph. Vel quia homines pro maiori parte ſunt ignari, vel inuidi: cur dic? non honorentur Sacerdotes? cum ſupra omnes homines honorandi ſint; vel quia homines ob ignorātiam neſciunt, quanta ſit veneranda talis dignitas, vel quia malis moribus prædicti ſunt: vnde hoc ſæpe contingit ob eorum iniquitatem erga Deum optimum: ideo cauſæ iſtę ſunt, cur homines non eos obſeruant, qui obſeruandi, venerandique ſunt: nè vides quotidie, quòd Iuriſtæ, immò (vt aliàs dixi loquendo de malis) cauſidici ipſi (etſi nullius ſint dignitatis, vt ex legibus præallegatis apparuit, & vt declarabo) volunt Religioſos præcedere; hos quæſo inſpice, dùm alicui obuiā eunt Religioſo, vel quando cum ipſis aſſociati ſunt, & videbis, quod ſemper, dextrorſum ambiunt, niſi ſit Præſul tanta dignitate, vt ui locum cedere cogantur: an modo hoc dedecus, an ignominia, atque arrogantia ſit: iſtius ſola ueritas iudex ſit.

Cur Medici non honorentur, vt eorum merita poſtulant.

Cauſidici male morati l. ſi qs procur. C. de decurion. Gloſa ſup eadē.

Ca. Porrò multos tali inclinatione agnoui, verùm non omnes, etenim aliqui inueniuntur, qui, ut ratio poſtulat, morati ſunt.

Ph. Et ego iſtud affeuero.

Ca. Oſtende igitur quomodo Medici maiorem dignitatem apud Principes conſequātur, ac faciant Iuriſtæ: videtur enim experientiam aliter probare.

Ph. Quamuis ex Iuriſtarum adminiſtratione, quam in exercenda iuſtitia habent, appareat, quod præcedant Medicos, atque apud Principes maiorem dignitatem conſequantur, ac Medici faciant: id tamen falſum eſt. iſtud quamprimum ad probandum adeſto.

MEDICI maiorem dignitatē apud Principes habēt quàm Iuriſta.

Ph. Vnica lege id probabo, vbi Imperator talē concedit Medicis Principum dignitatē, vt æquales eſſe poſſint Vicarijs,

Duci-

Ducibusque, quod numquam de D. Iuriſtis auditum fuit; nedum quatenus Iuriſtæ, verùm nec vt Prætores, Proconſules, vel quoquomodo Magiſtratu fungentes. Quare verba iſtius legis intento animo audito. *Archiatros, ſcilicet Medicos Principum* (vt Gloſa, ac reliqui interpretes exponunt) *intra Palatium militantes, ſi comitiuæ primi ordinis nobilitauerint gradus, intra Vicarios taxari præcipimus, ſiue iam pridem depoſuerunt militiam, ſiue poſtea depoſuerint, ita vt inter Vicarios, & Duces, qui adminiſtrauerint, & eos, qui comitiuam primi ordinis meruerint nihil interſit, niſi tempus, quo quis adminiſtrauerit, vel comitiuæ adeptus inſigna eſt.* Quid ais Calophile? nè ſatis probatũ eſt Medicos Iuriſtis apud Principes eſſe digniores? maioremque dignitatem conſequi poſſe? cum æquales Vicarijs, Ducibuſque eſſe poſſint.

L. vnica C de comitibus, & Arch. lib. 12.

Verba legis, quibus ſuprema Medicorũ dignitas declaratur.

Numq̃ Iuriſtis data fuit dignitas tanta, vt Medicis.

Ca. Magna ſiquidem pro Medicis hæc eſt lex, & proculdubio pro Iuriſtis, aut Magiſtratibus numquã ſimilis fuit conſtituta. ſed ne quis poſſet vereri? an dignitas hæc Medico conceſſa fuerit ſuæ virtutis merito, vel potius ſeruitutis gratia?

Ph. Nemini de hoc verendum eſt; cum tamen quis tali pacto argueret, ipſum ſic interrogarem: qualis Iuriſtarum, dic ò ſophiſta? Medicis exceptis, etſi ſerui Principum, tantam ex legibus, vel alio priuilegio dignitatẽ declaratam habet?

Ca. Nemo is reſponderet, cum ita veritas ſit.

Ph. Quare dicerem, ergo ſcientia Medici, nõ ſeruitus ad talem dignitatem ipſum Medicum conducit; iſtudque ex grauiſſimorum virorum auctoritate confirmarem; & primo de ſententia Cornelij Ianſeni, qui tenet, quod Medici propter eorum ſcientiam apud Principes magnificantur, ac laudantur: ita etiam ijdem Iuriſtæ ſentiunt, & priuatim Lucas de Penna in verborum expoſitione, qui declarat, quod Medici ob eorum virtutem dignitatem eam conſequuntur; quia, vt ipſe ait, dignitas ex virtutibus, non econtrà: quare dignitates dantur iuxta merita virtutum, atque ſcientiarum: ideo Theologi ſummam habent dignitatem, quia circa nobiliſſimum ſubiectum verſantur.

Super c. 38 Eccleſ. Medici ob eorũ ſciẽtiã magnificãtur.

In exp. l. vnica C. de comitibus, & Arch.

Ca. Nil contra præallegata dici poſſe arbitror, ideo miror tantam Medicorum dignitatem.

Ph. Et iterum mireris? ſed cur? non audiuiſti iam allegata?

nedum

nedum inquam Medicorum Principum dignitatem, ſed Medicorum, quatenus Medici ſunt? non nè recordaris Homeri ſententiam? *Medicus vnuſquiſque peritus ſupra omnes homines.* igitur alia quamplura dicta, factaquè pro Medicorum honore te præterierunt?

In Odiſſea lib. 4.

Ca. Omnia equidem recordor, ſed cur Virgilius, loquendo de medicina, dixit? *maluit, & mutas agitare inglorius artes.* his enim verbis medicinam ab eo fuiſſe depreſſam videtur.

Aeneid. libro 12.

Ph. Virgilius nullo modo inuehitur in medicinā, cum & ipſe Medicus excellens fuerit infortunatus tamen, vt in eius vita deprehendi poteſt, vnde ſuę ſortis memor ſcripſit illud verbum, nempe *inglorius*, cum & ipſe nullam gloriam eadē medicina conſequi potuerit; nec verbis illis *mutas artes.* Medicinæ iniuriam fecit, cum pro muta arte, intelligi debeat ars occulta, vt Seruio, Aſcentioque placuit. Cicero etiā vſus eſt eiſdem verbis loquendo de legibus, & quamuis in ſenſu proprio, non ob id, vt iniuria leges afficeret, qui ait *dici poteſt Magiſtratum legem eſſe loquentem, legem tamen mutum Magiſtratum.*

Virgilius fuit Medicus.

De leg.

Ca. Non diſplicet talis expoſitio.

Ph. Vel dicamus, vt idem Seruius, Aſcentiuſque, quod ipſe Maro arguebat Iaſidem, qui maluit ἐμπειρικὴν ſcientiam, nempe medicinam in vſu, non in ratione poſitam: quomodo agitata Medicus inglorius eſt, & ars muta, cum abſque ratione ſit adminiſtrata; vnde cum ex his viris Virgilius locutus fuerit de empirica, cui Iaſides maluit incumbere, verbis illis noſtra medicina minime fuit tacta.

Alia expoſitio ex Seruio, & Aſcenſio.

Ca. De his quantum opus eſt verba feciſti; nunc, ſi lubet dicito, cur noſtro tempore Medicis, priuatimquę Principum talis dignitas non concedatur? qualis ex ſupra allata lege declarata habetur? porrò ex eadem lege ſatis cōſtat à nemine Medicum præcedi poſſe, etſi ſupremus eſſet Magiſtratus, vel Dux, niſi ratione temporis, quo horum aliquis prius Principis ſeruituti incumbere incœperit.

L. vnica C. de comitibus, & Arch.

Medicus Ducibus æqualis.

Ph. Sic Zenonis Imperatoris intentio fuit, ſed cur id obſeruatum eſſe non videatur, ratio eſt, quia homines, vt iam dictum fuit, vel mali, immò peſſimi, vel ignari ſunt: etenim vel hæc lex Iuriſtas latet, & ſic imperiti, vel eam ſciunt, negliguntque, & ſic iniuſti; ob id tamen Medici apud Princi-

pes,ac ſapientes magnificantur, quorum dignitas his minimè ignota eſt: cum animaduertant. quod qui circa rem, bonaque fortunæ agunt, quatenus iſti ſuum vnicuique tribuunt, vt Iuriſtæ; hi ſunt nobiles; nec hìc intelligo de cauſidicis, ſiue procuratoribus, quia iſti dignitatis ſunt expertes, cum vile officium exerceant, iſtudque prçter allegatas leges multis auctoritatibus Tiraq. probat, veluti Bart. Baldi, Alberici, aliorumque iuriſtarum: quorum vtilitas quàm deteſtabilis ſit, gloſa exponit; ideo de iſtis nè verbum quidem. horum autem cauſidicorum nomina apud eundem Tiraq. memoriæ prodita ſunt, quæ modeſtiæ cauſa, ſileo; Ideo Doctores non debent huiuſmodi officium exercere, vt monet Tiraq. ex auctoritate Ioannis Fabri, legumque ipſarum: & potiſſimum legis vniuerſos. vbi Baldus notat, quod huiuſmodi officium eſt vile. ſed his relictis ad primum accedamus inſtitutũ; & dicamus, quod illi, qui circa corpus humanum verſantur, ſunt nobiliores his, qui de rebus inanimatis agunt, quanto nobilius eſt corpus animatum rebus inanimatis: porrò huiuſmodi ſunt Medici, qui de corpore animato tractant: minus nobiles autem ſunt Iuriſtç, qui inanimatas res præ manibus habent. verùm illi, qui animam cuſtodiunt, atque à peccatis eam liberant, ſunt omniũ nobiliſſimi: quia anima inter hęc nobiliſſima eſt; tales igitur ſunt Theologi. vnde ex his patet, quod Iuriſtę cum de fortunę bonis Medici de corpore humano, atque Theologi de anima agãt; proculdubio Iuriſtę cum nobiles ſint, Medici ſunt nobiliores, atque Theologi omnium nobiliſſimi: quod ab Alberto Gandino loco ſupra citato concluſum fuit. à Medicis ſcilicet prçcedi Iuriſtas ob aſſignatas differentias, atque à Theologis vtrumque: iſtudq; etiã ꝓbauit Tiraq. pluribus auctoritatibus. his igitur ſic conſtitutis, quid ſupereſt ò Calophile? quin undique, clarum patefactumque ſit?

L. ſi quis procur. C. de decur. lib. 10. de Nob. c. 29. nu. 8. & c. 30. Gloſ in l. uniuerſos, C. de decu. c. 29. nume. 8. Faber in §. ult. inſt. de excep arg not. in l. uniuer. C. de decu.

Iuriſtæ nobil. Medici nobilio. Theologiq; nobiliſſimi. Gandinus tract. de malef. tit. de aliquib. quęſt. col. pen. q. inſuper. Cap. 31. in num. 359. lib. citati.

Ca. Porrò mens mea omnino quieſcit, & nihil ſupereſt, quin optimè pro Medicis dilutum ſit.

Ph. Nota tamen circa allatam diſtinctionem, quod Iuriſtę ſunt nobiles eo modo, quo dixi, ſi honoratè, ac abſque lucri ſcopo prçcipuo patrocinium prçſtent; quia ſi prçcipuè cauſa lucri defenſionem aliquam ſuſcipiant, nedum nobiles nõ erunt, verùm viles atque abiecti, vt per l. quiſquis monſtrari

ri poteſt; quod etiam tenet Ioannes Faber.

L. quiſqs, §. apud uerbum. C de poſtulãdo. Faber in l. ſi quis, C. eodem.

Ca. His hoc modo conſtitutis, facile concipi poteſt, quod maior pars Iuriſtarum tali morbo laborat; etenim penè omnes lucri cauſa pręcipuè patrocinium pręſtant, ut clarè experientia agnoſci poteſt; quandoquidem pro pupillis, viduisque miſeris, ac pauperculis rarò patrocinium pręſtãt, verùm pro Diuitibus magnam eiſdem pecuniam præbentibus ſemper ad nutum parati ſunt.

Ph. De hac re dubium non eſt.

Ca. Nè idem de Medicis dicendum eſt?

Ph. Quidni? cum pręcipua Medicorum intentio ſit ſanitatis introductio, vel ipſius conſeruatio, vel morbi remotio: ſed his omiſſis reliqua aggrediamur, quia ſatis de Medici nobilitate dictum fuit, quę quidem ea Iuriſtarum, vt audiuiſti dignior eſt, vt multi viri optimi probarũt, inter quos unus fuit Ioannes Baptiſta Pellegrinus pręallegatus, Pogius Florentinus, qui Hiſtoriam deceptatiuã nuncupatam fecit, Bernardus Medicus Florentinus in quadã diſputatione. aliqua etiã digna pro Medicis habebis apud pręallegatum Vincentium Alſarium à Cruce.

in Ephem.

Ca. Eſt forſan hic, qui Venetijs medicinam agit, à quo tres libri lectionum de epilepſia dudum editi ſunt?

Ph. Ipſe eſt multis laudibus dignus, vt autem ad rem reuertar, abundè hucuſq; monſtratum fuit iuriſprudentiam medicina, ac philoſophia eſſe inferiorem, quod nouit Ioannes Picus Mirandula in hoc terrarum orbe ſua tempeſtate uir celeberrimus, qui cum Bononię legibus incumberet, ac ſui intellectus acumine animaduerteret leges cęteris artibus, ſcientijsque inferiores eſſe, legitur, quod eis relictis Theologię, Philoſophięque incumbere maluit, cęteriſque doctrinis legibus exceptis.

Io. Picus ſprenit leges ampl'exuſque eſt philoſophiam.

Ca. Hęc omnia mihi innoteſcunt, ac ſufficiẽter omnes difficultates diſcuſſę fuerunt; nunc tamen ſcire exopto, cur Philoſophi ſpernantur, cum de re nobiliori agant.

CVR PHILOSOPHI ſpernantur.

Ph. Iam aliàs dixi, quod apud ignaros, maleuoloſque, non apud ſapientes contemnuntur; ideo cauſa, cur ignari, vulgusque Philoſophos ſpernat, eſt, quia Philoſophi ad honeſtum, non ad lucrum tendunt: ideo dicebat Plato, quod Philoſophi irridentur, quia nolunt ſimulare, neq; vitiorum via ſuo

In Theætetо.

ſuo fungi munere: ideo quia apertè loquuntur, nec ſimulationis abuſu, ſed ratione, honeſtoque res tractant: hinc ridiculi ſæpè apud vulgum haberi ſolent, quia clarè rident, apertèque laudant, ac liberè contemnunt; prout ſic res ratione exigit; ideo quæ ſpernenda nulla interpoſita ſimulatione ſpernunt; unde cum Ariſtippus Diogeni ſcripſiſſet, quod Alexander Macedonum Rex cupiebat ipſum videre, ſecumque loqui; eidē Ariſtippo à Diogene ſequentibus uerbis reſponſum fuit. *ſi Alexander me videre cupit, ei in mentem reduces tantum Athenas à Macedonia, quantum Macedoniam, Athenis abeſſe*: atque in alia Epiſtola pro Menodori commendatione ſcripta dixit: *rogarunt me Magarenſes adoleſcentuli, vt tibi Menodorum Philoſophum commendarem, ridicula ſanè hæc eſt commendatio, nam, quod homo ſit, ipſa hominis effigie, quod Philoſophus, vita, & moribus cognoſces: qui enim bonus eſt, per ſe ipſum commendatur.* Hinc Calophile qua ratione ridiculi videantur Philoſophi intellige, ea etenim ratio eſt, quia inanes honores, peſtiferaſque ſimulationes deſpiciūt, lucrumque abhorent, honeſtique eximio flagrant amore: hi tamen apud ſapientes cultu, obſeruantiaque ſemper habiti ſunt; de quibus verba faciens Cicero dixit, *quid eſt per Deos optabilius ſapientia? quid præſtantius? quid homini melius? quid homini dignius? hanc igitur qui exoptant Philoſophi nominantur, nec quidquam aliud eſt Philoſophia, ſi interpretari velis, quàm ſtudium ſapientiæ: ſapientia autem eſt (vt à veteribus Philoſophis definitum fuit) rerum diuinarum, & humanarum, cauſarumque, quibus res continentur, ſciētia, cuius ſtudium, qui vituperat, haud ſanè intelligit, quidnam ſit, quod laudandum putet.* Hæc Ciceronis ſunt verba. Inſuper legito Platonem, qui diuerſis rationibus probat; quod ſine philoſophia homo rempublicam gubernare nequit, atque ſine ipſa inanem eſſe hominem oſtendit; ibique quanta ſit veneranda philoſophia diſcitur; ea namque ſola eſt, è qua rerum veritas elicitur. Ideo ex his, alijſque ſupra probatis intelligere poteris, quomodo apud ſapientes magno honore Philoſophi afficiantur, & quod Philoſophus ille eſt, qui omnia profitetur, non autem Iuriſta.

In quadā epiſt. ad Ariſtippū.

Reſponſio Diogenis ad Regem Macedonum.

ad Menemū miſſa.

Secūdo de officijs. Nil dignius ſapientia. Quid Philoſophia.

6. de Repub. Dial. ſexto. Abſque Philoſophia nemo rēp. gubernare pōt. è Philoſōphia veritas elicitur.

Ca. A Philoſopho omnia ſciri (vt negotium exigit) nūdum declaraſti.

Ph. Illud, antequam hinc proficiſcamur, perſpicuum erit; nam

nam via certiori demonſtrabo Medicum de omnibus agere, ac diſſerere: itidem quod Iuriſtarum tractationes, vt aliàs dixi, ad tria reduci debent; veluti in Inſt. Ciuil. legitur; vel enim pertinent ad perſonas, quatenus vna ab altera ſecernitur, vel ad res, quibus fruimur, quatenus legum medio tuum à meo ſeiungitur, & cui debetur ſuum redditur: vel attinent ad dicta, ſactaque perſonarum, ex his enim alij puniuntur, uel condemnantur, alijque ſoluuntur: hoc tamen nulla inſpecta ratione à Iuriſtis fieri ſolet, quia legem ſcriptam ſolūmodò inſpiciunt, nec cauſam quærunt, ob quam Legiſlator ipſam cōdidit. vel dicamus, quod quidquid agit Iuriſta ad tria capita reducit, vt ab initio ex Syluestri Aldo brandini auctoritate dictum fuit, vel enim reducitur ad vitę honeſtatem, vel ad alterius læſionem, vel tribuere quod ſuū eſt vnicuique.

Rub. de iure naturali, gen. & ciuil. § omne autem ius materia de qua Iuriſta agit.

Materia iuris ad tria capita reducitur.

Ca. Hæc ſunt tria illa, de quibus in iure ciuili agitur; ſed nè ius canonicum omittas, quid ibi tractetur, dic.

Ph. Iam textuum canonicorū diuiſionem tibi præbui, partemque, de qua agunt Iuriſtæ, monſtraui; quæ pertinet ad deciſionem controuerſiarum eccleſiaſticarum; ideo leges illæ non differunt à legibus ciuilibus re, ſed modo tractandi; quia diuerſis modis Iudices vtuntur in rebus eccleſiaſticis tractandis, ab his inquam, quibus reliquas ducunt lites: hocque propter rerum, ac perſonarum ad eccleſiā ſpectantium reuerentiam; leges tamen eędem ſunt cum ciuilibus; ſed quoniam non licet ſacra profanis miſcere, vt aliàs dixi, hinc pontificiæ leges priuatim conſtitutæ fuerūt. niſi igitur hanc ob cauſam ſeiunctæ fuiſſent; ſatis erant leges ciuiles, atque in eis modum tradidiſſe, quo iudex ſe gerere cum Religioſis, rebuſque eccleſiaſticis debebat.

Leges ciui non differūt à Canonicis re, ſed modo tractandi.

Ca. Satis Philalethes, qa ex tot rōnibus, auctoritatibuſq; hodie à te adductis clarè video, quod Medici nobiliores ſapiētioreſque, ac magis honorabiles ſunt Iuriſtis; taleſque apud grauiſſimos viros, Principes, Reges, & denique apud Deum ipſum tenentur; idque ſupra ſæpius claruit, multiſque rationibus, ac auctoritatibus monſtratū fuit. quare his ſic ſtatutis tempus videtur, vt oſtendas; quomodo Medici de omnibus agere queant.

Ph. Libenter demonſtrabo nempè Medicum de omnibus

MEDICVS DE omnibus agit.

L. de decenti ornatu.

4 Metaph. tex. 5. & 6 Philoſophi eſt de omnibus agere.

Lib. de Placitis Philoſophorum.

Lib. 14. de Trinitate c. primo.

agere, ac diſſerere poſſe; vnde Hippocrates iſtud animaduertens dixit Medicum Deo æqualem eſſe, etſi in chriſtiana religione iſtud ſit abſurdum; nemo igitur negat, quin Medicus de omnibus tractare poſſit; quia præter iam dicta à quibus facile hoc idem intelligi poteſt, extant multorum ſapientum ſententiæ, veluti Ariſtotelis Philoſophorum principis, qui ſcripſit. *Philoſophi eſt de omnibus poſſe ſpeculari, ſi enim non Philoſophi, quis erit, qui conſiderabit?* Idem dixit Plutarchus ex mẽte Stoicorum, atque aliorum grauiſſimorum virorũ, quibus omnibus relictis cum ab ore Philoſophorum emanent, cum ſuſpecta aliquibus eſſe poſſent; auctoritatem pro nunc Diui Auguſtini adduco, qui ait. *Philoſophia eſt diuinarũ, humanarumque rerum cognitio, ſtudio bene viuendi coniuncta, vel eſt rerum humanarum, diuinarumque ſcientia, in cuius amore ſapiens inuitat:* & ſanè nemo dubitare poteſt, quin Medicus, vti Philoſophus de omnibus rebus tam humanis, quàm diuinis ſcientiam habeat, de quarum vnaquaque penè centũ modis diſputare poſſit: idque, Deo fauente, cum quid otij nactus ero, demonſtrabo.

Ca. Id certè grauiſſimorum virorum auctoritatibus apparuit, qui cum potius Philoſophi, quàm Iuriſtæ ſint, forsàn ſuſpecti eſſe poterunt.

ORDO incipit, quo monſtratur Medicum de omnib⁹ agere poſſe.

Diuiſio omniũ rerum.

Lib. 7. c. 1.

Quid ſubſtantia.

Prima diuiſio ſubſtantiæ.

Ph. Horũ igitur virorum auctoritates pergamus, & ad probandam veritatem accedamus, idque faciemus, ſi omne, quod eſt diuidemus; quare nè ab vſu Ariſtotelis recedamus, quidquid in toto mundo reperitur, tum in æterea, tum in elementari regione in duas reſecamus partes, nempe in ſubſtantiam, & accidens: extra enim hanc diuiſionem nihil eſt, quin intra hos duos claudatur limites, vt ab eodem Ariſt. pluribus in locis ſcriptum fuit; priuatimque in Metaphiſicis; idque à cæteris Philoſophis comprobatũ eſt: quare incipiamus, & dicamus, quod ſubſtantia dicitur ea, quæ per ſe exiſtere poteſt, nec opus eſt, vt aliquo ſubſiſtat in ſubiecto, vt ſuum eſſe habeat; ideo hæc ſubſtantia vel eſt creata, vel increata: Increata, quæ non ab alio, ſed à ſe ipſa, cuiuſcunque mutationis, alterationiſque expers eſt; cũ ſemper idem permaneat; atque ſic eſt ſolus Deus optimus maximus.

Ca. Nè confundamur, antequam vltra progrediaris, videamus, an

mus, an

mus, an Medicus de Deo agere, ac diſſerere queat.

Ph. Ita procedamus, ſed forſàn ambigis? an Medicus de Deo agat?

Ca. Non ſanè, ſed ignoro quomodo de eo diſputet, tractetque.

Ph. Via naturali,& per fidem vt Chriſtianus.

Ca. Primum modum aggrediamur, cum ſecūdus omnibus Chriſtianis ſit communis, quia prudens Chriſtianus, ſiue Iuriſta Deum agnoſcit,atque de eo ſecundum fidem ſcientiam habet.

Ph. O Calophile nè recordaris, quod nemo Chriſtianus de rebus diuinis ſecundum fidem agere poteſt, niſi Theologus, Philoſophuſque; immo quod neque Theologus quis eſſe poteſt,niſi logica, philoſophiaq; ornatus ſit: immemor ſanè videris ſententiæ ſancti Doctoris, qui aſſerit neminem res diuinas intelligere poſſe abſque logicæ, philoſophięque exacta cognitione.

Chriſtianus de diuinis agere neſcit niſi Phil. logicuſque ſit. Prima parte. q. prima. art. ſ.

Ca. Nunc ſententiam ipſam memini,ideo,vt opus eſt, rem ſequere.

Ph. Scito igitur,quod Medicus nedum, vt Philoſophus, verùm vt Chriſtianus cognitionem eam de Deo habet, quæ in hac caduca vita à mortalibus haberi poteſt; nam immediatè,ac demōſtratiuè minime fieri poteſt;vt de Deo ſcientiam nanciſcatur,cum immenſus, infinitus, incomprehenſibiliſque ſit;ideo eo modo,quo fieri poteſt, ſcilicet per negationem, magis quàm per affirmationem (vel vt aiunt) à poſteriori,non à priori ipſum agnoſcit,hoc eſt,per effectus, non per cauſam: nam à creatura Chriſtianus Creatoris habet cognitionem: vt D. Paulus ſcripſit. *inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur;* ad hanc autem cognitionem,opus eſt, fidem interdum ſuffragari; nam via naturali Deum trinum eſſe eo modo,quo fides nos docet,non inuenitur; hinc Auerroes cum lumine fidei careret, viaque naturali ſolūmodò incederet, damnauit eos, qui in Deo Trinitatem poſuerunt; Ariſt. tamen dixit, *numero ternario ad Deorum ſacrificia vtimur;* Quare Philoſophi etiam Deum agnoſcunt,licet, non exactè, vt cætera intelligunt: de Deo tamen tractant,vt videre eſt apud Ariſt.qui vnum Deū conſtituit,eumque primum motorem; quem formam ſepara-

Philoſophus agit de Deo.

Primo ad Rom.

Duodecimo Meta. comm. 39.

Primo Cæli tex.2.

12.Metap. c.6. & per totum.

tam, æternam, atque immobilem à quacumque materia ſeiunctam, non ab alio, ſed à ſe ipſo Deo eſſe voluit: ita apud ceteros Philoſophos de Deo agitur, diſſeriturque; quorum opiniones non recenſeo, cum eas legere facilè ſit, vt apud Senecam, Galenum, atque Plutarchum: porrò huius materiæ exactam, eruditamque compendiosè traditam habebis tractationem à Doctiſſimo Thoma Gianino, à multiſque alijs Philoſophis de Deo multa intelliges, vt in Mercurij Triſmegiſti libris, qui quamplura de Deo ſcripſit; ideo ex his perſpicuum eſt Medicum de Deo agere.

In Scholio de morte Claudij Cęſaris lib. de Phil Hiſto. Lib. de placitis Phil. Lib. de prouidentia. In lib. quorum alter Pimander, alter Aſclepius inſcribitur. Thomę Gianini laus.

Ca. Quis eſt Thomas ille, quem doctiſſimum vocas?

Ph. Ferrarienſis Philoſophus publicè primo loco philoſophiam in patrio Gymnaſio profitens, decus ſanè hic Philoſophorum eſt; hic verus vocandus eſt Philoſophus; cum de omnibus inopinatò doctiſſimè diſſerere poſſit, tùm cū Philoſophicis, Chriſtianiſque moribus vndique ornatus ſit: hic ſimulationem odit, quid laudandum eſt laudat, quid vituperandum contemnit; honeſtum quærit, illicitumque ſpernit: atque vt vno verbo dicam; hic ſcientiarum arca, decus, ſplendor, ſeruatorque appellari poteſt.

Ca. Non miror, quia Ciuitas illa aſſueta eſt tales producere viros; ideo nè ſcopo aberras, de creata ſubſtantia ſermonem fac.

Ph. Creata ſubſtantia, vel corporea, vel incorporea eſt, incorporea vel Angelus, (qui vel bonus, vel malus eſt,) vel Anima rationalis: de Angelis vtriuſque ſpeciei plura habentur apud Philoſophos ſub eodem nomine; vtrumq; enim Dęmonem vocant, atque interdum Hęroem; de quibus apud Platonem, eiuſque ſectatores; veluti apud Proclum in eiuſdem Platonis Alcibiade, atque in libris Porphirij. idem habebis apud Pſellum, necnon & apud multos alios Philoſophos, quorum ſententias Plutarchus, Galenusque recenſet: itidem in cōmemorato illius Gianini libro perpulchra paucis contenta perlegere poteris. De anima autem rationali (quæ mens, & intellectus vocatur) tàm exactam, complectamque nobis tribus in libris Ariſt. tractationem reliquit, vt nemo rem doctius exoptare queat, quos libros multi celeberrimi Philoſophi ob eorum difficultatē explanarunt, eius opinionem tenentes, ac alij aliter ſentientes,

Diuiſio creatæ ſubſtantię. Porphyrius lib. de ſacrificijs, Dijs, & Dęmo. Pſellus lib. de Dęmo. Lib. allegatis. In libris de anima.

Supe-

Ca. Supereſt, vt corpoream diuidas ſubſtantiam, ſi de ipſa datur diuiſio.

Ph. Sic agam, namque corporea ſubſtantia, vel ſimplex, vel mixta eſt: ſimplex vel eſt Cœlum, vel elementa: De Coelo nedum Medicus tractat, vt Philoſophus, de quo Ariſt. diffusè egit; verùm vt Mathematicus. huius autem partis ſuo loco fuſius ſermo erit; de elementis quidem, & vt Philoſophus, & vt Medicus diſputat: cuius rei veritas intelligi poteſt ab Ariſt. Galenoque, qui pluribus in locis de ipſis tractatus effecerunt.

Ca. Satis hæc ſint, etenim poſthac dilucidiora abs te exoptabo; quare interim de mixta ſubſtantia aliquid dic.

Ph. Mixta ſubſtantia, vel perfectè, vel imperfectè mixta eſt: mixta perfectè ex quatuor elementis conſtat, atque illud habet temperamentum, quod Medici ad iuſtitiam vocant; iſtudque omnibus perfectè compoſitis naturaliter conuenit, dummodo hæc optimè ſint conſtituta, atque à nullo morbo oppreſſa, veluti ſæpè animatis rebus cõtingere ſolet: Hæc igitur ſubſtantia perfectè mixta, vel animata, vel inanimata eſt; Animata vel vegetatiua ſolũ vita uiuit, & ſic ſunt plantæ; uel vnà cum ſenſitiua vitam degit, & hoc modo animalia irrationalia habent eſſe: uel cum his duabus intellectiua exornata eſt, huiuſmodique ſubſtantia conſtituta rationalis creatura dicitur, cui ſolummodo talis conuenit vita. His igitur tali uia diuiſis, aliquid de plantis dicendum eſt, quæ in arboribus, fruticibus, ſubfruticibus, herbaceisq; plãtis diuidũtur: de quibus an Medicus agat; Ariſt. Theoph.q; huius materiæ tractatus aſpicito; itidẽ & Gal. Dioſc. cæterorumq; Medicorum libros perpendito; & inuenies, quod nedum agnoſcunt vires (in quibus magna uis, magnaque arcana poſita ſunt, ad tuendam hominum uitam, eamque curãdam) verùm inquirunt quo modo hæ generentur, alanturque itidem an uiuant diſputant. Cæterum quoad animalia irrationalia, quæ uolatilia, uel terreſtria, uel aquatilia ſunt: nedum de eorum natura, partibusque agunt, uerùm de generatione, atque ad particularem membrorum ſpeculationem ſe dirigunt inquirendo generationem, uſum, ac naturarum miſteria, omniumque eorum, quæ eiſdem animalibus contingere poſſunt, cauſas, rationeſque perpendunt.

Corporea ſubſtãtia.

in quatuor lib. de Cælo, & Mundo.

Ariſt. in li. 3. & 4. Cæli, & 2. de generatione.

Gal. lib. de elem.

Mixta ſubſtantia.

Animata ſubſtantia.

In lib. de plantis.

Ca. Vbi tot, tantaſque habent ſpeculationes?

Medicus quibus modis de homine agat.

Ph. Ariſt. in libris de Animalium generatione, de ipſorum Hiſtoria, deque illorum partibus iam dicta tractauit. an uero Medicus de homine agat, non eſt diſputandum, cum iſtud omnibus valdè perſpicuum ſit, nedũ inquam, ut Medicus, quatenus de hominis natura, eiuſq; accidentibus, ac præter naturam affectibus (qui ſępè ipſum infeſtant) tractat; verùm ut Philoſophus, inquantum naturam corporis, eiuſque conſtitutionem ſpeculatur; præterea de omnibus illis, quæ homini ineſſe poſſunt, ueluti de uirtutibus, de uitijs, ac, nè uerboſè rem agam, de his omnibus ſcientiam habet, de quibus in gratiam ipſius hominis in morali philoſophia ſcribitur. itidem vt Medicus mores hominum conſiderat, nedum vt Philoſophus; quandoquidem mores ipſi in temperamentorum hominum cognitionem inducunt, iuxta illud animi mores ſequuntur corporis temperamentum, quod pluribus rationibus Gal. comprobauit. his additur, quod de homine, vt Aſtrologus, agere poteſt, quæ ars minimè Medico ignota eſt, hacque via, ſi diligens erit, omnia præterita, præſentia, futuraque accidentia vniuerſaliter ad hominem ſpectantia, vt ars docet, agnoſcere poterit; verùm cum ars hæc ſæpè falax ſit, multis in partibus ab ipſo Medico ſpernitur.

Mores animi hominis temperamenti cognitionẽ præbent.

In lib. cuius titulus eſt, animi mores.

Ca. Agit nè de monſtruoſis Animalibus?

Ph. Maximè, tamen hæc raro contingunt, quamuis interdũ propter hominum peccata eueniant; ideo de iſtis apud Medicos, ac Philoſophos habetur conſideratio; hæcque ſatis mihi videntur circa Medici cognitionem de animata ſubſtantia.

Ca. Reliquum eſt, vt de ſubſtantia perfectè mixta inanimata ſermonem facias.

Subſtantia inanimata perfectè mixta.

Ph. Hæc ſubſtantia omnia ea amplectitur, quæ ſupra terrã, ſubterque creata ſunt: quorum alia mineralia, lapides, gemmæque dicuntur; itidem alia alijs nominibus appellantur, veluti ſunt terræ omnes, aquæ medicatæ diuerſarum ſpecierum, bitumina, liquores ſpontè naſcentes, nedum à terra, verùm ab Arboribus, atque tantorum generum alia propemodum infinita: vt videri poteſt Bononiæ apud perilluſtrẽ doctiſſimumque numquàm ſatis laudatum omnium ſcientiarum eruditiſſimum Vliſſem Aldrouandum Philoſophũ

Laus Vliſſis Aldrouandi.

perſpi-

perſpicuum,ac Medicum celeberrimum: vbi rerum omniũ natura procreatarum penè viginti millia reperiuntur, quorum trium millium inuentor ipſe fuit, de quibus numquã homo ſcripſit.de his igitur Medicus agit, tùm quo ad naturas, generationes earumque cauſas,tùm etiam quoad virtutes,tàm,inquam,manifeſtas,quàm occultas, quæ ex antipathia, ſympathiaque prouenire ſolent.

Apud Aldrouandũ viginti millia rerũ naturaliũ inueniuntur.

Ca. De his Philalethes non erat ambigendum, quia vt Medicus ſatis patet, quod omnia iſta agnoſcere debet; vt pro humani generis ſalute eiſdem vti valeat; ideo quæ ſequuntur aggredere.

Ph. Subſtantia ſequitur inanimata non perfectè mixta,quæ metheorologica dicitur, ac diſtemperata: huiuſque generis ſunt omnia ea,quæ plus, minusve habent qualitatis, quàm par ſit ad conſtituendũ illud temperamẽtum, quod Medici ad iuſtitiã vocant;ideo huiuſmodi ſunt Grando, Nix, Fulgura, Fulmina,atq; omnia alia,q̃ in regione ignis,vel aeris gignuntur:de quibus an Medicus agat,legito Ariſt.tres libros Metheorologicos,in quibus diffusè talem materiam tractauit;hæcque tractatio Ventorum,Tonitruum, Terræmotũ, Aquarum, horumque generum quamplurium ſcientiam amplectitur:ideo hucuſque habes,qua via Medicus de omnibus à Deo incipiendo,ac vſque ad terræ centrum deſcendendo agat,de quibus vis,nè fateri,quod nulla in Iuriſtarum libris fiat mentio?

Subſtãtia inanimata imperfectè mixta.

Medicus de omnib. agit.

Ca. Equidem ſic fateor, cum de dictis nè verbum quidem in eorum libris ſcriptum ſit.

Ph. Quid igitur aiũt Domini Iuriſtæ?cum aſſerere audeant, quod iuriſprudentia eſt rerum diuinarum, & humanarum notitia:quod quàm falſum ſit,ex dictis concipi poteſt. Quare nè à veritate abſint,potius dicant, quod horum dictorũ imperiti ſunt; loquor tamen de puris legiſtis, quia aliqui reperiuntur, qui aliquam philoſophię partem habent; vt aſſertum fuit, quorum aliquos ego agnoui,at ſi puri ſint legiſtę: nulli dubium eſt, quod rerum diuinarum, ac humanarum imperiti ſunt, harumque cognitionis expertes: quod tenet Budæus loco aliàs citato; vbi eos miratur,qui omnia ſtudio iuris tribuere volunt,& ſe beatos,ſapientesque eſſe credunt, cum legulei ſolummodo ſint. Quare etiam ijdem Iuriſtæ

Iuriſprudentia nõ eſt rerum humanarum, ac diuinarũ notitia.

Super l.prima uerbis de iuſtitia, & iure.

mea verba aſſeuerarunt; ſed nè à noſtro aberramus ſcopo, quomodo de accidentibus Medicus agat inquiramus.

Ca. Quæſo iſtud citò facito, nè ante finem Veſper opacus tenebras ducat.

Ab initio 1. tract. epi 10. Meth.

2. Phiſic. tex. 14.

2. Poſter. c. 1.

Qua methodo Medicus de rebus ſcientiã acquirat.

In Paraphraſi. 2 Poſt. c. 1.

Ph. De rerum naturalium accidentibus proculdubio Medicus ſcientiam habet, vt Auerroes affirmat, nam cum accidens illud ſit; quod per ſe ſtare nequit, oportet, vt aliquo ſubſiſtat in ſubiecto, cumque tale ſubiectum ipſamet ſubſtantia ſit, ſi Medicus de eadem ſubſtantia ſcientiam habet, neceſſariò ipſius accidentia non ignorat: quia conueniens minimè eſſet, vt ait Ariſt. Philoſophum ſcire quid Sol ſit, vel quid Luna, ac iſtorum accidentia neſcire, veluti quod habeat rotunditatem, ſuoque orbe denſiorem ſubſtantiã, qualis horum corporum ſit magnitudo, quod Sol vi propria illuminet, Luna virtute aliena: atque huiuſmodi alia accidentia, & paſſiones, quę rebus cõtingere poſſunt: ideo nè ab uſu Ariſt. abſim, dico, quod de quacumque re quatuor modis Medicus quærit, nempè an ſit, quid ſit, quia eſt, propter quid eſt: Harum autem quæſtionum duæ pertinent ad id, de quo quæritur ſimpliciter; vtputa an homo ſit, hocque quæſito, iterum quærit, quid ſit homo, atque per hanc quæſtionem de eſſentia hominis cognitionẽ habet: aliæ autem duæ quæſtiones pertinent ad id, de quo quæritur non ſimpliciter, ſed ſimul cum ſuo prædicato; vt quia eſt quærit, an prædicatum inſit in ſubiecto (veluti exponit Themiſtius) hoc eſt, an homo ſit riſibilis, bipes, an loquendi vim habeat, atque huiuſmodi de alijs aſſeuerandum eſt; per aliam autem quæſtionem, ſcilicet propter quid, quæritur cauſa, ob quam homo ſit riſibilis, vel bipes, huiuſmodique de reliquis accidentibus intelligendum eſt: Quare ex his patet, quod cum de rebus omnibus Medicus hac methodo diſſerere queat, quod etiam de omnibus accidentibus cognitionem neceſſario habere debet; quia riſibilitas, albedo, atque huius generis alia, quæ poſſunt abeſſe, & adeſſe abſque ſubiecti corruptione accidentia dicuntur.

Ca. Quæ ſunt hæc accidentia?

Lib. prædicamentorum diuiſio.

Ph. Ea quæ ab Ariſt. in nouem diſtribuuntur prędicamenta, quorum alia ſeparabilia, alia inſeparabilia, alia communia, & alia propria appellantur: porrò ſeparabilia ſunt, veluti ſtude-

re,

re,flere,loqui,aliaq; ſimilia,quæ poſſunt à ſubiecto omnino ſeparari; inſeparabilia, vt albedo in Cigno, nigredo,in Coruo, atque in carbone: Communia illa dicuntur,quæ pluribus conuenire poſſunt, vt calidum,frigidum,dulce,amarũque; & ſic alia; hæcque modo ſeparabilia, modo econtrario eſſe poſſunt:quandoquidem nigredo in Coruo inſeparabilis eſt; at rubedo in homine poteſt ſeparari: vel propria ſunt accidentia,vt ea,quæ vni ſoli conueniunt, & ita eidem, vt alteri cõuenire nequeãt, vt calor ignis,& Vniuerſum illuminandi virtus in Sole; huiuſmodique alia, ſicuti riſibilitas in homine: quare ex his intelligere poteris, quomodo Medicus etiam de accidentibus cognitionem habeat; vnde nobis iure ſtatuendum eſt Medicum de omnibus, tam humanis,quàm diuinis agere, non autem Iuriſtam, vt aliàs oſtenſum fuit; ex quo ſequitur,falſam eſſe illam propoſitionem, nempè *iuriſpudentia eſt rerum diuinarum, & humanarum notitia, iuſti,& iniuſti ſcientia*; ideo,ſi abſolutè intelligatur, falſa omnino eſt,cum veritatem non contineat; melius igitur in digeſto de iuſtitia ſcriptum fuit;vbi habetur. *ius eſt ars boni, & æqui, boni enim & æqui notitiam profitemur æquum ab iniquo ſeparantes,& licitum ab illicito diſcernentes*: vel tolerabile eſſet,ſi dixiſſent,vt antea audiuiſti, *iuriſpudentia eſt rerum diuinarum, & humanarum externis ritibus tractandarum cognitio,cuius medio ſcriptis legibus iuſti, ac iniuſti acquiritur notitia*; non ſcientia; cum dicat Galenus,*ſcientia eſt conueniens, & firma, & numquam à ratione declinans cognitio*. quid ais Calophile? forsàn aliquid ſupereſt,dicendum pro tui erroris declaratione?

Medicum de omnib. agere.

Falſa iuris defin. ff. de iuſt. & iu. l. iuri operam.

Lib. q Medicus inſcribitur.

Ca. Nihil profectò,quin clarum,ac patefactum ſit.Sed poſtquam in tam multis mihi feceris, vt mei errorem amoueres, rogo atque etiam rogo(vt animum meum ad tam magna excites, omnium ſcientiarum,artiumque quibus Medicus prædictus eſt,ſummulam tradas.

Ph. Honeſtæ, ac omni laude plenæ petitioni prorſus obtemperare ſtatuo;ideo vt diſtinctè procedamus, videamus quot in partes philoſophia diuidatur; quia his viſis, ſtatim apparebit quot, & quibus ſcientijs, artibuſque Medicus ſit ornatus: porrò philoſophia adeo vniuerſalis eſt, quod omnes doctrinas,ſcientias,arteſque ſub ſe continet:huius equidem magnæ ſcĩetiæ multi varijs modis aggreſſi fuerunt di-

Philoſophia omnes ſcientias,arteſque continet.

uiſio-

Diviſio philoſophię. uiſionem, quorum aliquas opiniones Seneca recenſet; nos tamen neque eas prorſus ſequi putamus, neque illam Politiani penitus imitari volumus, neque Stoicorum ſententiā: quam Ioachimus Fortius ſectatus fuit, ipſamq; ſecutus fuit Macrobius, qui eandem ſecuerunt in moralem naturalem, atque Rationalem: quare placet nobis hunc in modū procedere; ideo dicimus, quod ſcientia, ſeu philoſophia duplicem partem habet, quarum altera actiua, altera ſpeculatiua eſt: idque tali modo probatur. Intellectus duplex eſt, alter ſpeculatiuus, alter practicus, vt vult Ariſt. (hìc tamen capio intellectum pro parte ea animæ, quæ rationalis eſt) ſed philoſophia eſt perfectio ipſius intellectus, vel intellectus eſt ſcientiæ principium, teſte eodem Ariſt ergo duplex eſt ſciētia altera actiua, alteraque ſpeculatiua: ſpeculatiua vel eſt rationalis, vel realis: Realis ab Ariſt. ſpeculatiua vocatur; hęcq; ab eodem in tres diuiditur partes, quarum vna dicitur Metaphyſica, altera Mathematica, ac tertia Phiſica: Metaphyſica ea eſt, quæ diuina appellatur, quia de diuinis, ſeparatiſq; rebus agit, hæcque, vel pertinet ad Religionem Chriſtianam, & ſic Theologia verè nuncupatur, quæ vel in ſe, vel in nobis eſt: quæ autem in nobis, vel intuitiua, vel abſtractiua, & hæc vel inſpirata, vel miſtica, vel poſitiua, vel ſcolaſtica nominatur. Verùm Theologia alia naturaliter inuenta ea eſt, quæ ab Ariſt. nobis tradita fuit, & apud Philoſophos Metaphyſica dicta.

Li. 14. epiſ. 90 ad Lucillum in Panepiſtemon.
Libello, 4 Chaos inſcribitur.
Li. 2. c. 14. in ſom. Scipionis.
6 Eth. c. 1.
1 Poſter. cap. 26.
6. Metaph. tex. 2. lib. 11. tex. 6.
Phil. ſpec. realis triplex.
Theologię chriſtianæ diuiſio.
In 14. lib. Metaph.

Ca. Altera, quæ Mathematica vocatur ſequitur, ideo quot eius ſint partes dic, vt diuiſionibus harum omnium abſolutis ſummam earundem ſcientiarum, artiumq; exoptatam præbere valeas.

Mathe. quattuor habet præcipuas partes.

Ph. Porrò Mathematica ſubdiuidenda nunc venit; quæ quattuor præcipuas partes habet, harum altera Arithmetica, altera Geometria, altera Aſtronomia, alteraque Muſica vocata fuit itidem Arithmetica, vel ſpeculatiua, vel in vſu eſt: ac quæ in vſu duplex. Geometria autem pari modo ſpeculatiua, vel in vſu dicitur, cui aliquę ſubalternantur artes, quæ ſuum opus abſque ipſius principijs perficere nequeunt: quæ etiam hac ratione Arithmeticæ interdū ſubalternatæ ſunt: quarum nomina hæc ſunt. Coſmographia, Geographia, Corrographia, Topographia, Idrographia, Gnono-

Gnonomica, Metheoroſcopia, Dioptrica, Optica, Catoptrica, atque Architectura.

Ca. Magnus certè harum artium eſt numerus, de quibus vnà cum alijs aliquam cognitionem exopto.

Ph. Iam policitus fui; ideo nunc Aſtrologiam diuidamus, quæ ſpeculatiua, vel in vſu eſt: prima propriè Aſtronomia nominata fuit, ſecunda Aſtrologiæ nomine appellatur, quæ quattuor partes habet; harum prima Aſtrologia interrogationum, ſecūda Natiuitatum, altera reuolutionum, vltimaque horarum, dierumque electionum fuit dicta: atque hāc poſtremam partem homines aliqui iniqui in plures ſecuerunt, quæ magicæ, nec veræ, ſed Dęmonum impoſturæ à ſapientibus nuncupatæ ſunt, de quibus ſuo loco ſermo erit, tanquam de veneno diabolico à nobis ſeiungendo euellendoque: occaſione quarum, vt opus erit, de naturali, ac ſuperſtitioſa magia cum ſuis partibus tractabitur. *Diuiſio Aſtrologię.*

Ca. Quamuis harū aliquæ illicitę ſint, non tamen ab re erit, ſi eas recenſebimus, vt quæ fugiendæ ſunt, non ignorem.

Ph. Ita cenſeo, ideo Muſicæ diuiſionem aggrediamur, hæc etenim vel Rithmica, vel Metrica, vel Harmonica vocatur: vt à Boetio ſcriptum fuit. *Muſica diuiſio.* *Lib. 1. Muſica c. 2.*

Ca. Ni fallor, tertia pars philoſophiæ ſpeculatiuæ ſequitur.

Ph. Hæc phiſica nominatur, quæ in naturalem proprie dictam, & in medicinam diuiditur: medicina enim naturalis philoſophiæ alumna eſt, vt Politiano placuit, ita & Democritus ad Hippocratem ſcribens dixit, *cognitionem ſapientiæ, hoc eſt, Philoſophiæ ſororem eſſe Medicinæ exiſtimo, atque contubernalem*; Quare Diocles in alia epiſtola ad Antigonum Regem uocauit medicinam philoſophiæ partem. Medicina igitur philoſophiæ eſt pars, quæ vel ſpeculatiua, vel praxis eſt: Speculatiua vel Phyſiologica, vel Aetyologica, vel Symiotica dicitur: Praxis vel Higini, vel Terapeutica, quę vel dieta, vel Pharmaceutica; vel Chirurgia eſt. *Phiſica diuiſio.* *In Panepiſtemon.* *Medicinæ diuiſio.*

Ca. Supereſt, vt ad rationalem, poſtea ad actiuam philoſophiam te conferas.

Ph. Rationalis prius diuidenda, quæ uel Logica, vel Rethorica propriè dici ſolet; ſed quoniam hæ duæ acquiri nō poſſunt abſque aliquarum facultatum adiumento; hinc ſub hac parte cōtinentur Grammatica, Poętica, atq; Hiſtorica; *Philoſophię rationalis diuiſio.*

Ca. Cur pars hæc philoſophiæ rationalis nominatur?

Ph. Quia modum, ac rationem differendi monſtrat. Sed cũ de ſpeculatiua philoſophia ſatis dictum ſit; nunc ratio exoptat, vt ad actiuam proficiſcamur, quæ etſi in actiuam, & factiuam diuidi poſſit: nos tamen partem factiuam relinquimus, hæc etenim ad opificia pertinet, nec vlla indiget literarum cognitione, ideo ſub hac diuiſione eam ponendam eſſe non cenſeo: hinc ad actiuam ſolùm me confero, quæ tres in partes diuidi ſolet in Aethicam, Politicam, ac Oeconomicam: harum prima de virtutibus, & vitijs, ſecunda de ciuitatum, rerumque publicarum regimine, ex qua parte leges deductæ fuerunt, de quibus aliàs erit ſermo: Tertia autem, quę œconomica appellatur de rectè, iuſtèque familijs gubernãdis, regendiſque tractat: atque hìc totius philoſophiæ diuiſio perficit; quæ vt apparet, adeo ampla eſt, vt nulla ſcientia, arsque exiſtat, quin intra hanc diuiſionem contineatur.

Philoſophiæ actiuę diuiſio.

Ethica, Polytica, ac ęconomica

Ca. Id apertè videtur, quamuis ſub tali diuiſione non audiuerim artem illam, quæ Chimica, & alteram, quæ Cabala vocatur.

Ph. Subtilis, & non indigna talis eſt obiectio, cui reſpondeo, quod ars Chimica, ſeu Philoſophica ſcientia (vt ſectatores volunt) vel pertinet ad quaſdam vanitates, quibus ſtulti aliqui putant Metala in Aurum, Argentumque tranſmutare, nec audire volunt Philoſophorum Chimicorum Principẽ Gebrum dicentem. *Stultum eſt lapidem Philoſophorum à re in qua ipſe non eſt extrahere poße cogitare, vt quidam fatui putarunt, hæc enim nunquam Philoſophorum fuit intentio.* Quare de iſta tanquam hac in parte inani, atque nullius momenti, nè quidem verbum feci; ea tamen tota percurrenda erit ſub naturalis Magiæ tractatu; quandoquidem arcana naturæ nos docere nititur; ideo hæc tota ad Magiæ pertinet tractationem, ſub qua collocanda erit.

In libello περὶ χημείας, c. 3.

Ca. Hæc ars nè veteribus Philoſophis cognita fuit?

Ph. Minimè, quamuis hæc magnæ ſit virtutis; ideo de hac opportuniori loco fuſius tractabimus. Cæterùm quantum pertinet ad Cabalæ reſponſionẽ, ſcito, quod apud Hebręos ſcientia aurium vocata fuit, qua noſtro tempore rarò vtuntur: nos tamen vnà cum Magia de ipſa ſermonem faciemus.

Cabala quid.

Summa

Ca. Summa cura tempus expecto,quo omnes iam enumeratas ſcientias, ac artes percurrere debeas, quamuis valde verear,an tot,tantaſque homini adulto poſſibile ſit adiſcere ſcientias.

Ph. Noli mente tua hunc concipere errorem, quia vanum eſt,quidquid ais excogitare, nedum eidem fidem adhibere: nihil enim eſt,quin ſolicitudine perficiatur, nec res tam difficilis eſſe poteſt,quin volenti facilis euadat:nè vulgatum illud audiuiſti adagium? ſerò veniſti,citò proficiam,quod ſæpenumero viſum fuit, vt legitur pluribus in locis,præcipueque apud Valerium Maximum, qui memoriam faciens de ſolicitudine,induſtriaque primi Catonis in ſtudendo,ait, *penè ſenex literas Latinas, Græcas vero iam ſenex didicit*. & tamen ſapientiſſimus fuit, vt teſtatus eſt Aemilius Probus dicens. *Cato Cenſorius omnibus in rebus ſingulari fuit prudentia, & induſtria, Agricola enim ſolers, Reipublicæ peritus, Iuriſconſultus, & Magnus Imperator, & probabilis orator, atque literarum cupidiſſimus fuit; quarum rerum ſtudium etſi ſenior arripuerit,tamen progreſſum tantum fecit,vt non facile quidquam reperiri poſſit de Græcis, aut Italis rebus,quin ei fuerit cognitum*. De iſtius etiam ſapientia teſtimonium haberi poteſt apud Plutarchum, qui hoc idem affirmauit, excellentiſſimumque fuiſſe Philoſophum, animi integritate,atque eloquentia præditum;necnon & Iuriſconſultum celeberrimum euaſiſſe: vt idem Valerius aſſeruit. ſic de Socrate ibi loquens,dixit, *ætate prouectum muſicis inſtrumentis tractandis operam dare incæpiſſe*. cuius cauſam Oliuerius in expoſitione præbuit dicens,quod cum in Conuiuio inuitatus ad Fidibus canendum reſpōdiſſet neſcire, hæc reſponſio cum aliquibus riſum moueret, quaſi dicentes Philoſophus es, & omnia neſcis? cauſa fuit, vt ad Fidibus canere diſcendum ſe dederit: Alij etiam multi fuerunt, qui natu prouecti ad ſcientias toto pectore incumbere incæperunt, atque eorum euentus optimus,magnique profectus fuit.

Nihil eſt, quin ſolicitudine perficiatur.

Adagium.

Lib. 8. c. 7. VIRI QVI tardo ſtudere inceperūt.

Cato. in eius vita laus Catonis.

In vita ipſius Catonis.

Lib. 8. allegato.

Socrates.

Ca. Horum aliquos ſilentio noli prætermittere ſed ipſorum nomina palàm facito, vt eorum exemplo animum meum excites.

Ph. Inter hos vnus fuit D. Auguſtinus, qui Græcas literas, atque ſacram Theologiam grandi didicit ætate, ſic Petrus Lombar-

D Aug.

Pet Lombardus.

Lombardus magnus Theologus iam barbatus ad ſtudia incumbere incepit; ideo cum cauſa ſtudendi Lutetiam ingreſſus fuerit, ſtudentes iuuenes quaſi ridentes dicebant, ſerò veniſti, quibus ſic reſpondebat, citò me expediam; vnde illud adagium ortum eſt, quod ſupra commemoratum fuit, nempè; ſerò veniſti, citò proficiam. Nec ſecus fuit de Seruio Sulpitio (vt inquit Bernardus Rutilius in eius vita) qui relicta arte orandi (in qua omnibus excelluit excepto Cicerone, ex quo clarè elici poteſt tunc temporis ſenem, vel quaſi ſenem fuiſſe) operam iuriſprudentiæ dedit, breuique omnibus ſic excelluit, quod princeps Iuriſconſultorum fuit dictus, legibusque ea ætate ſtuduit ob quoddam reſponſum Q. Mutij indignatus; de quibus etiam Cicero teſtis fuit, dum de eodem Sulpitio meminit. Accurſius etiam ſerò legibus, Grammaticæq; ſtudere inchoauit, vt aliqui volunt, quod Iaſon notauit; inter autem recentiores vnus fuit Manardus Doctiſſimus Ferrarienſis, qui niſi tranſacta iuuenili ætate rem habuit cum Græcis literis; Sed quid dicam de Ioanne Roncagalo? qui nedum legibus, verùm nec Grãmaticæ niſi annum trigeſimumquartũ tus ſtuduit; hic ortus eſt Ferrariæ, & Doctiſſimus fuit Iuriſconſultus; atque plura in iure ſcripſit, veluti nonnulla cõſilia, deque duobus reis multa.

In Iuriſcõ ſultorũ vitis. Seruius Sulpit. In Bruto. Accurſius. Manard. Io. Roncagalus.

Ca. Dignior hic laude cæteris fuit, qui ab ineunte ætate ad ſtudia incubuerunt.

Ph. Quis ambigit? ſed quid dicemus de Alexandro Stiathico viro ſuo tempore in hoc terrarum orbe inter omnes Iuriſconſulto celeberrimo, nè dicam, omnium Iuriſtarum illius ætatis Principe, qui nonnullos eddidit libros, inter quos vnius titulus fuit. Tractatus Practicæ, & Theoricæ artis Tabellionatus. alter hunc titulum habuit, nempè Praxis iudicialis. hic ſanè vir Bononiæ natus eſt, qui cum macellarius prius fuerit, literarum ignarus, artem ſuam multos annos exercuit, quo tempore quandam matronam patriciam cum laſciuè adamauerit, ab eadem tanquam mechanicus, viliſque ſemper ſpretus fuit: quia vilem artem agebat; quare audiens vir iſte cauſam, ob quam Matrona iſta eum ſpernebat, amore impulſus artem ſuam depoſuit,

Hiſtoria Alex. Stiathici, qui cum macellarius eſſet artẽ depoſuit, & legibus ſtuduit, & cur eiuſq; profectus.

poſuit, intelligensque à literis nobilem, ac ſplendidum hominem effici; ſtatim Grammaticæ operam dedit, qua acquiſita, intellectaque legibus ſtuduit, breuique magno honore à Bononienſi Collegio legibus ipſis iniciatus fuit; cuius induſtria, ingenijque perſpicuitas ab omnibus inſigni admiratione commendata fuit; atque eidem Matronæ actio iſta ſic placuit, quod prædicto Alexandro iam Doctori creato nubere voluit, ipſeque eandem fauſtè duxit.

Ca. O mirùm meherculè nunquam auditum.

Ph. Non deſunt ò Calophile huius generis multi recenſendi.

Ca. Hoc tempore, dic, ſi aliquis inueniatur, qui ſerò ad literas incumbere incæperit.

Ph. Plures ſcio; præcipuè tamen celeberrimum virum ſingulari doctrina imbutum, cuius nomen ob maiorem reuerentiam ſileo. hic in præcipuo Italiæ Gymnaſio Medicam facultatem magna æſtimatione, ac fama profitetur; cuius doctrinæ teſtimonium volumen eſt magnum ab eodem typis iam mandatum, hic ſiquidem vir ætate iuuentutis Grammaticæ ſtudere, deinde in cęteras ſcientias incumbere inchoauit.

Vir celeberrimus qui tardo Grãmaticę, caeteriſq; artibus incubuit.

Ca. Horum virorum exemplis, cum antea timuerim, ad omnia diſcenda excitatus ſum.

Ph. Nonnullos etiam agnoſco, quos breuitatis cauſa prætereo, qui multos annos nati bonarum artium ſtudijs, ipſique Grammaticæ operam dederunt, nec minorem profectum illis fecerunt, qui puerili ætate ſtudijs ipſis operam nauarunt: ideo alacriter initium amplectere, ſtudiaque ſequere, optimumque citò videbis exitum, tria ſunt mi Calophile, quæ breui ad maximam eruditionem homines ducere conſueuerunt; nempe audire, docere, ac ſcribere; quare ſi hac via rem tuam tractabis, exoptatum finem prope diem nactus eris.

Ca. Vt docuiſti, faciam, interim enumeratas ſcientias, arteſque percurrere, ne moreris, obſecro.

Ph. Sic decet, vt ſcilicet policita obſeruem, ſed quoniam tempus eſt, vt à labore ad quieſcendum proficiſcamur iam

enim

enim nocti dies cedere, lucemque tenebre pelere videntur: ideo eamus, atque tugurium meum ingrediamur, ſummo enim mane de reliquis Deo fauente tractabimus.

Ca. Te ſequar, cum iter ignorem.

Ph. Hilari vultu adeſto, quod enim cupis, cras habebis.

Ca. Ita confido, atque hac fide lęto animo venio.

Finis primi Dialogi.

DE NOBILITATE MEDICI, DIALOGVS SECVNDVS.

Hippolyti Obicij Medici, & Philoſophi.

In quo totius Chriſtianæ, ac Philoſophicæ Theologiæ, omniumque Mathematicarum artium, atq; vtriuſque Magiæ ſummula habetur.

Philalethes. Calophilus.

Ph. CAlophile ne ſomno nimium captus precioſi temporis iacturam facias, expergeſcere iam enim hora inſtat matutina.

Ca. Heùs quæſo ſine, vt quieſcam. cùm Auium intra ſyluam habitantium, cantus dulces incipiant, quorum armonia ad ſomnum conciliandum, ac dulcè quiete fruendum multum cōducit. tota nocte ſemper te audiui, quid ais? dormi ſi vis, nèc mihi tantam infer moleſtiam; vel ſile, ſi dormire non lubet; cùm enim dormiendi tempus dormiendū, cùmque loquendi loquendum eſt; omnia namque ſuum tempus habent: ut à ſacris literis didici. *Oĩa ſuum tempus habent Eccleſiaſtes c. 14*

Ph. Hà Calophile caue, nè decipiaris, nunc meo fungor officio. audi diuinum illum Platonem dicentem *Turpe eſt Domino, ac Dominæ totam dormire noctem, nec ante omnes ſurgere, atque alios è ſomno excitare.* quare nunc dormiendi tempus elapſum eſt. *7. de legibus.*

Ca. Mihi non placet Platonis Decretum, quia ſi Dominum dormire non decet cur cæteris quies interdici debet?

Ph. Hic non eſt verus ſtudendi modus, nec vera viuendi ratio: ſi vis philoſophus fieri, te à ſomno abire oportet Demoſthanes rogatus quo tandem modo artem dicendi eſſet conſecutus. plus, inquit, olei, quàm vini conſumendo; quaſi diceret, quòd noctu circa ſtudia inuigilabat, quo tempore plus olei, quàm vini conſumi ſolet; itidem eiſdem verbis ſtudentibus inhibet vinum; nam ſobrius potus ſanitas eſt animæ, & corporis; vt ſacer textus nos docuit. Sed quid dicat Plato loco allegato de ſomno intelligito. *Somnus multus nec corpori, nec animæ, nec rebus gerendis natura conducit: homo enim dum dormit nullius eſt precij, ſed tantæ vtilitatis, quàm ſi mortuus eſſet.* Quare ait. *Qui longo tempore uiuere cupit, ſemper vigilet, & ſolùm dormiat quantum neceſſe eſt pro ſeruanda ſanitate.* Hæc quidem Platonis ſunt verba; ideò non debes commoueri. etſi te vocẽ, cùm ſex horis dormiueris, vnde ſatis eſt quartam totius temporis conſumere partem in dormiendo, vt ſanitas ſeruetur.

Demoſt. qua via artem dicendi eſſet conſecutus. Sobrius potus ſanitas animę & corporis, Eccleſiaſtes. c. 31: Plato improbat sõnum. Somnus multus lęthalis.

Ca. Non limitanda, Philalethes eſt hora, nec tempus dormiẽdi, quia ſi eędem eſſent conſtitutiones hominum, rectè fieret, ideò varianda eſt limitatio temporis iuxta hominum naturam: mihi corpus ſatis humidum eſt, tibi gracile: inter nos igitur aliqua differentia eſſe debet inter dormiẽdo; hæc profectò me quidam Medicus docuit.

Ph. Nec à vero Medicus ille abfuit, quia corpus humidum magis propenſum eſt ad ſomnum, quàm gracile: ſcito tamẽ, quòd natura nihil boni, aut mali dat, ſed talis fit natura, qualem conſuetudinem fieri videmus; atque hæc Socratis ſententia fuit; concedo tamen, quod te plus, quàm me dormire deceat; ego quinque, tu ſex dormiſti horas.

Natura nihil boni, aut mali dat.

Ca. Iam à lecto abſum, meque induo, & ſic tibi morem gero. Sed quis hoc tempore ſermo noſter erit?

Ph. Deum optimum maximum ante omnia venerari, ipſumque adorare, atque aliquibus orationibus pro animæ noſtræ ſalute ſuam miſericordiam rogare.

Ca. Ita nobis gerendum eſſe cenſeo; quare nomine ipſius auſpicamur; nunc tamen dubium è mente euelle, & dic (gratũque erit) cui peccata tua confiteris, nemo enim coram Deo iuſtus eſt, vt apud Iob legitur, atque à quo, & vbi (vt eccleſiæ præce-

Nemo iuſtus corã Domino. Iob c. 4.

præcepto obtemperes) rem ſacram audis, longinquus enim ab hominum ſocietate valde videris.

Ph Libenter tibi ſatisfaciam. Quare ſcito, quòd hinc quidam Monachus nõ multùm abeſt, in quodam paruulo Tẽplo vitam degens, ad quem per viam incognitam eo; cui mea peccata confiteor, vbi ſacrificio Miſſæ aſſiſto: ipſe, ſociuſque eius ſolùm de me notitiam habet; aliqui ex alijs partibus deuotionis cauſa ad eum proficiſcuntur, quo tempore domi eius delitefco, atque hoc modo vitam duco.

Ca. Quomodo Monacum agnouiſti?

Ph. Ne mei arcanum te lateat, ſcire debes, quòd caſu (vt tu feciſti) hunc amœnum, ſemperque virentem locum inueni; qui, vt vides, ab importunis borealibus vẽtis immunis eſt ob inaceſſibiles Montes partem Boreæ occupantes; reliqui tamen venti ſuauiter ſpirant, Zephyrus ſiquidem cæteris prædominans: porrò per aliam viam nemo hùc accedere poteſt (ni fortè ab Angelo ductus, vt fuiſti) niſi per vaſtum locum in Monte factum, quem heri vidiſti, hic ſanè locus inter vtrũq; Montem fiſſuram habet tantá latitudine, quę hominem capere poteſt; hæc forsàn à Terræmotu creata fuit. Per eã igitur ad Monacum ire ſoleo.

Deſcriptio loci, vbi vitam ducit Philalethes, & quomodo eum inuenerit

Ca. Qua via fiſſuram inueniſti?

Ph. In Ciuitate vitam tranſigens ſæpè ad Monacum proficiſcebar, cum quo diluculo prope Montes loquens, fiſſuram vidi, quam ingredi illico mihi fuit voluntas, Monaco igitur inuito (cùm, nè quid mali mihi ſuccederet; vehementer vereretur) eam ingreſſus fui, obſcuroque loco unius horę ſpacio alacriter tranſacto hunc pulchrum locum reperi; cuius aſpectu magnoperè lętatus fui, ubi circumſpiciens Tugurium intra collem magno artificio fabricatum, cæteraque uiſu digna conſideraui, omniaque ualde miratus fui; hinc igitur læto animo ad Monacum reuerſus iam viſa ei narraui, eumq; rogaui, ut abditum locum mihi concederet, hunc que operiret, vbi in futurum uitam ducere exoptabam; hic vtrunque facere libenter pollicitus fuit: ego autem breui, ac ſecretò libros, aliaque ad victum, veſtitumque neceſſaria ad ipſius habitationem tuli, illincque paulatim ad Tugurium omnia duxi; ſeptemque elapſi ſunt anni, quòd hìc uitam dego.

Ca. O Philalethes fœlix es, tibi ſane inuideo, ò quàm mirum

donum Deus tibi largitus fuit.

Ph. Profectò ſorte mea contentus viuo, Deum ſummũ laudando, ipſum abſtractiuè, cæteraque creata per cauſas contẽplando, vt omni ſtudio fœlicitatẽ conſequar iuxta illud magni Poetæ. *Fęlix qui potuit rerum cognoſcere cauſas*: atque vt poſt obitum Dei miſericordia altera æterna, ac vera frui valeam: de qua loquens Boetius, dixit. *Fęlix qui potuit fontem viſcere lucidum.*

De cõſol. Metr 12.

Ca. Quid exoptas Deus pius tibi concedat. interim, ſi lubet, policitum colloquium nullo intermiſſo labore noli ſilentio inuoluere.

Ph. Nullus ſanè labor me grauabit, dummodo pollicita perpetrabo; policitus ſiquidem fui de omnibus ſcientijs, artibusque enumeratis (quibus Medicus ornatus eſt) compendioſam ſummulam tradere, ideo, vt ordinatim iuxta allatam diuiſionem incedam, à Theologia Chriſtiana incipiam.

Ca. Quid Philatethes? vis prius Theologiam, deinde cęteras artes me docere?

Ph. Non ignoro Calophile, plures econtrario inceptauiſſe, nempe à Grammatica, ſed cum ſcientias, artesque nunc docere te nolim, cùm tui animum tantummodo excitare velim: ſic me gerere decreui: cùmque harum omnium, tam artium, quàm ſciẽntiarum cognitionem nactus fueris; hac ſummula omnia, quæ lõgo tempore didiſceris, breui in memoriam reuocare poteris.

Cur Philalethes à Theologia auſpicetur.

Ca. Vt placet facito, interim Deum rogabo, vt ſua benignitate linguam tuam fœcundet, dirigatque: ideo quid Theologia ſit imprimis dicito.

Ph. Theologia, vt ait Scotus, duobus modis conſideratur, nempe in ſe, & in nobis: Theologia in ſe attinet ad Deum, eſt enim cognitio ea, quam Deus optimus maximus habet de ſui natura, qui ſe ipſum naturaliter agnoſcit eſſentiam ſuam inſpiciendo, ac contemplando: ideo talis Theologia ipſi ſoli conuenit, atque eidem duntaxat nota eſt. Theologia in nobis eſt, vel in nobis in via, quatenus viatores ſumus, hoc eſt in Mundo, vel in nobis in patria, ſcilicet in Cœlo, & ſic Beati ſunt Theologi in Cœlis ſummo bono fruentes, cũ iſti diuerſo modo à nobis de Deo rebuſque diuinis cognitionem habeant: cognitio enim Beatorum ea eſt, quæ pro actu

Theol. qd in prologo ſent. q 3. Theol. in ſe.

Theol. in nobis duplex.

viſionis

viſionis haberi poteſt, vnde intuitiua à Doctoribus vocata fuit; quatenus intuitiuè Deum agnoſcunt, non abſtractiuè, vt nos viatores; ſed actualiter Dei eſſentiam inſpiciunt, eaq; fruuntur actu viſionis ipſam contemplando. Quare cùm ſolis Beatis competat, Beatorum Theologia iure dici poteſt, cũ viatoribus nullo modo conuenire poſſit: niſi Deo placeret ex peculiari priuilegio, quod habuit D. Paulus (vt idem ſcripſit) qui raptus fuit vſque ad tertium Coelum, et audiuit, ſcilicet vidit (vt ſanctus Doctor exponit, & vt Dionyſius Carthuſianus affirmat) arcana verba, quæ nõ licet homini loqui. Theologia verò in nobis in via eſt ea cognitio, quæ per abſtractionem de Deo, diuiniſque rebus, atque ſæpe per fidem, talis haberi poteſt, qualem intellectus noſter pro ſui intellectione habere aptus eſt, hæcque; vt iam dixi, eſt ſciẽtia homini Chriſtiano neceſſaria de conſilio præter alias ſcientias naturaliter inuentas, atque ab eo conquiſitas, vt ſanctus Doctor ait. Hęc igitur Theologia tribus partibus diuiditur; namque uel reuelata eſt, & dicitur ſcientia inſpirata, ſiue infuſa; vel oratione mentali conquiſita, & miſtica nuncupatur, vel per ſpeculationem, ſcilicet per ſtudium rerum diuinarum homo eam adeptus fuerit, & ſic ſpeculatiua appellatur: Primo igitur modo eſt cognitio de Deo, rebuſque diuinis, quæ per reuelationem ac inſpirationem habetur, & hæc dicitur infuſa per ſpiritum ſanctum, & ſic Prophetæ fuerunt Theologi, alijque Dei electi, vt Apoſtoli D. Noſtri Ieſu Chriſti. Secundo verò modo myſtica Theologia nominatur, hæcque oratione affectuoſa, frequentique acquiritur, Deum vnum, ac trinum contemplando, diuinaque myſteria mente, puroque corde conſiderando: Myſticaque dicitur, quaſi abſcondita, quia in animo cõſiſtit; ait enim Gerſon, quòd eſt extẽſio animi in Deũ ob amoris deſiderium; quare in optimo, atque deuoto Chriſtiano hæc Theologia reperitur, etiam ſi ſimplex muliercula eſſet, ſi rectè operetur, atque Deum, diuinaque myſteria purè mentaliter contempletur. Cæterum tertio modo Theologia contemplatiua dicitur, ad cuius cognitionem acquirẽdam neceſſum eſt aliquas ſcire ſcientias, ueluti eſt Grammatica, Logica, atque Philoſophia: non quia Theologia his diſciplinis indigeat, ſed ob imbecillitatem noſtri intellectus opus eſt prius eas facultates addiſcere, ut facilius hæc intel-

2. ad Cor. c. 12.

In Cõmentario.

Theologia in nobis in via.

1 par. q. 1. art. 1.

Theologia alia diuiſio.

Theologia inſpirata.

Theologia Myſtica.

par. 3. de Myſtica Theologia.

Theologia contemp.

par. 1. q. 1. art. 5. ligantur teſte ſancto Doctore loco citato. Porrò hæc Theologia duplici modo diuiditur, non ſanè ratione rei conſideratæ, ſed ratione modi conſiderandi: vno modo dicitur Scholaſtica, alio modo poſitiua. Scholaſtica eſt, quæ in ludis litterarijs diſcitur, iſtique Theologi diſputant contra Hæreticos, atque Infideles, eorumque falſas opiniones improbāt, hocque faciunt rationibus, exemplis, atque auctoritatibus arguendo, veluti faciunt Philoſophi; interdum ratione, aliàs ſacrorum librorum, Doctorúmque auctoritatibus.

Theologia cōtempla. duplex.

Ca. Vbi, & à quo Doctore hæc Theologia tota diſci poteſt?

Ph. A Petro Lombardo, qui miro ordine in quatuor libros eam digeſſit, in quorum primo de myſterijs ſanctiſſimę Trinitatis agit, veluti de fruitione ſummi boni, hoc eſt de Deo vnico, & trino in perſona; probatque à perſonarum Trinitate non conſtitui plures Deos, ſed unicum Deum eſſentialiter, trinum perſonaliter, immenſum, infinitum, immutabilem, multaque alia huic negotio neceſſaria ſcribit, veluti de productione perſonarum diuinarum oſtendens Patrem à nemine produci, ſed à ſe ipſo eſſe: itidem Filium à Patre generari, qui Pater, & Filius tanquam vnum principium ſpirant Spiritum Sanctum; inſuper oſtendit, quòd quamuis vna perſona ingenita, alia genita, alteraque ſpirata ſit: ob id tamen differentia vlla eſſentialis inter ipſas reperiri non poteſt, quia perſonæ diuinæ potentia, bonitate, ſapientia, omnibuſq; alijs eſſentialibus attributis coæquales ſunt, ita coęternæ; namque prius, & poſterius in diuinis non dari patefacit; alia itidem tractat, nullum ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium relinquens ſapientibus cognitum, quin de eo mentionem faciat, ueramque cognitionem prębeat.

Lib. 1. ſententiarum quid contineat.

Ca. In ſecundo libro quid agit?

Ph. De totius mundi, naturæque angelicæ creatione, circa quam materiam multa dicit, poſtea animarum creationem declarat, ac liberum arbitrium monſtrat: de alijs etiam ad hanc rem pertinentibus agit, veluti de peccato tum in ſe, tū in Adam conſiderato. In Tertio de Verbi incarnatione, humanæque gentis reparatione verba facit: Ideò quomodo ſolus Filius miſſus fuerit ad naturam humanam in Virgine aſſumendam, quam à peccato ſemper liberam ob priuilegium

Lib. 2. ſen. ten. tractatio.

Libri tertii capita præcipua.

gium fuiſſe narrat: ita etiam quod Deus homo factus ſit, nempe Filius, qui, licet, Patri æqualis ſecundum diuinitatē ſit; inferior tamen eſt ſecundū humanitatem; quia ut Deus ex ſubſtantia Patris ante ſæcula fuit genitus, hoc eſt ab ęterno; tamen in tempore ex ſubſtantia Matris Virginis eſt natus: aliaque multa fidei, incarnationiſque arcana patefacit, ac circa virtutes, nēpe circa ſpiritu ſancti dona, circaq; alia huic materiæ inſerta præclarè verſatur.

Ca. Modo, quid in quarto ſcribatur, explicandum eſt.

Ph. Primo loco ſeptem ſacramentorum tractatus ſcribitur, vbi quæ ad horum perfectam cognitionem conducunt tradit, poſtea ſe extendit ad extremum iudicium, infernum, ac Paradiſum monſtrandum, aliaque nos docet, quæ omnia in gratiam dictorum oſtenſa ſunt: hæcq; eſt præcipua intētio quatuor librorum ſententiarum, quos Scholaſtici ſequuntur, horumque varia commentaria exiſtunt, veluti Sancti Thomæ, Sancti Bonauenturæ, Scoti, aliorumque quamplurium; iſtique Doctores ab ordine commemorato in prædictis commentarijs non recedunt, omneſque difficultates, ac dubitationes in quęſtiones vertunt, ac harum ſolutiones præbent. Aliqui etiam fuerunt, qui eoſdem libros in epitome redigerunt, veluti fuit Arnoldus Vaſalienſis; ideo hæc Petri Lombardi tractatio eſt veluti totius Scholaſticæ Theologiæ fundamentum, omnes enim enituntur quid ibi ſcriptum eſt comprobare.

Capita quarti libri ſententiarum.

Ca. Antequam vlterius progrediaris, rogo, vt veritatis ſummulam, omniumque dictorum declarationem mihi tradas: quandoquidem inter cętera ſcienda hæc omnia Chriſtiano valde neceſſaria videntur, nè ob ignorantiam interdum, quæ contra fidem ſunt proferat, aut concedat.

Indoctis nō cōuenit de diuinis agere.

Ph. Prorſus id facerem, ſi talis ſcientia, vel potius ſapientia omnibus condecens eſſet; ſed nedum conueniens, immò indoctis non licet: quibus interdictum eſt de multis rebus in ea contentis tractare, Doctos enim ſolùm hæc decet: qui ſi Theologiam ipſam ignorarent, vel ſaltim; ſi ea, quæ ad fidem ſpectant, neſcirent: iſtud eſſet, quæ Dei ſunt, alijs qoſtponere, quod eſt contra præallegatum Matthæi. *Primum quærite regnum Dei, & iuſtitiam eius.* Rudibus igitur nedum fas eſt Dei myſteria ſcire, verùm nec congruum,

Cap. ſexto

immò vetitum: aliqua ſolùm iſtis conceditur iuxta ſui intellectus capacitatem, ne in errores labantur; ideo huiuſmodi hominibus ſatis eſt, quæ ab eccleſia ſancta decreta ſunt firma fide credere, ſimulque Deum timere: initium enim ſapientię eſt timor Domini; vt Salomonis fuit ſententia, vt etiam in Eccleſiaſtico legitùr, quod confirmauit Iob, dicens. *Timor Domini ipſa eſt ſapientia, & recedere à malo eſt intelligentia.* Quare nō omnibus æquè myſteria diuina ſcire cōuenit, nè, vt dixi, in errores labantur. Vnde D. Paulus dixit. *Non plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad modeſtiam, ſicuti vnicuique Deus diuiſit menſuram fidei.* Tu igitur cum hæc myſteria capere nequeas, cum Logica, Philoſophiaque careas: hinc arcana diuina pro nunc explicare nolo, ideo tempore opportuniori ad Petri Lombardi libros te remitto, ac ad prædictos explanatores: interim ſi præcipua fidei neceſſaria ſcire exoptas, Athanaſij Symbolum legito, vbi totius fidei neceſſaria, ac præcipua fundamenta diſces.

Initium ſapientiæ timor Dñi. 1. Prouer. Eccl. ca 1. Iob c. 28.

ad Roma. cap. 12.

Athanaſii Symbolum fidei fundamentū.

Ca. Nè à tuo conſilio abſim, quæ mihi proponis facienda obſeruabo, tu, nè reliqua ſilentio tranſigas, inceptum ſequere.

Ph. Id agam, ideò ad aliam Theologiæ partem accedo poſitiuam, ſeu ſcripturalem vocatam, hæc quidem ex ſtudio ſacrorum librorum, & præſertim noui, & veteris Teſtamenti adiſci ſolet, huiuſque partis profeſſores res ipſas ſacras, ac diuinas in quęſtiones minime vertunt, ſicuti Scholaſtici: Sed ſtudent, vt veritatem in enigmate traditam noſcant, eamque diſcipulos doceant nulla diſceptandi ratione vtendo, ſed ratam, ac firmam ſcientiam conſtituendo, aliquando tamen rationem, ac ſæpius auctoritatem eorum, quæ pro uera ſententia conſtituunt, explicant; ideo Theologia poſitiua differt à Scholaſtica non re, ſed modo conſiderandi: itidem harum neutra à myſtica, inſpirata, ac intuitiua re, ſed ſolùm conſiderandi modo diſtat: Omnes enim eadem perpendunt, ſed diuerſimode. Hæc igitur Theologia poſitiua ab aliquibus ſpiritualis vocatur ad differentiam cęterarum doctrinarum, quæ litterales dicuntur, quia ad eas acquirendas ſola litteratura, ſeu res ad literam conſiderantur, vel ſenſus litteralis dūtaxat perpēditur: At in ſacra ſcriptura pter litteralem

Theologia poſitiua.

Theologiæ ſpecies non differunt re.

talem ſenſum, intelligi debet ſpiritualis.

Ca. Qualis eſt ſenſus ſpiritualis?

Ph. Pro illius cognitione ſciendum eſt, quod ſicuti homo (vt ait Iacobus de Valenza, & Origenes) componitur ex anima, & corpore, ita ſacra ſcriptura (potiſſimum vetus teſtamentum, nam nouum clarius eſt, vt ait Scotus) componitur ex litera, & ſpiritu: litera eſt corpus, & ſpiritualis ſenſus eſt anima; hic autem ſenſus triplex eſſe poteſt literali excepto (vt ait Sanctus Doctor) Allegoricus, Tropologicus, ſeu Moralis, atque Anagogicus: Allegoricus eſt, quando vnum in litera ſonat, quod obſcurè ſenſum verborum indicat; ideo ſi tunc aliud per verba ea intelligi debeat, ſicque explicetur, dicitur ſenſus allegoricus, talisque ſcribendi modus Metaphoricus eſt; ſenſus igitur Allegoricus ſub Metaphora collocari ſolet: itidem & Tropologicus, necnon & Anagogicus: verùm in hoc differunt, quòd Allegoricus attenditur penes viſibilia, vt quando vnum in litera habetur, & aliud ſignificat, quod ad viſibilia pertinet. At Anagogicus differt ab ipſo Allegorico, quia ille ad inuiſibilia, hic ad viſibilia, vt dixi, attinet: Ideo Anagogicus ſenſus ad ea, quæ cœleſtia, & ſalutis ſunt, attinet: ſed Moralis, ſiue Tropologicus ille dicitur, qui ſpectat ad mores, morumque correctionem, ac inſtitutionē: Quare Auguſtinus Sanctus ait, quod ſicuti anima dat corpori triplicem vitam, nempe vegetatiuam, ſenſitiuam, atq; intellectiuam: ita ſpiritus literæ triplicem ſenſum præbet. Allegoricum, & hic pertinet ad fidem, quatenus ipſam nos docet. Tropologicum, talisque ad mores ſpectat, quia monſtrat modum diligendi Deum, & proximum. Anagogicum, iſteque ad ſpem, quatenus dat ſpem cęleſtibus, æterniſque fruēdi rebus, attinet.

Tract. 3. c. 2. reg. 5. p. logi in Pſ. Origen. ſup Matth. Scot. 3. ſententiarum diſt. vlt. Parte 1. q. 1. art. 10. Senſus ſacra ſcriptura quatuor.

Tropologicus ſenſus. Auguſt. ſuper Geneſi ab initio.

Ca. Dic, ſi ſenſuum talis diuerſitas, tā apud Hebræos, quàm apud Chriſtianos obſeruetur?

Ph. Minimè, quia Hebræi quoad literam ſolùm ſacram ſcripturam intelligunt; ideo pro ipſis mortua eſt, dicebat enim Origenes loco præallegato, quòd ſicuti anima dat vitam corpori (quod mortuum eſſet, niſi ab anima viuificeretur) ita litera ſacræ ſcripturæ (& maximè veteris Teſtamenti) niſi per lumen ſpirituale, quod eſt eius anima viuificetur, mortua eſt: quia litera occidit, ſpiritus autē viuificat; vt ſcribit D. Paulus

Iudęi ſacrā ſcript. non intelligunt.

2 ad Rom. cap. 1.

ab

Diuiſio ſcripturæ. ab iſta igitur ſcriptura ſacra, ſcilicet à Teſtamento veteri, & nouo (quæ diuiditur in libros legales, Morales; Propheticos, atque Hiſtoricos) deducta eſt lex canonica iuſſu ſanctæ *Origo leg. canon.* Eccleſiæ Sacrorum Theologorum ope: iuſque ipſum canonicum deductum eſt à libris, in quibus habentur præcepta *3. ſent. diſtin. ult.* omnia, quæ vel moralia, vel cęremonialia, vel iudicialia ſunt: ſub his enim tota lex ſtabat, vt Scotus affirmat.

Ca. Si, quæ ais, vera ſunt, noſtri Canoniſtæ debent vocari Theologi, cum Eccleſiæ Sanctæ iuſſu leges canonicas conſtituerint.

Ph. Non Canoniſtæ, ſed Theologi leges ipſas, vt iam dixi, conſtituerunt: iſtudque tanquam legislatores; ideo nec Canoniſtæ vocari poſſunt, ſed Theologi, ac harum legum conditores; quia etſi Theologi de iſtis rebus, quas Canoniſtæ tractant, agant; nihilominus diuerſo modo idem faciunt; nam Theologi ſubtiliori via, qua fieri poteſt, circa huiuſmodi materiam ſe gerunt inquirendo rerum cauſas, ac rationes. Canoniſtæ autem tractant de his craſſo modo id quod legunt memoriæ mandando, nec rationes quærunt; quia ad actionem ſolummodo ſe dirigunt. At Theologi ad contemplationem (vt dictum fuit) quæ pars longè nobilior, ac ſublimior eſt ipſa praxi: ac demùm Theologi legum canonicarum ſunt conditores, Iuriſtæ vero earum executores: ſat igitur Canoniſtis eſt, vt ſciant legislatorum intentionem, cùm nullam cauſam, ſiue rationem inquirant: Ideo Canoniſtæ Theologis inferiores, ac ignobiliores ſunt, quanto praxis ignobilior eſt ſpeculatione, quæ per cauſam contingit, praxis autem abſque cauſa: cuius rei differentiam, dùm heri de nobilitate Medici ſermo fuit, ſatis monſtraui.

Theologi iuris canonici conditores. Iuriſtæ executores

Ca. Circa iam dicta dubium mente concipi poteſt; nam in diuina ſcriptura tanta ſenſuum multiplicitas multorum errorum occaſio videtur; cuilibet enim licet ſuum aſſignare ſenſum pro ſpiritusſancti intentione; Quare melius exiſtimo, ſi clarius verba nobis tradita fuiſſent: præterea dixiſti vetus, & nouum teſtamentum diuidi in legales, Morales, Propheticos, ac Hiſtoricos libros: hæc ſanè diuiſio etſi in Teſtamento veteri reperiatur, neſcio, quomodo in nouo res ita contingere poſſit, vbi nec Hiſtoriæ, nec Prophetiæ ſcribuntur.

Primæ

Ph. Primæ obiectioni cùm D. Auguſtino exoluo dicens, quòd nihil in diuina ſcriptura traditur per ſenſum ſpiritualem, quod neceſſarium ſit ad ſalutem, gloriamque cœleſtē conſequendam, quin per literam aliquo in loco ipſius ſcripturæ ſacræ habeatur: Quare cum ſenſus non haberet fundamentum aliquo in litterali ſenſu, repudiatur pro falſo; vnde ſcito, quòd neceſſarium fuit ſub Metaphora, atque in enigmate Dei arcana interdum ſcribere (quod confirmauit D. Auguſtinus loco citato) vt fidei veritas tuta eſſet, ac ab infidelibus, eorumque irriſione ſecura: ſecundo vt res ſacræ difficiles intellectu eſſent, nè homines ſuperbi euaderent, cùm facilè diuinas res intelligerent. tertio vt difficultas attentionem excitaret: quibus omnibus addi poſſe exiſtimo, nè tot arcana diuina cuilibet Idiotæ nota eſſent, ſed ſolùm electis, ac ſapientibus: qui poſtea diſcipulos ea docere potuiſſent; etenim non omnibus licet diuina myſteria ſcire, quod declaratum fuit à D. Paulo, dùm ſcribens ad Romanos dixit. *Non plus ſapere, quàm oportet ſapere.* & quæ ſequuntur. hoc idem Platonem dixiſſe videtur, qui ad Dionyſium ſcribēs, ait, quòd ſacra philoſophiæ myſteria ſunt per enigmata ſcribenda, nè vulgus ita ea perperàm intelligat, vel negligat, & in errores labatur. pro autem ſecundi dubij ſolutione ſcito, quòd nouum teſtamentum, vti vetus in quattuor partes diuiditur, etenim libri Euangelici tanquam legales habentur, Morales vero ſunt Epiſtolæ D. Pauli, aliorumque Apoſtolorum, Hiſtoricisque libris actus Apoſtolorum reſpondent, veluti Apocalyps Propheticis: in quibus omnibus Deus eſt ſubiectum ſub conditione redemptoris ac glorificatoris, veluti in Teſtamento Veteri ſub conditione creatoris, ac gubernatoris: hæcque ſatis ſint pro his, quæ ad totam Chriſtianam Theologiam mihi occurrunt.

Lib. de Doctrina chriſtiana.

Cur ſub Metaphora diuina myſteria.

1. ad Rom.

Epiſt. 2. ad Dionyſ.

Ca. Non indignè rem abſoluiſti, etſi anſam dubitandi mihi præbueris, cùm affirmaueris ab Hebræis literam, vel ſenſum litteralem ſolummodò obſeruari: etenim multos audiui Hebræos dicentes, quòd præter ſenſum literalem, habent & ſpiritualem, qui ſub Metaphora latet.

Ph. Porrò non imprudenter Iudęi illi tecum locuti fuere; quia præter litteralem ſenſum habent etiam ſpiritualem: verùm talem minimè obſeruant: quare abſque dubio cùm huiuſmodi

Iudęi ſenſu ſpirituali in ſacra ſcrip. abutuntur.

huiuſmodi ſe gerere uelint,multa committunt errata,veluti circa Meſſiæ aduentum nolentes Prophetarum verba anagogicè exponere,ſicuti in libris Zachariæ dicentis. *Ecce uir oriens nomen eius.* Et quę ſequuntur,ita alijs in locis de tertij Templi ædificatione,atque de liberatione à captiuitate, reductioneque eorum in terram promiſſionis; Hæc namq; litteraliter ſolummodo intelligere volunt, nec anagogicè interpretari;vt Rabbi Salomon expoſuit,atque alij Doctores Talmudiſtę,quos F.Fauſtinus Taſſus recenſet. Quare etſi non obſeruent, niſi ſenſum litteralem, & potiſſimum circa Meſſiæ aduentum,habent tamen quatuor ſenſus,veluti nos,quibus ſacras ſcripturas interpretari poſſunt; iſtudq; clarè Ioannes Picus mirandola oſtendit dicens, quòd Iudęi habent ſenſus quatuor, quibus Bibliam exponere poſſunt, qui noſtris commemoratis proportionati ſunt.

Cap. 6.

In 2.0. ſermone de aduentu Meſſiæ.

Iudæi hñt quatuor sẽſus pro ſacra ſcript. exp. in apolog. de Magia, & Cabala in fine.

Ca. Senſus illi quatuor Iudæorum, nè idem ſunt nomine, ac re cum noſtris?

Ph. Re ſiquidem,cùm idem ſignificent,verùm nomine differunt:nam litteralis noſter dictus apud illos Peſat fuit nominatus,vt ſcribit Rabbi Salomon,itidem & Chemoij, Allegoricuſque Midras; ideò aiunt Midras Ruth,ſcilicet expoſitio miſtica ſuper Ruth;atque iſte modus eſt, quē Talmudiſtæ Doctores ſequebantur. Tropologicus autem Sechel hebraicè vocatus fuit,quem ſecutus fuit Abrahā Abnazara,atque alij,veluti Rabbi Moſes Aegiptius. Ananogicus ſenſus vltimus apud eoſdem (vt teſtatur idem Picus) nil aliud eſt,ꝙ̃ Cabala,hoc eſt expoſitio ore Dei Moſi tradita,à poſteriſque per ſucceſſionem ex auditu recepta (vt infra, quùm ſermo de Cabala erit,dicam)atque talis ſenſus apud ipſos Hebręos, veluti apud nos, cæteris ſublimior eſt; quia nos ſurſum ducit,à terrenis ſcilicet ad cœleſtia, à ſenſibilibus ad intelligibilia,& temporalibus ad æterna.Iudæi igitur ſenſus habent,nec ipſis vtuntur,etſi pro eorum ſalute neceſſum ſit.quare pro dubij ſolutione dicta ſufficiant.

Noſa ſenſuū ſacræ ſcrip. Hebrȩorum.

Loco citato Cabala ꝗd.

Ca. Ita ſit.Ideo de alia Theologia,quam naturalem uocaſti verba fac.

Ph. Sic opus eſt,ut ordinem propoſitum ſequamur; de ipſa igitur aliquid dicamus,quę Metaphyſica apud Philoſophos dicta fuit, cum diuinarum, ſeu ſeparatarum rerum ſcientia ſit;

DE METAPHyſ. ſermo.

fit;nàm (vt in diuiſione ſcientiarum heri dixi) Philoſophia realis ſpeculatiua triplex eſt; nempe Phyſica, Mathematica,ac Metaphyſica; hocque ab Ariſt.conſtitutum fuit iuxta rerum omnium triplicem diuiſionem,vt ipſius verba teſtãtur omnia enim entia(vt etiam ipſe docet)in tria genera diſtribuuntur. Cùm alia ſint in materia,& tali modo , ut nec ſecundum rationem,nec ſecundum eſſe ſeparari aut intelligi poſſint. atque huiuſmodi res vocatæ fuerunt naturales, de quibus in naturali philoſophia uera ſcientia ab Ariſtotel.traditur. vel entia ſunt quidem in materia, ſed non tali modo , quin ſecundum rationem ſeparari poſſint ; atque huiuſmodi res Mathematicæ dici ſolent,.de quibus in ſciẽtijs agitur Mathematicis ; huiuſque generis eſt quantitas continua, atque altera diſcreta dicta. Alia itidem inueniuntur entia,quæ ita ſeiuncta, ac à materia ſeparata ſunt nedum ſecundum rationem, verùm ſecundum eſse,quòd nullo modo in ipſa intelligi poſſunt : quemadmodum res ſeparatæ, ex quibus ſcientia Metaphyſica dicta conſtituta eſt.

6.Metaph. tex. 2.

in Epit. metaphy.tracta.primo.

Ens Mathematicũ quid.

Ens Metaphyſicum

Ca. Scientia igitur hæc ſolùm de rebus ſeparatis agit.

Ph. Ita,ſed nota(vt notant Sactus Doctor) quod nedum ſeparata dicuntur ea, quæ nunquàm in materia eſſe poſſunt , ſicuti Deus,atque ſubſtantiæ intellectuales : ſed etiam illa , quę poſſunt ſine materia eſse;ut eſt ens commune . Quare ẽt de ſenſibilibus agit , prout ſunt entia, ut idem S.Doctor docet:vnde ſciẽtia hæc vniuerſalis eſt ad omnia entia(vt ab Ariſt.elici poteſt,& vt Alex.concludit)& ita, vt iure regulatrix aliarũ ſcientiarũ dici poſſit, vt probat S. Thomas loco citato:iſta etenim cæterarum ſcientiarũ principia probat,ac declarat:quia cùm eius ſubiectum ſit ens commune abſolutè conſideratum (vt ab eodem Ariſt ac Auer.aſſertur oportet Artificem iſtius ſcientiæ,quæ ipſi inſunt ſubiecto per ſe, & non per accidens ſpeculari ; nã de ratione ſcientiæ eſt,vt Artifex nullã ſubiecti omittat partẽ,quin eã perpẽdat ; quãdoquidẽ non ſatis eſt ſimpliciter ſuum cõſiderare ſubiectũ, ſed proprietates,ac partes illius ſubiecti,ſeu oĩa ea,q̃ p ſe eidẽ inſunt ſubiecto(cuius teſtimoniũ fuit Ariſt.atq; Alex)porrò principia,atq; ſubiecta aliarũ ſciẽtiarũ ipſi inſũt ſubiecto, tanq̃ enti cõi,vel ſicuti ſpecies in ſuo gñe : hinc talis ſciẽtia,

Meta. in Procem.

Metaphyſ. tex.2.

4 Metha. t.6.& t.1.

lib. ſextie Ale.4. Metaph.tex.1

In Procem. Meta.

Subiectum lib. Metaphyſicorũ.

4 Metaph. tit primo.

1.Poſt.c 8. & 4 Met t.1. ibidem Alex.

ſiue

Metaph. prin. ac ſubiecta om. niũ ſcient. conſiderat. 1. Poſter.

ſiue illius Artifex omnium ſcientiarum principia, ac ſubiecta conſiderare poteſt. Quòd autem principia, ac ſubiecta aliarum ſcientiarum in hoc ſubiecto inſint, patet, quia principia, ac ſubiecta omnium ſcientiarum ſunt entia: de eo nanque, quòd non eſt, ſcientia haberi non poteſt teſte Ariſtot. Quare cùm ſint entia particularia reſpectu entis omnibus communis, opus eſt, quod ad vnum rediganitur commune, tanquam ad ſuum genus generaliſſimum.

Ca. Philalethes ex his videtur, hanc ſcientiã omnia cõſiderare. Quare ſuperfluum erit, ſi alię conſtituantur ſcientię.

Ph. Non ſic Calophile res intelligenda eſt; nam quamuis ſcientia hæc ad omnia entia communis ſit; ſcire tamen debes, quod diuerſo modo ea conſiderat, ac faciant reliqui Artifices in ſuarum rerum conſideratione: nam (vt ait Ariſt.) Metaphyſicus conſiderat ens, ſolùm quatenus ens in vniuerſali, ac abſolutè acceptum; non quatenus reſpicit materiam; vt in octauo Phyſicorum libro contingit; namque ibi Ariſt. primum Motorem perpendit; non tamen in ſe, quatenus Motor eſſentialiter, vel cauſa omnium: ſed eum ſpeculatur in ordine ad motum, quatenus motum reſpicit, vel cauſat ipſum: At in hac ſcientia Metaph. Motorem primum in ſe abſolutè, & eſſentialiter quo ad quid eſt, non in ordine ad motum perpendit, ſicque de ipſo ſcientiam habet.

11. Metaph. pluribus in locis. Metaphyſici conſideratio. Ac Phyſici qualis.

Ca. Hæc iam dicta obſcura admodum mihi videntur.

Ph. Quidni? cùm nundum tempus ſit, quo ea capere poſſis; namque ad eorum intelligentiam multa requiruntur, quæ tibi ignota ſunt: ideo non, vt ea nunc intelligas, de illis loquor; ſed vt animum tuum ad eadem intelligenda excitem; atque vt cùm totam phyloſophiam didiceris, hac perbreui oratione omnia, quæ diù, magnoque labore, ac vigilijs apprehenderis, citò in mentem reuocare valeas. vt igitur ad rem reuertar, concludo, quòd nedum hæc ſcientia agit de ente communi; tanquam de ſuo ſubiecto, atque de illis; quæ ipſi inſunt (hoc eſt, de decem prædicamentis ſupra enumeratis, ſub quibus omne, quod eſt, contineri heri monſtratum fuit per diuiſionem omnium in ſubſtantiam, & accidens) ſed etiam de principijs, ac cauſis entis, ſeu entium: non enim ſatis eſt ſubiectum, atq; ea, quæ inſunt ſubiecto ſcire, ſed oportet cauſarum, ac principiorum ſciẽtiam habere: quia vnumquodque

Cur Phil. ſcientiarũ compendiũ tradat.

quodque ſcire putamus, cum cauſas primas cognouerimus teſte Ariſt. Quare hæc ſunt tria, q̃ à Metaph. conſiderari debent, nempè ens commune, quæ ipſi inſunt, atq; prima principia, ſeu primas cauſas: quod confirmauit Ariſt. *1. Phyſ. t. 1.* *Met. tria conſiderat.* *4. Met. t 1*

Ca. Hæc ſcientia vbi diſci poteſt?

Ph. In libris quatuordecim, quorum titulus eſt Metaphyſicorum libri, ibi ſanè totam ope Ariſt. intelligere poteris.

Ca. Si lubet, breuem horum librorum trade ſummulam.

Ph. Libenter. ideo à primo inchoamus, in quo Ariſt. monſtrat circa quæ hęc ſcientia verſetur, quam ſapientiam vocauit, atque quomodo perfectiſſima, ac inter cęteras honorabiliſſima ſit oſtendit; Veterumque Philoſophorum decreta circa rerum cauſas, atque principia ſcribit; ipſorumque opiniones refellit, ac improbat: Quæ vero in ſecũdo tractat libro omnino veritatis ſpeculationem reſpiciunt. Tertius aliquarum dubitationum continet tractationem, tùm circa huius ſcientiæ conſiderationem, veluti ſunt, quæ ad ſubſtantias, ſubſtantiarumque principia pertinent; quæ an vnum, vel plura ſint, an vniuerſalia, vel particularia, necnon an potẽtia, vel actu ipſa principia reperiantur, docet, quibus expeditis, in quarto probat primum Philoſophum circa ens, inquãtum ens, atque circa reliqua, quæ habent entis rationem, ſcilicet quæ ſub rõne entis conſiderari poſſunt verſari, & demũ qua ratione ad primum Philoſophum ſpectet oſtẽdere qualenam ſit primum principium patefacit, erroremq; aliquorum Antiquorum circa huiuſmodi rem exponit. At in quinto libro ſe extendit ad huius ſcientiæ terminorum, ac ſynonimorum aliquorum declarationem, nomina aliqua ipſius entis abinuicem ſeparando, ac diuidendo, in ſexto omnia entia ſeparatim conſiderat ad contemplandi modum ſolummodo habẽs rõnem; poſtea quæ cõſideratio, & qualis Metaphyſici ſit ſcopus, oſtẽdit, ſeu quæ ad eius conſiderationem attineant, patefacit. In ſeptimo docet qua via de ſubſtantia ſit agendum ad entis cognitionem; atque quamplures ponit determinationes circa ipſam ſubſtantiam Ideas Platonis tãgens; ac an forma, aut compoſitum generetur diſputat. Deinde in octauo de rerum principijs ſenſibilium, hoc eſt de materia, & forma complectam diſputationem facit, & quomodo ipſa forma, atque materia ſimul vniantur, coniun- *Quid in libris Metaph. tractetur.*

ganturque

ganturque docet. In nono ſiquidem per actum, ac potentiã entium concluſiones efficit, atque quid actus ſit, quotq; modis dicatur, & an prior potentia ſit, nedum ratione, verum & tempore monſtrat: aliaque ad hanc materiam attinentia ſcribit. Decimus tractatum de vno ſecundum ſe conſiderato amplectitur, quotque modis dicatur; quomodoq; vnũ ſe habeat ad multa, diſputat; itidem de reliquis huic materiæ connexis diffusè tractat. poſt hunc librum ſequitur vndecimus, vbi aliquorum in tertio, & quarto libro tractatorũ reaſſumptio continetur; horum autem aliquæ ſoluuntur dubitationes, differentiaque inter huius ſcientiæ definiendum, ac inter conſiderandum ad alias ſcientias, oſtenditur atque an ens per accidens ſit de ſcientiarum conſideratione, docetur: quæ res ab ipſo Ariſt mota fuit in ſexto libro. inſuper de motu, eiuſque definitionibus, atque de infinito agitur · de quibus idem Ariſt. in tertio, & quinto Phyſicorum libro tractauit. huic duodecimus ſubſequitur liber, in quo ipſe Philoſophus plura nos docet, & primo à Metaphyſico ſubſtantiam conſiderari, eamque multiplicem habere diuiſionem, formamque non generari, ſed ſolummodo compoſitum ꝓbat, atque quot, & quæ ſubſtantiarũ generabilium ſint principia; ac quomodo abinuicem differant, monſtrat, probatq; immobilem reperiri ſubſtantiam à materia prorſus ſeiunctam, ac æternam: aliaque multa ad hanc rem ſpectantia tractat. quibus explicatis quærit, quid talis æterna ſubſtantia ſit, & quomodo moueat, cùm non moueatur, & qua via aliæ quamplures ſubſtantiæ ſeparatæ ad ipſam ordinentur, quarum medio totus Mundus in ipſam primam ordinatur, ac eo principio regitur: cùm omnium ſit primum, ac finale principium, optimum, ſimplex, ac ſempiternum. his igitur tractatis in decimo tertio, ac decimoquarto, ſiue vltimo libro eſſentiam rerum Mathematicarum breui oſtẽdit, Ideas improbat, numerosque non eſſe ſubſtantias ſeparatas monſtrat: poſtea contra priſcos Philoſophos diſputationes facit qui Ideas, Numeros, uel res Mathematicas, aliaq. vana, ac falſa pro entium principijs ponebant. hicque totius Metaphyſicæ opus abſoluitur.

Ca. Probe vſque adhuc de iſtis ſermonem feciſti, ideo poſtquam totius Theologiæ chriſtianæ, ac philoſophicæ ſummulam

mulam abſoluiſti, ſi placet, aliam percurre partem; quæ Mathematica appellatur; hæc enim, ni fallor, iuxta prælibatam ſcientiarum diuiſionem ordinatim ſequitur.

Ph. Ita res eſt, ideo de ea ſermonem inſtituamus, & primo dicamus, quòd hæc differt in ſui conſideratione à Metaphyſica, atque à Phyſica: cùm eius artifex Mathematicus non cōſideret res in materia, vt Phyſicus, neque prorſus abiunctas ab ipſa, vt Metaphyſicus: ſed medio mōdo ſeſe hēt; etenim res à materia abſtractas contemplatur, ſed non ita, quin ſecundum eſſe in materia exiſtere poſſint. Quare ſecundum rationem tantummodo eas abiunctas, atque à materia abſtractas perpendit: vnde cùm hoc modo in rerum conſideratione Mathematicus ipſe ſe gerat, iure aliqui dixerunt Mathematicam mediam eſſe ſcientiam inter naturalem, ac diuinam: vt ab Ariſt. intelligi poteſt vti etiam Proclus ſic eam vocauit.

MATHEmatica conſideratio in vniuerſali

1. Metaph. c. 10.

Super Euclid c. 1.

Ca. Cùm media inter prædictas ſit, vtilis, nec ſuperflua exiſtimari debet.

Ph. Prorſus, cuius teſtis Proclus prædictus loco citato fuit, qui, quàm neceſſaria, quàmque vtilis ſit ad omnes ſcientias; monſtrat, ac varijs rationibus probat: hoc idē oſtendit Federicus Cōmandinus, necnon & Clauius: Quare hæc (vt heri in doctrinarum diuiſione dixi) in quatuor diuiditur partes, nempe in Arithmeticam, Geometriam, Aſtronomiam, atque Muſicam: ratio autem conſtitutionis talis Quadruuij eſt; quia quatuor reperiuntur quantitatum differentiæ, circa quas Mathematicus verſari ſolet; Ideo hac ratione, vt confuſio amoueretur, quatuor conſtituerunt ſcientias: harum autem quantitatum diuiſionem hoc modo attulerunt; & primo dixerunt, duplicem in vniuerſum eſſe quantitatem, quarum altera continua, alteraque diſcreta eſt: iterum continuam diuiſerunt in immobilem, ac mobilem: Diſcreta vel abſolutè, & per ſe conſideratur, vel in comparatione alterius intelligi poteſt. ex his igitur quatuor partibus Quadruuium à ſapientibus fuit conſtitutum. licet, ab alijs aliter Mathematicam diuiſam fuiſſe, vt loco præallegato Proclus teſtatus fuit; hæc tamen allata diuiſio, vti conueniens à multis Philoſophis comprobata fuit, quam Boetius laudauit, eamque Clauius ſectatus fuit.

Cap. 8. 9. & 10.

In Prolegomenis ſup Eucl. Clauius in eū dem Euclidem.

Mathe. diuiſio.

in Præfat. Arithmetica.

in proem. ſphęrę.

Ca. Harum quatuor quantitatum nè quæſo te pigeat dicere, qualis ad Arith qualis ad Geom. qualis ad Aſtron. & denique qualis ad Muſicam ſpectet.

Arith conſideratio.

Ph. Compendioſè iſtud faciam. Quare non te lateat, quòd Arithmeticus diſcretam ſpeculatur quantitatē, eam tamen, quæ per ſe, & abſolutè cum ſuis paſſionibus conſiderari poteſt; veluti ſunt numeri, de quibus ſuo loco. Geometra vero continuam, atque immobilem perpendit, Muſicus diſcretā, eam tamen, quæ in comparatione ad alteram conſideratur; atque huiuſmodi ſunt numeri muſicales: Aſtronomicus vero eam continuam, quam mobilem vocant, tanquam ſuum ſubiectum contemplatur: etenim iſtius cœlum perſcrutari eſt, quod mobile omnibus patet, At Geometræ terram ſpeculari, quæ naturaliter immobilis exiſtit: de his ſanè infra maiorem habebis cognitionm; Ideo ab Arithmetica incipiā, tanquam ab ea ſine qua reliquæ Mathematicæ artes eſſe nō poſſunt vt Boetius multis rationibus loco citato probauit; quare hæc prior, atque dignior alijs tribus commemoratis dicitur, ſine qua nulla harum opus ſuum perficere poteſt.

Geometra Muſicusq; quid ſpeculetur.

Aſtronomici ſpeculatio

Arith alijs math. neceſſaria.

Ca. Si ſic res eſt, ab ea inchoamus.

DE ARITHMETICA ſpeculatiua.

Ph. Arithmetica, vt aliàs audiuiſti, duplex eſt, alia ſpeculatiua, & alia in vſu poſita: ſpeculatiua ea eſt, quæ numerum abſolutè, & per ſe conſiderat; ideo numerorum ſcientia appellata fuit, eorum tamen numerorū ars eſt; qui in ſe, & per ſe abſolutè conſiderantur.

Ca. Quid eſt numerus?

Quid numerus.

Ph. Numerus eſt vnitatum collectio, vt ſenſui patet, quod omnes dixerūt Philoſophi. horum numerorum multæ ſunt differētiæ circa quas omnes Arith. ſpeculatiuus verſatur: nam ſemper quærit, quid ſit iſte, vel ille numerus, vt quid ſit numerus ternarius, quinarius, octonarius, duodenarius, ſexagenarius, atque huiuſmodi de omnibus quærit; nec definit donec inueniat, quid tales ſint, nempe an par, vel impar, vel ſuperfluus, vel diminutus, vel compoſitus, vel aliorum generū; ideo ſi inuenit, quòd numerus in æquales partes diuidi poſſit ait quòd eſt numerus par, atque huiuſmodi de alijs intelligendū eſt; etenim omnes numerorum differentias quærit, atque cuiuſcunque differentiæ definitionem præbet, talique modo ſuum ſcopum exequi aſſuetus eſt.

Ca. Sunt nè multæ iſtæ differentiæ?

Ph. Variæ profectò ſunt numerorum differẽtiæ, quæ omnes à Boetio in duobus traduntur libris cum earum definitionibus, de quibus ante ipſum Euclides quatuor ſcripſit libros, qui cum quindecim de Geom. ac Arith. tradiderit, in horũ quatuor ſciẽtiam numerorum præbuit, nempe in quinto, ſeptimo, octauo, atque nono: Quintus tamen cùm de proportionibus, ac proportionalitatibus agat, nedum ad Arith. verũ etiam ad Geom. atq; Armonicum ſpectat: in his enim tribus artibus ęquè de ꝓportionibus, & ꝓportionalitatibus agitur.

Libri Arith. & Geomet ab Eucl. ſcripti.

In Arith. Geomet & Arm. æquè de proport. & proportional.

Ca. Quid ſit proportionalitas, atque proportio, ſi lubet, dicito atq; aliquas numerorũ differẽtias tradito, vt mẽs ĩ his ꝗeſcat.

Ph. Proportionalitas, vt ait Boetius, ſi vniuerſaliter definienda ſit, dicitur duarum, vel plurium proportionum ſimilis habitudo, etiam ſi non eiſdem quantitatibus, atque differentijs conſtitutæ ſint; vel eſt collectio proportionum in vnum, vt ipſemet ait, vt ſicuti quatuor ſe habet ad duo, ita octo ad quatuor: quia hìc, & illic dupla eſt proportio; ideo ab hac ſimilitudine dicitur proportionalitas. Proportio autem (vt ait Euclides) eſt certa habitudo duarum quantitatum eiuſdem generis vnius ad alteram, cuiuſcunque magnitudinis ſit, vt ſex ad tria eſt dupla, tria ad duo ſeſqaltera adeſt ꝓportio: hęquidẽ proportiones, & proportionalitates plures ſunt, nedum in genere, (quia reperitur proportio, & proportionalitas in Arith. in Geom. atq; in Armonica, vt dixi) uerũ in ſpecie, vt videre eſt apud eundem Boetium, atque Euclidem, de quibus aliàs, cùm ſpatium erit tractabo.

lib. 2. Arith. cap. 40.

Lib. 5. de fin. tertia.

Ca. Nunc numerorum differentias præbito.

Ph. Differẽtiæ numerorũ varię ſunt, quarũ prima talis eſt, numerus vel par, vel impar eſt, vel pariter par, vel ecõtrario, vel ſuperfluus, vel diminutus: atq; ita alię reperiuntur differentię, quas breuitati ſtudẽs omitto cũ facile ſit apud eoſdẽ Auctores oẽs intelligere: nã inuenies numerũ linealẽ, triãgularẽ, quadrãgularẽ, pẽtagonũ, exagonũ, ſolidũ, pyramidalẽ, ſphęricũ, atq; horũ generũ multas dr̃ias, nãq; nedũ quot geometricarum figurarum, tot numerorum differentias, verùm illis plures reperies, quas omnes, & alia quamplura huic doctrinæ connexa apud præallegatos habebis Auctores.

Numerorũ variæ differentiæ.

Ca. Quęſo duas, vel tres horũ numerorũ dr̃ias trade, atq; expo-

ne: nẽpe qualis ſit vel par vel impar, vel alteri⁹ ſpeciei numerus.

Numerus par quid.

Ph. Vt penitus tibi morẽ gerã, ſcito, qđ par numerus iuxta Pytagorę dogmata eſt, q ſub eadẽ diuiſione in maxima, paruiſſimaq; diuidi põt: maxima ſpacio, paruiſſima quãtitate ſecũdũ horũ duorũ generũ contrarias paſſiones. Hęc aũt definitio à Boetio allata fuit, atq; exactè declarata. Impar qdẽ numerus (vt eodẽ loco à Boetio habetur) eſt cui hoc accidere nõ põt. vt exemplo de pari numero octonario, cũ octonarius par numerus ſit; ſi igitur talis numerus in quatuor, & alios quatuor diuidatur numeros, nulla erit diuiſio, quę maiores hẽre poſſit partes in tali numero, q̃ hæc q̃ medietas dicitur, nec ẽt ulla alia erit diuiſio, quæ hũc totũ diuidat numerũ minori quãtitate; diuiſione.n. medietatis nihil minus, vt docet Boetius eodẽ loco citato, in quo hanc Pytagoræ definitionẽ declarat.

Lib. primo Arith. c. 4. quid numerus impar.

Ca. Obſcura admodum hæc eſt definitio.

Ph. Si hæc obſcura eſt, dicamus, quòd numerus par eſt ille, q in duas diuidi põt partes æquales, atque hęc vniuerſalis paris numeri definitio eſt generi cõpetens; plures.n. paris numeri differẽtiæ reperiuntur, atq; ſpecies; vt audiuiſti, ideo plures in ſpecie erũt definitiones, vt apud Boetiũ, atq; Euclidẽ videre poteris. Impar vero numerus eſt, qui à pari vnitate differt, vel incremẽto, vel diminutione: quare ſi pari vnũ dempſeris, vel adieceris impar euadet: ita ſi impari hoc idẽ feceris, parẽ efficies numerũ. Superfluus numerus eſt, cuius partiũ ſũma quãtitatẽ totius numeri ſuperat. vt duodecim, quorũ medietas ſũt ſex, pars tertia quatuor, atq; quarta tria, ſexta duo, necnõ & duodecima vnũ. Hę partes iſtius duodenarij numeri, ſi ſimul iũctę fuerint, cõſtituetur ſũma ſedecim. Quare hac rõne ſuperfluus dicitur: Diminutus ſiquidẽ contrario modo ſeſe habet, veluti ẽſt numerus ſedecenarius, cuius medietas ſunt octo, quarta pars quatuor: octaua ſunt duo, atq; decimaſexta vnũ: quę oẽs partes ſimul iũctę cõſtituũt numerũ qndecinariũ, q numerus minor cũ ſit ſedecenario, hac rõne dicitur diminutus ipſe ſedecenarius. Modo numerus ſuperficialis eſt numerus latitudine, ac lõgitudine cõtẽtus, nec fieri põt talis numerus ſupficialis, niſi ad minus tres cõiũgãtur vnitates, nã à trib. facta inchoatione plana efficit ſupficies, atq; triãgularis dicitur numerus (ut docet Boetius) huiuſmodiq; alię efficiũtur figurę. Solidus numerus aliter ſeſe habet; nã dicitur ille

Quid impar numerus.

Numerus ſuperfluus

Diminuti numeri declaratio.

Numerus ſuperficialis.

Lib 2. citato. c 6.

Solidus numerus qd.

qui

qui tribus continetur lateribus, nempe latitudine, longitudine, atque profunditate: vel eſt, qui ſecundum ſuas vnitates in longum, latum, & profundum diſpoſitus eſt; de quo, atque de cęteris apud Mathematicos multa intelliges, ac potiſſimum exactam, claramque tractationem apud Maurolycum in duobus Arith. libris habebis; quæ omnia pergo, cũ ſcientiam nunc tam paucis præbere nolim, ſed ſolùm animum tuum euocare, vt aliàs dixi, ac quandam vniuerſalem tibi cognitionem tradere; vt cùm omnium intelligens eris, quæ multis laboribus didiceris, memoriæ citò reuocare poſſis. Quare de Arith. ſpeculatiua iam dicta ſufficiant, quia nũc ad praxim eſt proficiſcendum.

Ca. Ita videtur, ideo, vti conueniens eſt, te gerito.

Ph. Arithmetica praxis dicta, vel in vſu, vt ſpeculatiua, numerorum ars dicitur, tamen non eodem modo ſe habet in ſpeculatione; namque nõ in ſe, nec per ſe numeros conſiderat, veluti ſpeculatiua facit; ſed quatenus eiſdem vtitur in numerando, addendo, ſubtrahendo, multiplicando, diuidendo, progrediendo, atq; radices ex his extrahendo, vt intelliges. Quare hæc ſcientia, ſiue ars, vel verſatur circa iam ſeptem enumerata ſolummodo, & ſic Arithmetica in vſu, vel Logiſtica verè vocatur: vel horum medio ad alia ignota dilucidanda, vel computanda ſe extendit, veluti ad quarumcunque rerum computandarum calculationem, & ſic propriè calculatoria dicitur, quatenus quolibet calculandi modo vtitur his ſeptẽ dictis mediantibus cum quadam regula, quæ aurea appellatur, & vulgo del tri, interdumq; ſupputatrix nominata fuit. vt igitur Arith. ſuum opus perficiat, finemque exoptatum adipiſcatur; oportet, quòd ante omnia Arithmeticæ principia adiſcat, atque horum medio finem ſuum ratiocinando nanciſcatur: Quare elementis, ac numeris vtitur; ſine iſtis enim impoſſibile eſt aliquid computare, ſeu ſupputare: namque fundamenta, atque principia totius artis elementa ipſa, ipſique numeri ſunt.

DE ARITHMETICA in vſu.

Arith. Logiſtica.

Arith. calculatoria dicta.

Arith. ſupputatrix.

Ca. Qualianam hæc ſint elemẽta, dicere nè quæſo te pigeat.

Ph. Elemẽta Arithmetica ſunt decem, quorum characteres sũt tales. 0. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. horum primus Tziphra dicitur, ſecundus vnum, tertius duo, poſtea tria, quatuor, & ſic proceditur vſque ad nouem ordine naturæ. Tziphra differt ab

Quot ſint elementa. Arithmetica.

G 3 alijs,

alijs,quia per ſe nihil ſignificat; ideo ab Orontio Fineo non ſignificatiuum elementum fuit appellatum.

Ca. Quales itidem ſint numeri,dic.

Lib. 1. Arith. pract. quid digitus.

Ph. Numerorum alius digitus,alius articulus,atque alius cõpoſitus dicitur (vt ab eodem Orontio ſcriptum fuit)digitus ille eſt,qui nouem non ſuperat vnitates; ideo quodlibet elementum per ſe conſideratum præter Tziphram, vnoq; excepto digitus vocatur;quia vnum non eſt numerus,ſed principium,ac origo numeri (vt eodem loco intelligi non difficile eſt) quia numerus eſt vnitatum inuicem compoſitarum multitudo,vt duo,ſex,octo,quindecim , atq; huiuſmodi alij numeri . Articulus vero eſt,qui in decem , & per decem diuidi poteſt nihil ſuperflui continens;vt decem, viginti,quadraginta,ducentum , atque huius generis alij numeri; qui in decem, & per decem diuidi poſſint, quantæcumque quantitatis ſint nihil ſuperflui remanens : compoſitus numerus eſt ille,qui ex digito, & articulo cõponitur, nempe ex articulo addito digito,vt duodecim,ſedecim,decem , & nouẽ ſimul, atque huiuſmodi alij ſimiles, dummodo ſuperent quantitatem decenariam,cui ſi vnitas addatur, compoſitus efficietur numerus,atque hoc modo addẽdo, ſemper compoſitus erit numerus,etſi vſque in infinitum procederetur.

Vnum non eſt numerus.

Quid numerus.

Articulus arith. qd.

Numerus cõpoſitus qualis.

Ca. Quid prodeſt has numerorum differentias ſcire?

Ph. Niſi hæc omnia agnoſceret Arithmeticus , non poſſet ſuum aſſequi ſcopum; nam fundamenta iam dicta totius artis ſunt principia,quorum medio,vt iam dixi,circa iam ſeptẽ enumerata Arith. verſari cogitur,quæ (vt audiuiſti) ſunt numeratio,additio,ſubtractio,multiplicatio,partitio, radicis tũ cubicæ,tùm quadratæ inuentio,atque numerorum progreſſio : quæ progreſſio fieri ſolet, tàm ex numeris imparibus, quàm paribus:vel huius ſpeciei ex alijs,vt oſtendit Orontius locis præallegatis,in quibus multa alia inueniũtur, veluti de minutis,ſiue numerorum fractionibus,de quibus nihil dicã, cùm apud ipſum omnia diffusè haberi poſſint; quia eadem paſſio,quæ toto , ſcilicet integris numeris conuenit, itidem & parti,hoc eſt fractionibus conuenire neceſſe eſt.

Numerorũ progreſſio quomodo fiat.

Numero integro, & fractioni eadẽ paſſio.

Ca. Memini ætate puerili à Præceptore numerorum additionem,ſubtractionem,multiplicationem, partitionem , atque horum quatuor medio regula ea (quæ del tri dici ſolet)

let) calculandi modum me doctum fuiſſe. attamen ſemper ignotum mihi fuit, quid eſſet progreſſio, atque radicum extractio: nec de minutis ullam habui cognitionem; ideo non te tedeat aliquid circa hęc narrare.

Ph. Quid exoptas, non te latebit; Quare à progreſſione incipio, quæ eſt aliquorum numerorum in vnam ſummam reductio præter additionis modum. Hæc autem progreſſio duplex eſt, alia enim Arithmetica dicitur, & alia Geometrica: Arithmetica progreſſio itidem duplex eſt; nam vel fit numeris cõtinuis, & naturaliter ſe ipſos ſequentibus, vt vnum, duo, tria, quatuor, atque huiuſmodi addendo ordine naturę; vel fit numeris non continuis, aut ſe ſequentibus, ſed à primo ad vltimum ſemper æqualiter inter ſe proportionatis, vt exemplo inter vnum, & alterum numerum ſemper vno intermiſſo, vel duobus, vel tribus, & huiuſmodi in reliquis procedi ſolet, vt 1.3. 5.7. 9. vel 2.5. 8. 11. in primo exemplo inter vnum, & alterum numerum ablatus eſt vnus numerus. in ſecundo duo remoti ſunt numeri eodem ordine à primo ad vltimum. Si igitur via progreſſionis ſummam numerorum ordine naturæ poſitorum, hoc eſt, continuorum ſcire cupis, vt primo modo poſiti fuerunt, nẽpe 1.2.3.4.5.6.7 8.9. ſic facito, adde primum vltimo, hoc idem etiam in alijs progreſſionibus Arithmeticæ obſeruabis vt in his poſitis numeris vnum additur nouem, atque producta ſunt decem, cuius numeri medietas ſi multiplicetur per limites, ſiue ordines numerorum dictorum progreſſionalium, hoc eſt, per nouẽ (quia nouem ſunt ordines ipſorum progreſſionalium numerorum poſitorum) producta erunt quadragintaquinque; ideo tanta erit horum numerorum poſitorum ſumma. ſi autem addendo primum vltimo numero, non efficiatur par numerus, ſed impar, tunc accipe medietatem ordinum, vel limitum progreſſionalium numerorum, & eam in vltimum prius addito primo ducito, ; atque producta erunt totius quantitatis numerorum ſumma. Ideo tali modo in omnibus Arithmeticæ progreſſionibus te gerito, de quibus ab Orontio exactam habebis cognitionem exemplis demonſtratam.

Quid progreſſio.

Progreſſionis Arith. exempla.

Modi numerorum progreſſionem conficiendi.

Lib. 1. Arith. c. 9.

Ca. Quid modo Geometrica ſit progreſſio, explicandum eſt.

Progreſſio Geometrica.

Ph. Geometrica progreſſio ea eſt, quæ fit numeris ſe ſequentibus in æquali proportione, vt duo, quatuor, octo, ſedecim. qui ordo numerorum æqualiter abinuicem ſeſe habet dupla proportione; quemadmodum enim octo ſe habēt ad ſedecim, ita duo ad quatuor. hic ſanè, & illic dupla adeſt proportio: ideo huiuſmodi de alijs proportionibus intelligendũ eſt, tàm in tripla, quàm in quatrupla, vel quintupla proportione. Regula igitur in progrediendo in his numeris Geometricis talis eſt. Si in numeris fit incrementum in dupla proportione, ſemper vltimus numerus duplandus eſt, quo ſic duplato ſubtrahendus eſt primus in ordine numerorum, vel aliter dicamus, vt rem capias; minor eorum numerorum progreſſionalium ſubtrahendus eſt à maiori iam duplato, & ſic ſumma numerorum omnium apparebit. ſi autem in tripla proportione numeri conſtituti erunt, vltimum triplabis numerum, à quo triplato numero primum, ſcilicet minorem illis numeris (qui erit primus) ſubtrahito, reſiduumque diuidito, & ſic medietas illa erit ſumma totius quantitatis numerorum progreſſionalium. Si vero in quadrupla proportione erunt conſtituti, vltimum per quatuor multiplicabis, & à productis primum ſubtrahito, hoc eſt, minorem numeris progreſſionalibus, atque tertia pars reſidui erit ſumma totius quantitatis numerorum progreſſionaliũ; ideo hoc modò in alijs progreſſionibus proceditur, ſemper vltimum multiplicando per denominatam proportionem in eiſdem numeris progreſſionalibus, quo facto ſubtrahito primum; atq; ſi quintupla erit proportio, quartam partem reſidui aſſumito, quæ pars totius quantitatis numerorum progreſſionaliũ ſumma erit; ſi ſextupla erit proportio, quintam ſolummodo partem aſſumito, hocque ordine in alijs omnibus alterius proportionis procedito, & iuſtam totius propoſiti numeri habebis ſummam; de quibus progreſſionibus Orontius loco citato abundè agit.

Ca. Da exemplum, ſi placet, circa Geometricam progreſſionem.

Exemplũ progreſſionis Geom. in quatupla.

Ph. Pro exemplo conſtituamus numerum in quatupla proportione, qui talis ſit 2. 8. 32. 128. ſi vis ſcire per progreſſionem ſummam totius quantitatis numerorum, multiplica 128 per quatuor, & producta erunt 512. à quibus ſubtrahito

to primum numerum progreſſionalium numerorum, qui numerus duplus eſt,atque reſiduum, quod erit 510. in tres diuides partes, & quælibet pars harum erit 170. ideo tanta erit horum nùmerorum ſumma. Quare hoc intellecto,non difficile eſt reliqua apprehendere.

Ca. De radicibus compendioſè nunc aliquid dicito.

Ph. Radix apud Mathematicos, & potiſſimum apud Orontium duplex eſt,vel enim quadrata dicitur, vel cubica: ideo duo reperiuntur numeri,qui ab his radicibus producuntur, à quibus itidem vtraque radix extrahi poteſt, nempe à quadrato numero quadrata radix, atque à cubico cubica:ad cognitionem igitur harum radicum oportet ſolidum,atque ſuperficialem præcognoſcere numerum; in iſtis enim numeris radices haberi ſolent. Quare quadrata radix teſte Orontio loco citato eſt numerus per ſuiipſius multiplicationem quadratum efficiens numerum. vt quatuor dicuntur radix numeri ſedecenarij. Quadratus autem numerus dicitur ille, qui ex multiplicatione alicuius numeri in ſe ipſum producitur;vt numerus vigeſimuſquintus eſt quadratus;quinarius autem numerus radix eſt illius vigeſimiquinti numeri:ideo quia quinarius numerus in ſe ipſum multiplicatus producit vigeſimumquintum numerum, ille numerus habetur pro quadrato. Modo cubica radix eſt numerus, qui in ſe ipſum multiplicatus, & iterum in producta ductus numerum producit cubicum. Ideo numerus cubicus eſt ille, qui ex ductu alicuius numeri in ſe ipſum, & iterum in producta illa ductus producitur,vt ſcripſit Orontius Radix ſiquidem eſt numerus ille modo iam dicto multiplicatus cubicum producens numerum. Quare numerus vigeſimusſeptimus dicitur cubicus,ternarius talis numeri radix cubica. quia ſi ternarius numerus in ſe ipſum ducatur,productum erit nouē, iterum ternarius in nouem ductus producta erunt numerus vigeſimusſeptimus,atque iſte numerus dicitur cubicus;ternarius autem radix cubica talis numeri vigeſimiſeptimi. Modum autem, & regulam has radices extrahendi ab Orontio clarè intelliges;ideo cùm modum, regulasque apud ipſum facili via intelligere poſſis, his relictis ad minutorum cognitionem me confero, pro quorum notitia ſcire debes, quòd minutum,ſiue fractio (teſte Orontio) eſt partis,vel partium

Lib 1. Arith. c. 7. & c. 8.

Radix duplex.

Cubica,& quadrata.

Quid radix quadrata.

Quid numerus quadratus.

Quid cubica radix.

Lib. 1. Arith.

Lib. 2. Arith.

integri

integri iuxta numerum datum aſſignata diſtributio, vel clarius, fractio eſt integri pars quædam.nota tamen, quod fractiones, ſiue minuta in duplici inuenies differentia apud Auctores, & potiſſimum apud eundem Orontium; nam minutorum alia vulgaria dicuntur, & alia phyſicalia, ſiue Aſtronomica: Minuta vulgaria fiunt, quando integrum in tot diſtribuitur partes inuicem æquales deſcendendo, quotquot ſunt numeri ab vnitate aſcendendo procreati, vt ait Orontius. Quare & in duas, & in tres, in quatuor, & in quot opus erit diuiditur æqualiter integrū. ſi igitur in duas, altera eorum dimidia appellabitur, ſi in tres, altera iſtarum tertia nuncupabitur: ideo hoc modo dicentur duę quartæ, tres quintę, tres nonæ, atque huiuſmodi de cæteris intelligēdum eſt.

Quid fractio. Lib 2. & 3 Minutum duplex.

Ca. Ne omittas phyſicalem fractionem, qualis ſit, dic.

Ph. Fractio phyſicalis ſecus ſe habet, ac ſe habeat vulgaris nominata; nam integrū in duodecim diuiditur partes, quarum vna ſignum, vel duodecima pars Cœli vocatur; vt eſt ſignum Arietis, Tauri, atque aliarum figurarum, quas pro ſignis in Cœlo Aſtrologi fingunt.

Quid fractio Phyſicalis.

Ca. Iſtæ fractiones phyſicales forsàn ad Aſtrologos ſolummodo pertinent?

Ph. Prorſus, quare Cœlum in duodecim, vt dixi, diuidūt partes, quarum quęlibet ſignum vocant, atque quodlibet ſignū iterum in triginta partes ſecant, quarum quælibet gradus dicitur; ideo gradus quilibet in ſexaginta minuta diuiditur, atque quodlibet minutum in ſexaginta ſecunda, itidem & ſecundum in ſexaginta tertia, atque quodlibet tertium in ſexaginta quartę, & ita vſque ad decem ſe gerunt ſemper diuidendo; licitum tamen eſſet vlterius progredi, attamen Aſtronomi de cęteris portionibus, tanquam de partibus nihil momenti facientibus, non currant.

Diuiſio cœli ſecundū Aſtrologos.

Ca. Cur gradus in ſexaginta partes diuidunt Aſtronomi, cur inquam potius in ſexaginta, quàm in alium numerum?

Ph. Ratio cur Aſtronomi ſexagenario vtantur numero in ſuis operibus perficiēdis aſſignatur ab Alphonſo Rege, quæ eſt, quia nullus numerus inuenitur ſub centum ita aptus ad diuiſionem, quàm ſexagenarius; hic enim numerus commodulè diuidi poteſt in duas partes, in tres, in quatuor, in quin-

Cur Aſtrologi ſexagenario vtantur numero.

quinque, & in ſex partes, necnon & in plures alias portiones, q̃ alio in numero ſub centũ ita haberi nõ poſſunt. Quare iure hunc, nec aliũ numerũ pro ſuis calculationibus vſurparunt: ideo, vt aliqua de hac minutorũ parte tibi ſint nota; ſcito, q; ut integrorũ numerorũ pars ſe hẽt, ita hæc minutorũ: namq; pars minutorũ, vt alia integrorum verſatur circa numeratione͂, additione͂, ſubtractione͂, multiplicatione͂, partitione͂, progreſſionem, atq; circa radicum extractionem: de quibus omnibus Orontius libris prædictis optimè tractauit.

Ca. In ſcientiarum diuiſione, quam heri mihi prębuiſti, dixiſti praxim Arith. duplicem habere partem; hæc fortaſſis de minutis harum altera eſt?

Ph. Minimè quia pars integrorum, minutorumque idẽ eſt, verùm ſi Arithmeticus circa cœleſtium ſphęrarum, epicyclorum, deferentiumque motus, ac reuolutiones, tùm ſuper Mundi centro, tùm ſuper eccentricis ſe habẽtes, verſabitur, & vt vno verbo dicam, ſi circa totius Cœli motus, apparitioneſque Aſtrorum computandas ſe accommodauerit, tunc pars ea, non Arithmetica propriè dicetur, ſed Tabularis, atque Aſtronomicus compotus: ideo ars Tabularis etiam nominabitur, cùm ad Aſtrologiæ partem computandam ſpectet. Quare hac arte Tabulæ quædam componuntur ad motuum cœleſtium cognitionem, veluti ſunt quæ Alphonſinę dicuntur, & alię Plutenicæ vocatæ, quarũ primæ ab Alphonſo Rege, ſecundę à Copernico conſtitutæ fuere; atque à perilluſtri Io. Antonio Magino ampliatæ, & ad facilem intelligentiam, & iuſtum compotum redactæ: ex iſtis autem Tabulis Eclipſium tempora, coniunctiones, aſpectusq; Aſtrorum computantur, hocque fit medio quorundam terminorum, veluti eſt Solis medius motus dictus, verus motus, argumentumque ipſius atque huiuſmodi alios terminos habẽt, qui in Planetarum Theoricis declarantur, de quibus loco Aſtronomiæ ſermo erit habendus; ideo huiuſmodi computationibus Aſtronomi cætera, quæ ad Cœli obſeruationes ſpectant, intelligunt; veluti eſt compotus Eccleſiaſticus, numerus aureus, Feſta mobilia, atque multa alia ad hanc artẽ ſpectantia, vt videre eſt in Tabulis prædictis; omnia tamen iſta, ſiue omnes Cœli obſeruationes calculatæ haberi poſsũt in multis Ephemeridibus, & potiſſimum in illis à prælega-

Tabularis ars.

Tabulę Eclipſium, cõiunctionum, aſpectuumque temporũ.

to doctiſſimo Magino computatis. atque ſatis circa Arithmeticam, eiuſque partes dictum ſit.

Ca. Ad alia igitur tranſigamus, et ſi decet, ad Geometriam.

Lib. 2 c. 2 com. in Eucl.

DE GEOMETRIA ſpeculatiua.

Ph. Eam definiamus *quæ* (ait Proclus) *eſt magnitudinum, figurarum, & in his exiſtentium terminorum, ac rationum, quæ in ipſis ſunt, & earum, quæ circa hæc contingunt paſſionum, uariarumq; poſitionū, ac motuum cognitrix, ab impartibili ſigno progrediens, nempè à puncto ad ſolida vſque deſcendens, multiformesque ipſorum differentias inueniens:* vel dicamus, quòd Geometria eſt ſcientia immobilis magnitudinis, atque omnium eorum, quæ ipſi inſunt magnitudini, tanquam in ſui ſubiecto. Quare Geometra immobilem contemplatur magnitudinem, tanquam ſuum ſubiectum, atque omnia ea, quæ ipſi inſunt ſubiecto, veluti eſt linea, ſuperficies, atque corpus cum ſuis paſſionibus, ſiue ſpeciebus, vt recta linea, curua linea, planum trigonum, circulare, quadrangulare, corpus quadratum, ſphęricum, pyramidale atque huiuſmodi alia quamplura, vt apud Euclidem, cęteroſque Geometras videbis: nec ſolùm Geometra hanc quantitatem cum ſuis paſſionibus ſpeculatur, ſed etiam omnia, quæ ipſius quantitatis ſunt cauſa, & principium: veluti eſt punctum, à quo omnis magnitudo producitur; punctum enim origo, ac principium eſt omnium mathematicarum magnitudinum continuę quantitatis.

Geometrę conſideratio.

Punctus quid.

Ca. Hæc ſcientia incomprehenſibilis videtur; nam ſi de omni magnitudine agit, tot, atque tantæ ſunt in rerum natura magnitudines, quòd talis ars, numquam ad finem perduci poterit; cui addo, quòd ſi de linea recta, de curua, de trigono, atque huiuſmodi de alijs agat: ſequitur hanc facultatem non eſſe ſcientiam; quia de particularibus non datur ſcientia, vt aliàs ex Ariſt. probaſti. inſuper quæro, quid ſit punctus omnem cauſans magnitudinem.

Ph. Duo tibi declaranda proponis, quorum primum eſt, an Geometria ſit ſcientia, cùm de particularibus magnitudinibus agat; de quibus non poteſt haberi ſcientia, vt Ariſt. teſtimonio ſupra dictum fuit. Secundo quæris, quid ſit punctus. primæ dubitationi dico, quòd etſi de linea recta, de curua, de circulo, atque huiuſmodi de alijs figuris agatur; tamen non agitur de hac, vel illa linea; ſed vniuerſaliter de linea recta, de curua, de trigono, de pentagono, atque de huius generis

neris alijs ſimilibus:ideo nunquàm de indiuiduo, aut particulari, ſed ſemper Geomètra ſeſe habet ad vniuerſale: vt ait Proclus; quia agit de iſtis, tanquàm de ſpeciebus. ad ſecundam dubitationem reſpondeo,quòd punctus eſt, cuius pars nulla eſt,vel eſt quoddam indiuiſibile. *Lib 2. citato c. 1.*

Ca. Si punctus eſt quoddam impartibile,cuius nulla pars eſt; quomodo alias quantitates producere poteſt? cùm expers quantitatis ſit?

Ph. Vt ſcias,ea,quæ à ſpeculatiuo Geometra conſiderantur, imaginaria ſunt, vt in diuiſione rerum in triplici differentia intellexiſti; namque Geometra res à materia ſecundũ imaginationem abſtrahit; ideo trigonum, vel aliquam aliam figuram mente conceptam huiuſmodi eſſe per aliam materialem figuram imaginatæ ſimilem probat; vt apud Euclidem habetur;cuius Theoremata per materiales figuras mõſtrat. petitioni igitur morem gerens dico, quòd ſi Geometra punctum imaginetur à ſurſum deorſum cadens, ipſum punctum eo motu imaginario lineam producere, ait,mente tamen conceptam, quæ linea iterum per latitudinem (etſi latitudine careat) deorſum cadat,ait,planum produci;iſtudque planum ſi iterum cadat corpus efficere aſſerit. quare tali ſpeculatione Geometra ſe gerit circa ea, quæ ſecũdum imaginationem ſe habent;ideo lineam,ſuperficiem, atque corpus eo modo, quo dictum eſt, fieri tanquàm verum ſtatuit; nec alia ratione ſua principia probat; nempe punctum eſſe cuius pars nulla eſt,qui cadens lineam producit, quæ linea itidem planum efficit,atque ab iſto corpus gigni. quòd punctus eſt impartibilis, quòd linea eſt longitudo ſine latitudine,quòd planum eſt latitudo cum longitudine, & denique quòd corpus tres habet dimenſiones longum ſcilicet,latum, atque profundum. Hæc ſiquidem omnia cum Geometriæ ſint principia,tanquàm vera ea admittere opus eſt,cùm nulla ſcientia particularis ſua principia probet; quia nihil notius in ſcientia eſt,quàm principia illius ſcientiæ; ideo vanum eſſet per ignotum notius demonſtrare.

Geometra mente figuram concipit eamq; per materialem probat.

Pũctus gignit lineã, linea planum, planumq; corpus.

Nulla ſciẽtia paricularis ſua principia probat.

Ca. Porrò ridiculum iſtud eſſet.

Ph. Ideo vt vera ſcientiarum principia haberi ſolent, quia ex ſe, & per ſe manifeſta ſunt; vt clarè ab Ariſt. conſtitutum fuit,qui dixit contra negantes principia non eſſe diſputandũ; *Lib 1. Phyſicorum.*

verum

verùm ea, quæ ex principiis emanant demonſtrare oportet. Quare Euclides ille Magaricus Mathematicorum princeps cum Geometricam doctrinam nos docere voluiſſet, ante omnia ſcientiæ principia ſcripſit, atque ea definiuit: ideo ab initio quid ſit punctus; quid linea, quid ſuperficies, quid angulus, quid diameter, quid circulus, atque aliarum rerũ Mathematicarum definitionem tradit; earum ſcilicet, quæ haberi ſolent; tanquam iſtius ſcientiæ principia; quibus poſitis ad res Geometricas demonſtratiuè probandas aggreſſurus in primis (vt abſque confuſione procedat) quaſdam expoſtulat ſibi concedendas petitiones adeo iuſtas; vt nemo ipſas eidem negare poſſit, nempe ab vno puncto ad aliud lineam ducere; item quòd ad libitum quamlibet lineam rectam in longum protrahere poſſit. Quòd ſuper quodlibet centrum qualiſcunque magnitudinis circulum producere conceſſum ſit: atque alia hoc modo licita petit; quibus quæſitis, quæ pronuntiata vocat, tanquam ſine cõtrouerſia vera ſcribit, atque ex ſe manifeſta; vt exemplo intelliges; nam nõ ambigit, quin omnia, quæ vni tertio æqualia ſunt, inter ſe æqualia ſint. item ſi æqualibus æqualia addantur omnia eſſe æqualia, omneque totum maius ſua parte aſſerit; & ſic alia huiuſmodi vera, & indubitata ſtatuit, quæ minimè in controuerſiam verti poſſunt. Quare his conſtitutis ad ea, quæ è principiis ipſis emanant, ſe extendit, atque in Problemata ſeu Theoremata diuidit: talique modo Geometricam artẽ nos docet.

Euclides quomodo tradat artẽ Geometricam.

Ca. Quę ſint Theoremata ſcire cupio, atque quid in ipſis habeatur, vt clariori doctrina res mihi innoteſcat.

Quid theoremata.

Ph. Theoremata ſunt veluti quædam concluſiones, in quibus Eucl. docet, quomodo variæ figuræ Geometricæ ſint conſtituendæ, atque quibus modis ſint demonſtrandæ, ut exemplo talem ponit concluſionem. *Super data linea triangulum ęquilaterum conſtituere. à dato puncto rectam ducere lineam cuilibet poſitæ æqualem, vel æquè diſtantem. duabus datis lineis rectis inæqualibus à maiori æqualem portionem minori lineæ abſcindere.* atque huiuſmodi alia quamplura ſcribit, quæ ſi recenſere vellem integra dies non ſufficeret. ſummam tamen ſuorum librorum compendioſè explicatam à Commandino habebis. nec tibi difficile erit ab eodem Eucl. omnia iſta adiſcere, quæ

In Prolegome. ſuper eod. Eucl.

quæ ſi obſcura apparebunt, non deſunt expoſitores, veluti eſt Proclus, Pappus Alexandrinus, qui collectiones mathematicas ſcripſit, Clauius, Commandinus, Tartaleus, atque alij quamplures, vt Theon optimus Mathematicus, Campanuſque, qui omnes adeo facilem reddunt doctrinam, vt quilibet per ſe ipſum artem diſcere poſſit. *Auctores Geometriæ.*

Ca. Proportionalitatem, ac proportionē Geometricam adhùc non recenſuiſti, quas in Arithmetica ſilentio inuoluiſti.

Ph. Optimè loqueris, ideo, vt ſcias, proportionalitas Geom. penè idem cum alijs Arithmeticæ, Armonicæque proportionalitatibus eſt; nam proportionalitas cùm proportionū ſit ſimilitudo (vt ait Eucl.) communis hæc deſcriptio omnibus proportionibus, ac proportionalitatibus erit, tàm dico Arithmeticis, quàm Geometricis, atque Armonicis: differētia tamen eſt in proportione, quòd in Geometria propriè numerorum differentia negligitur, hìc enim ſolùm æqua proportio cuſtoditur non inſpecta numerorum differentia, ut in Arithmetica fieri ſolet, namque nedum in Arith. ęqua proportio cuſtoditur, verùm etiam numerorum differentia obſeruatur. At in Geometria ſufficit terminos ab inuicem proportionatos ſpeculari; vt quemadmodum ſe habet prima quantitas ad ſequentem, ita ſequens ad alteram: vt ſi cōſtituantur iſti termini 2. 4. 8. qui proportionem inter ſe habent; nam ſicuti ſe habet 8. ad 4. ita 4. ad 2. nam hìc, & illic dupla adeſt proportio. ita ęcontrario res intelligenda eſt, vt ſicuti ſe habet terminus duplus ad quadruplum in dupla proportione, ita quadruplus ad octuplum; atque hoc modo proportio, & proportionalitas Geometrica conſideratur; vt apud Boetium, Euclidemque ſcribitur, iſta igitur pro ſpeculatiua Geom. ſatis ſint. *Lib. 5.* *Differētia inter Geomet. & Arith. proportionē.* *Exemplū de proportione Geomet.*

Ca. Nunc ſupereſt, vt ad partem, quæ in vſu poſita eſt, accedas, atque breui eam percurras.

Ph. Ita res ducenda eſt; ſed etiam nonnullæ ſimul percurrendę ſunt artes, quæ eidem Geometriæ ſubalternantur, vt in ſcientiarum diuiſione intellexiſti.

Ca. Fac, quid quid opportunum eſſe iudicas.

Ph. Geometria in vſu poſita, quæ interdum ab aliquibus Geodeſia nominata fuit (etſi Geodeſia ſit ea, quæ cumulum *DE GEOMETRIA in vſu.*

lum alicuius rei,vel puteum, vel aliquid ſimile menſurat,vt ait Commandinus loco citato) eſt ars menſurandi, quæ circa lineæ; plani, ac corporis metrum verſatur; & nota,quòd non circa imaginaria,vt facit ſpeculatiua, ſed circa ſenſibilia opus dirigit,quatenus ea menſurare inſinuat, ideo Geometra menſurandi totam terram facultatem habet,hic tamen Arithmeticæ cognitione indiget,cùm nemo Geometra eſſe poſſit,niſi prius Arithmeticus fuerit.Quare Geometra tribus menſurandi modis vtitur, nec pluribus (vt ab Orontio Fineo ſcriptum fuit) longimetro, ſcilicet planimetro,atque ſolidimetro. primus modus ad lineæ, ſeu longitudinis menſurationem attinet ſecundus ad ſuperficierum,vel planorum aream habendam ſpectat; atque vltimus ad ſolida refertur corpora, vel dicamus,vt Ioannes Stoflerinus, quòd Geometra tribus menſurandi modis vtitur,hoc eſt. Altimetro, Planimetro,atque Stereometro: primo modo longitudines,altitudines,ac profunditates quarumcunque rerum abſque latitudine inquirit,atque menſurat, hocque lineis viſu perſpectis miro artificio,atque indubitata ratione facit; ſecũdo modo aream,vt dixi,quorumcunque planorum metro inuenit, veluti eſt area circuli, trianguli,quadranguli, pentagoni, hexagoni,atque aliarum quamplurium figurarum cum ſuis ſpeciebus. Tertio modo omnium corporum menſura haberi poteſt internè nedum, verùm & externè, nempe quo ad concauum,& quo ad conuexum, vt in ſolidis corporibus.Hæc autem corpora plurium ſunt generum; nam alia orbicularia, alia rectãgularia,alia pyramidalia,alia rhomboida,atque alia aliarum formarum, de quibus, Orontius,atque alij Auctores tractãt.Hęc pars ſtreometro modo vtens à Proclo Streometria vocatur.

Geomet.in uſu circa quę verſetur.

Geom.indiget Arithmetica.

Lib.1.Geomet.

Lib.1.citato.c.13.

Ca. Quæſo modum oſtende, quo Geometræ hæc omnia menſurant.

Ph. Quæ cupis Calophile integrum requirunt colloquium ſiue tractatum, quod meum non fuit conſilium; nempe te, artes,ſcientiaſque exactè docere, ſed eas percurrendo vniuerſalem præbere cognitionem,vt aliàs te monui;namque non deſunt Auctores,qui hanc, cęteraſque doctrinas monſtrant, & priuatim iſtam:quorum vnus eſt Orontius pluries citatus. Ioannes Regiomontanus,Ioannes Stoflerinus loco præallegato,

In lib. de Triãgulis, planis, & ſphęricis.

gato, atque alij quamplures reperiuntur Geometræ qui perfacilè totam tradunt artem. Quare eoſdem perleges, atque, vt cupis, omnia diſces; neceſſaria tamen tibi erit cognitio omnium menſurarum, veluti eſt; miliarij, ſtadij, Perticæ, Pedis, atque aliarum menſurarum; quia diuerſæ ſunt res, quibus menſuratur, prout diuerſi ſunt gentium mores; non enim vbique eadem exercetur res pro metro.

Ca. His viſis quod ſequitur tractare opus eſt.

Ph. Optica, hoc eſt, perſpectiua, ſeu viſoria ſcientia in ordine ſequitur. Hæc illa eſt, quæ omnium eorum, quæ oculis ob ſituum diuerſitatem, vel ob eorum poſitum diuerſa apparent, notitiam veritatis præbet, atque ipſorum rationes monſtrat, cauſaſque, ob quas huiuſmodi appareant; ideo vt Artifex iſtius ad ſuum finem deueniat, opus eſt, quòd de omnibus radijs viſorijs cognitionem habeat, eiſdemq; in ſuo perficiendo opere vtatur: porrò hæc ars Geometriæ ſubalternata eſt; quandoquidem ſuum ſcopum aſſequi minime poteſt abſque ipſius Geometriæ principijs. ex qua arte mirabiles, atque admirandæ eliciuntur operationes, quia quamplura naturæ arcana patefacit; cùm hæc illa ſit, quæ omnes viſibilitatis paſſiones quarumcunque rerum viſibilium oſtendit, atque monſtrat: Quare & radiorum omnium, & vmbrarum proiectionis, ſeu extenſionis modos declarat: præterea organi viſus cognitionem, modumque videndi eſſentialem, prout in hac arte res exigit, oſtendit. deceptionesq; viſus in rerũ inſpectione aperit; veluti ſunt impoſturæ viſionis ex varijs ſpeculis arte fabricatis, vel ex alijs rebus lucidis, ac politis, vel ex aliquo diaphano, vel ex longitudine, ſiue ex quacunque alia cauſa deceptio cõtingat: omnium harum deceptionum ad viſionem attinentium manifeſtam veritatem, ac cognitionem nos docet, omniumque viſionis paſſionum ſcientiam præbet; aliaque quamplura perpulchra, delectabilia, vtiliaque in hac ſcientia reperiuntur; vt videre eſt in ſeptem Alhazeni Arabis libris, quorum titulus eſt, OPTICAE THESAVRVS, quos Federicus Reinerius explanauit; itidem apud Vitellonem virum ſapientiſſimum, philoſophumque celeberimum in decem libris opticę, nec non & in Euclidis perſpectiua multa præclara videbis. Hęc ſcientia ab aliquibus in tres diuiditur partes, vt à Commandino loco

DE OPTICA ſeu perſpectiua.

Optica Geometriæ ſubalternata.

Ab Optica mirabiles operationes.

Auctores, qui opticã ſcripſerũt.

citato, & à Policiano, nempe in Opticam, in Catoptricam, ſeu ſpecularem, atque in Scenogrophicam.

DE CATOPtrica ſeu ſpeculari arte.

Ca. De Optica iam dictum eſt, ideo de alijs verba facito.

Ph. Dixi quidem ſatis, quamuis Optica genericum ſit nomen, ideo cùm verè optica ſit, ſolummodo radijs rectis vtitur in ſuarum rerum oſtenſione; attamen rationes, vt ſpecularia, ac Scenographica, reddit, eorum ſcilicet, quæ viſui apparent, vel minora, vel maiora, vel diuerſa, ac in rei veritate naturaliter ſint ob ſituum diuerſitatem, vt ob longitudinẽ.

Ca. Ad Catoptricam igitur te conferto, quam ſpecularem vocaſti.

Ph. Catoptrica, ſeu ſpecularis ars eſt ea, quæ circa omnes reflectiones verſari ſolet; quæ ab Optica differt, quatenus non habet vſum rectorum radiorum, qui fiunt, quando oculus immediatè ſe habet ad rem videndam abſque alicuius rei interpoſitione; ideo Artifex iſtius ſcientiæ radijs ex alicuius rei reflexu vtitur atque horum radiorum medio rem ſuam cernit, conſideratque; hi autem radij ſunt, qui ex reflexu ſpeculorum, vel aliarum rerum (quæ mundæ, & lucidæ ſunt) ſolent contingere. res mundæ, ac lucidæ ſunt, ſicuti Adamans, Barillus, Glaceum, vitrum, ſpecula, atque huiuſmodi alia.

Ca. Specula, quibus vtimur propter faciei inſpectionẽ, ſunt forsàn eadem, quæ apud Catoptricos vſum habent?

Specula catopt. qualia.

Ph. Plurium ſunt generũ Specula Catoptrici; nam alia plana, veluti ſunt ea, de quibus locutus es, alia ſphærica, alia columnalia, aliaque pyramidalia, quę omnia excepto plano ſpeculo habent vſum tàm in concaua, quàm in conuexa parte.

Ca. Dic, ſi lubet, quid Catoptricus ex hac arte acquirat, vel diſcat.

Quid monſtrat catoptricus.

Ph. Impoſſibile eſſet nunc omnia recenſere, tamen aliquid exemplo dicam; nam omnia ea declarat, rationeque monſtrat, quę ſpeculorum medio noſtro apparent viſui, tùm intra, tùm extra ſpecula; vt ſi in concauo ſpeculi ſphęrici rerum imagines inſpicies, ea videbis, quæ ſpeculo oppoſita erunt, ſiue è directo, ſiue obliquè manſerint, quæ ſi mouebuntur, ad contrariam partem moueri videbuntur. Quare rationem, & cauſam, cur res ita contingat, reddit. præterea cur ſphęrici ſpeculi concauo Solis radijs oppoſito res combuſtibiles admotę accendantur, rationem præbet. inſuper

in

in conuexis ſpeculis ſphæricis ſi duo homines inſpexerint ſecundum quendam ſitum res viſa vnum habebit idolum; ſecundum alium plura, quàm vnum : cur igitur iſtud contingat, monſtrat rationes, ac cauſas reddens; vt videre poteris de his ſimilibus multa Problemata apud præallegatos Auctores, nempe apud Alhazenum, atq; Vitellonem, necnō & apud Euclidem libro citato. itidem de hac materia in Ioānis Baptiſtæ Portæ Magia naturali multa perpulchra, priuatim vbi de Catoptrica agit, naturæ miracula inuenies.

Auctores res catoptricas tractantes.

Ca. Si ſatis de hac dictum ſit, aliam partem, quam Scenogrophicam vocaſti, aggrediamur.

Ph. Scenogrophica, quæ vmbrarum ſcientia etiam appellatur, eſt, quæ modum, ac Methodum res omnes optima ratione ponendi, atque locandi, vel in imaginibus pingendi monſtrat; taliqùe modo eas ponere, vt deformes non appareant, nec à naturali poſitu alienæ videantur, dùm procul inſpiciuntur. ideo Artifex altitudines, longitudines, atque ſituum diuerſitates reſpiciens rem ſuam efficit, horumque omnium reſpectu ratione res ponens, atque locans; vt pulchræ, ac conſonæ videantur: Quare non res in ſe conſiderat, ſed earum poſitum, atque diſtantiam, vt noſtris oculis tales, quales finguntur, appareant; veluti ſi ſuper pariete quendam proſpectum pingat, qui magnā fingat longinquitatem, tunc terminis, ac rationibus, quas inſinuat Scenogrophica, illum pinget, efficietque; vt talis appareat, qualem eſſe fingere intellexit: ideo ſic de cęteris intelligendum eſt; quæ fingant id, quod non eſt : hæc igitur, aliaque ſimilia ratione facere ars monſtrat, cauſamque cur ita rem eſſe appareat, probat.

DE SCENOGROPHICA ſeu vmbrarum ſcientia.

Exemplū de operationibus ſcenogrophica.

Ca. Oblitus fui, dùm de radijs ſermonem habuiſti, quærere quid per radiorum nomē intelligas, ſiue quid, & quales ſint radij, de quibus in his artibus fit mentio.

Ph. Radius, de quo hìc ſermo eſt, linea quædam viſoria eſt ab oculo incipiens, & ad rem viſam terminans. Radiorū tamen alij recti, alij flexi, atque alij rupti dicuntur. Recti fiunt, quando oculus immediatè ſe habet ad rem conſideratam abſq; alicuius rei interceptione; Reflexus fit re aliqua mediante lucida, vel polita, vt ſunt ſpecula, & alia ſupra nominata. Rupti contingunt, quum inter oculum, & obiectum, vel rem viſam aliquod diaphanum, vt chryſtallum, intercipitur;

Quid radius, quo opticus vtitur. & quot.

vel obliqui dicuntur radij, ſi aqua interponatur: atque hæc ſunt, quæ circa Opticam, & eius partes mihi occurrunt, reliqua ſi cupis, ad præallegatos recurrito libros.

Ca. Opticā igitur prætereamus, & ad alias artes accedamus.

DE COSMOGRAPHIA.

Ph. Coſmographia ſequitur, q̄ Mūdi deſcriptio, ſeu mēſuratio eſt per habitudinē ad cęlū, hęc equidē ars adeo in menſurando vniuerſalis eſt, vt ad nullū locū particularē in ſuis metris deſcendat; ſed totum Mundū ſimul metitur, atq; deſcribit: ac ꝑ metris Cęli gradibus vtitur, totāq; Machinā, ſiue regiones oēs ꝑ lōgitudinē atq; latitudinē deſcribit, ac mēſurat.

Ca. Quid eſt longitudo, atque latitudo?

Longitudo ſecundum Coſmog. et quid ſit.

Ph. Longitudo quorumcunq; locorum more veterum capitur ab Occidente, ſeu à Meridiano fortunatarū Inſularū (quę nunc magnæ Canariæ dicuntur) atq; per circulū ęquinoctialem fit cōpotus vſq; ad Meridianum loci, qui menſurari dēt, quare longitudo ſecundū Coſmographos ſic definitur. Longitudo eſt æquinoctialis ſegmetum, q̄ Meridiano loci mēſurandi, & fortunatarū Inſularum Meridiano comprehēditur.

Latitudo ſecundum Coſmog. et quid ſit.

Latitudo autem oſtenditur per Meridianum, ſcilicet incipiendo ab æquinoctiali per Meridiē illius loci menſurandi vſq; ad polum Horizontis eiuſdem loci progrediēdo; qui polus zenit capitum illius loci eſt. Quare latitudo eſt ſegmetum Meridiani quarumcunq; habitationum, quod polo ſui Horizontis, atq; æquinoctiali circulo comprehenditur.

Ca. Non difficilis hæc ars videtur, cùm modo dicto menſura totius non ſit difficilis.

Lib. 1. Geogr. Coſmograph. multa ſunt neceſſaria.

Ph. Immo laborioſiſſima ars hæc tenet cū minimè fieri poſſit, vt homo optimus ſit Coſmogr. niſi de ſphæra cognitionē hēat; q̄a totā terrā circulis cęleſtibus ſuppoſitā deſcribit; immo ēt, vt ait Strabo, Coſmog. neceſſaria eſt Philoſophia, atq; Aſtrologia oportet. n. Coſmographū de corporibus cœleſtibus, de eclipſibus, de climatibus, de terræ partibus, de ventis, de aeris differentijs, atq; ſic de alijs (q̄ ad deſcribendas Ciuitates per habitudinē ad Cœlum conducūt) ſciētiā habere.

Coſmog. terram cœlo iūgit in menſurando.

Quare vt ſuū perficiat opus, totā cū Cęlo iungit Terrā; ideo præter cęleſtis ſphęræ decē circulos, oſtendit ēt, quid parallelus, & quot ſint in ſphęra, quid clima; quibus mediātibus lōgitudinē, ac dierū, & noctiū breuitatē oſtendit; idq; cōtingere monſtrat ob zodiaci obliquitatem, tùm etiam ob Polorū altitu-

altitudines ſupra Horizōtem:quapropter quibus neuter Polorum eleuatur à ſuo Horizonte,iſti ſemper habēt diem nocti æqualem, hoc eſt,duodecim horarum. quorum autem zenit eſt alter Polorum Mundi, iſti ſex Menſibus continuis diem habent,eiuſdemque longitudinis noctē: vnde pro die naturali integrum habeant annum:hæc ſunt duo extrema,è quibus media varia eliciuntur pro ratione diuerſitatis ſituū. alia quamplura Coſmographus agnoſcere debet,de quibus omnibus,hic locus non eſt aptus, vbi ſermonem inſtituere poſſim.

Ca. Ediſſere, ſi placet,quid clima, quid parallelus,& quid ſit zenit:horum enim terminorum nulla mihi eſt cognitio.

Ph. Clima dicitur quoddam ſpacium terræ ab æquinoctiali verſus vtrumque Polum, quod inter duos continetur parallelos circulos, quo ſpacio fit longiſſimi diei variatio mediæ horæ. eodē penè modo parallelus definitur, ſed differt, quia tantum non continet terræ ſpacium, ſed ex duobus parallelis fit vnum clima; itavt ſpacio duorum parallelorum fiat longiſſimi diei variatio mediæ horæ,vt ſupra dixi.Zenit eſt punctus in Cœlo imaginarius, qui è directo ſe habet ſupra noſtrum caput: vt ſi recta linea ſuper caput tuum fingatur,ſcilicet in medio capitis,quæ protrahatur vſque ad Cœlum; tunc punctus ille,in quo deſinet, dicitur zenit tui capitis; ideo zenit ſemper variatur, dùm homo mouetur his autem declaratis de Geographia agendum eſt, Coſmographiæ enim alumna eſt.

Quid clima.

Quid parallelus.

Quid Zenit.

Ca. Cùm idem non ſint, eas diſtinguito, nè vlla earum me lateat.

Ph. Geographia etſi eiuſdem terræ ſit deſcriptio, attamen differt à Coſmographia,quia illa in deſcribendo machinam Mundi Cœlum, eiuſque partes reſpicit,atque harum medio totam terram menſurat. At Geographia terram ſolummodo conſiderat, itinerarijſque menſuris ipſam deſcribit, ac metitur: eamque totam per Fluuios, Montes,Maria planamq; terram diſtinguit:vt facit Pomponius Mela, & Strabo: Ptolomçus autem quamuis Coſmographus videatur,attamen ſæpè vti Geographus procedit.

DE GEOGRAphia.

Ca. Cùm res intellectu difficilis non ſit; quæ ſequuntur diſſeramus.

DE CHOROGRAPHIA. Ph. Quæſo,& à Chorographia incipiamus, quæ non differt à Geographia (vt ait Ptolomæus) niſi quia hæc particularis eſt deſcriptio vnius, vel plurium locorum. At Geographia eſt vniuerſalis deſcriptio totius Mundi particularia omittẽs: præterea Chorog: pictoriam habet artem; Geogr: autem eã negligit; cùm Geographo ſufficiat pro Ciuitate ſignum pingere; ſed Chorograph. oĩa notatu digna, etſi particularia, deſcribit. quare ſatis harum artium differentia tibi innoteſcit. *1. Geog. c. 1*

Ca. Omnino, ideo, vt mos eſt, vltra progredere.

DE TOPOGRAPHIA. Ph. Topographia noſtro ordine collocanda eſt, quę cùm Chorographia re conuenit, ſed differt via oſtendendi; quia illa locos, locorumque particularia depingit, iſta eadem ſolummodo narrat. Quare Chorographia ad Pictores, Topographia ad Poetas, ac Hiſtoricos ſpectat.

Ca. Quid ſequitur tractandum?

DE IDROGRAPHia. Idrographię deſcriptio. Charta nauigationis. Ph. Idrographia prædictis artibus ſimilis; verùm hæc maria cum litoribus, ſolummodo deſcribit, atque depingit: Mariũque cum terra confines ponit, atque monſtrat: ideo Nautæ talem deſcriptionem dùm Maria nauigant ſecum ducunt, quæ vulgo charta nauigationis nominatur; hæc ſanè ars Vẽtorũ ſcientiã cõtinet; nam in Mariũ nauigationibus opus eſt oẽs Ventos agnoſcere: quandoquidem Ventorum medio Naues per Maria ducuntur; ideo omnes Venti ſuper hanc nauigationis chartam deſcripti ſunt; quibus Nautæ omnia Maria nauigant ſecum magnetem ducentes, vt per eam polum inueniant, quo duce quò volunt eant. atque hæc ſunt, quæ pro harum artium cognitione tibi præbeo.

Ca. De ſequentibus igitur ſermonem facito.

DE GNOMONICA ſeu horologiorum arte. Lib. 1. c. 13 in Eucl. Ph. Hic locus Gnomonicæ eſt cõcedendus, quæ horologiorum ſcientia dicta eſt; cum qua ſimul de Dioptica, deq; Meteoroſcopia verba faciemus; quandoquidem hæ artes inuicem quandam ſimilitudinem habent; ideò prius de Gnomonica agamus, quam etſi Proclus aſſerat Aſtrologiæ eſſe ſubalternatam; ego tamen ipſam ſub Geometria collocare volui; cùm ſcopum, finemque ſuum abſq; Geometriæ principijs aſſeq nequeat, licet interdũ Aſtronomię, ac Arithmeticæ principijs egeat, præcipuè tamen Geometriæ fundamẽta eidem ſunt neceſſaria: Quare puncti, lineæ, plani, circuli, aliarumque Geometriæ figurarum cognitione eget; aliter

ſuum

ſuum ſcopum numquam perficeret: Hæc igitur ars Gnomonica appellata circa horarum dimenſionem Gnomonū poſitu exercetur; cuius opus omnino à Solis motu, qui raptu primi mobilis producitur, dependet, quo motu quendā ſpiralem circulum Sol ipſe deſcribit; huncque Gnomonici ipſi in aliquas partes diuidunt iuxta artis dogmata, vt per eaſdem medio vmbræ Gnomonis horas intelligāt, agnoſcantque. Quare in Gnomonica ſcientia ſolùm de Horologis ſolaribus agitur; quæ Sciotera vocata fuere, quia ex Solis Vmbilici (qui Gnomon dicitur) vmbra horæ cognoſcuntur. *Gnomon. horas oſtendit.* *In Gnomonica quid.*

Ca. De cæteris Horologijs hìc nè agitur?

Ph Minimè; ideo hìc non agitur de illis, quæ prima ætate in vſu erant Clepſydra vocata, quæ ex æneis vaſis aqua plenis fiebant, hæcque aqua per quoddam foramem (inſtar noſtrorum horologiorum, quę arenarię ampullę vocantur) gutatim egrediebatur, qua tota egreſſa indicium erat, quid temporis elapſum fuiſſet; atque primus modus hic fuit, quo diem, ac noctem per horas diuidebant; quorum horologiorum inuentorem Scipionem Naſſicam Romę, allj Cteſibū Alexandrinum primum fuiſſe; qui horologia ex aqua compoſuit, ſcribūt, vt teſtatur Vitruuius. itidem in hac arte de alijs minimè agitur, quę etiā Clepſydra nominata ſunt. Hęc arenulla in ampullis vitreis contenta componuntur, quę ſolari radio minimè indigent, vt horas oſtendant. iſta horologia vulgo arenarię ampullę nuncupantur; nec de cęteris Horologijs quæ ſub Tecto appellantur, hìc habetur cognitio; ſub tecto ſiquidem dicuntur, quia vti prænominata alia ad horarum oſtēſionem radijs ſolaribus non indigent. Hęc ſunt horologia illa, quę tàm ingenioſo artificio fiunt, tantaque ingenij ſubtilitate ex Ferrò, vel aliquo alio Metallo, Rotulis denticulatis; ponderibus libratis, alijsque artificioſis rebus ad horas diſtinguendas, monſtrandas, atque ſonandas efficiuntur; ideo in hac ſcientia de iſtis nulla fit mentio, quandoquidem talia ſolùm manuali egent operatione omni remota ſpeculatione: At Scioteria cùm nedum praxi, ſed ſpeculatione componantur (ſi rectè effici debeant) de illis tantummodo hìc tractatur; quæ Gnomonis vmbra horas ſolares inſinuant. *Prim' modus quo horis dies diuiſa fuit, inuentorq; horologiorū primorum.* *Lib. 9. Archictetura.* *Clepſydra horologia.* *Horologia ſub Tecto.* *Scioteria horologia.*

Ca. Quot, & qualia ſint hæc horologia Scioteria voca-

ta, libenter intelligerem.

Ph. Etſi horologiorum, quæ Gnomonica ratione conſtituũtur, variæ, ac diuerſæ reperiantur formę, tùm propter parietum diuerſitatem, tùm etiam ob locorum mutationem, ut ait Vitruuius, nam diuerſæ Gnomonis vmbræ (quæ ob locorum differentias producuntur) nos cogunt Horologia variare in ipſa fabricando; vmbra enim Gnomonis æquinoctialis alia magnitudine (vt teſtatur idem Vitruuius) eſt Athenis, alia Alexandriæ, alia Romæ, atque alia in cęteris terrarum orbis locis. Nihilominus Franciſcus Maurolycus Horologia præcipua in quatuor diſtribuit partes, nempe in Horologium æquinoctiale, horizontale, verticale, atque in Meridianum: de quibus omnibus apud eundem Maurolycũ in tribus libris præallegatis exactam habebis cognitionem; atque ſi faciliorẽ cupis Auctorem, Ioannem Baptiſtam Vimercatum videbis. Inſuper de his apud Orontium Fineum; atq; apud Ptolomęum ſcientiam inuenies; itidem alios poteris legere Auctores, vt eſt Sebaſtianus M. Ioannes Padoanus Veronenſis, qui hanc eandem tractant materiam; nec optatum finem tibi conſequi erit difficile, ſi prius Arithmeticæ, Geometriæ, ac Aſtronomię principiorum cognitionem habebis; his enim cognitis huius artis notitia non eſt difficilis.

Lib. 9. c. 4. architecturę.

Lib. 1. de lineis horarijs. c. 5.

Lib. de Solariorũ horol. Theor. & praxi deſcript. in 4. lib. de horolog. & quadr. Ptolo. lib. Analẽmę.

Ca. Quid ais? cur hęc omnia Gnomonico ſunt neceſſaria? nè forsàn Idiotis hominibus nota eſt hęc ars? poſtquam iſti varia ſolaria Horologia conſtituunt, nec ea, quę dixiſti, ipſis innoteſcunt.

Ph. Nulli dubium eſt, quòd quæ ais vera ſunt; attamen ſcito, quòd ſola praxis, non Theorica illis cognita eſt: bimembri enim hęc ars ſecatur; ideo numquam fieri poteſt, vt Theoricam rationem de his habeant, niſi commemoratæ ſcientiæ eiſdem prius notæ fuerint; cùm ad hæc Horologia componenda, atq; eorum rationes intelligendas, opus ſit totam ſcire ſphæram; ideo quid Horizon rectus, quid obliquus, quid Meridianus, quid æquinoctialis, atque in quot partes diuidatur (quia duodecim circulis horarijs idem æquinoctialis in uigintiquatuor partes diſtinguitur, vt per hanc diuiſionem Gnomonici horarum rationem intelligant) aliaque quãplura oportet ſcire, veluti quales, & quid ſint Tropici, quid paralleli, ac qualis ſit ratio inueniendi polorum altitudinem, & denique

Gnomonica uel in uſu, vel Theorica eſt.

denique omnium eorum,quæ introductoria dicuntur principia,tùm Aſtronomiæ,Geometriæ,atque Arithmeticæ cognitio neceſſaria eſt : de illis enim omnibus in Gnomonica ſcientia abſque vlla declaratione ſermo habetur; hæc enim tanquã nota,ac Gnomonico manifeſta conſtituuntur;quare ſi ſolùm praxim cupis, ſatis eſt horarios circulos, ac lineas ſimul cùm Gnomone agnoſcere,è quibus horologia componuntur;aliaq; nomina iſtorũ habere opus eſt, tanquàm terminos ipſius artis; vt quid per circulum verticalem,quid per Hippotemuſam,quidque per Gnomonem ſit intelligendũ: ideo ſatis eſt hæc agnoſcere abſque alia ratione ad Horologiorum praxim acquirendam.

Ca. Si lubet, horum circulorum, linearumq; notitiam præbe,atque quid verticalis circulus,quid Hippotemuſa, quidque Gnomo oſtende.

Ph. Circuli horarij duodecim ſunt, qui æquinoctialem in vigintiquatuor partes ęquales diuidunt; iſtiq; per polos Mũdi tranſeunt quorũ Meridianus,ſic & Horizon in recta ſphæra idem eſt. Verticalis autẽ eſt quidã circulus per noſtrũ zenit tranſiens, ac per interſectionem (quam æquinoctialis facit cum Horizonte) ſe extendẽs; hic quidem habitantibus ſub æquinoctiali idem eſt cum ipſo æquinoctiali. Hippotemuſa eſt linea talis producta in Horologijs, vt vicem axis Mundi gerat,vel axis ipſius Gnomonis eſt.Gnomo(vt Vitruuio placuit)eſt linea ſuper aliam in planitie iacentem erecta; vel aliter eſt vmbilicus vmbræ Solis,vel clarius eſt ſtylus quidam, qui in Horologijs erectus ponitur, cuius vmbra horæ diurnæ cognoſcuntur;de reliquis autẽ, vt cognitionem habeas, te remitto ad præallegatos Auctores.

Quales ſint circuli horarij.

Verticalis circulus qualis.

Quid Hippotemuſa.

Gnomo quid.

Ca. Dic quæſo,ſi alia ratio,quàm Gnomonis,reperiatur,qua liceat horas monſtrare.

Ph. Alius equidem inuenitur modus, quo nedum diurnas, verùm & nocturnas horas oſtendere poſſumus; ſed talis modus non pertinet ad Gnomonicum, ſed ad Meteoroſcopũ, ac Dioptricum.

Modus horas moſtrandi Diopt. & Meteor

Ca. Quid Meteoroſcopia,atque quid Dioptrica ſit, nẽ quęſo te pigeat nunc exponere,quæ,vt dixiſti, Gnomonicæ artis alumnæ ſunt.

DE METEORO SCOPIA & Dioptrica.

Ph. Meteoroſcopia,& Dioptrica ſunt artes, quarum medio

nedum

nedum horæ diurnæ, ac nocturnæ oſtenduntur, ſed omnes Aſtronomicæ obſeruationes his fieri ſolēt; namque iſtæ nos docent fabricam, ac vſum inſtrumentorum Aſtronomicorū; quibus inſtrumentis cōmemoratæ obſeruationes intelliguntur, vt Proclus teſtatus fuit. Meteoroſcopia igitur eſt ars ea, quæ altitudinem, eleuationemque Polorum oſtendit, itidem Aſtrorum aſſenſus, & deſſenſus, eorū aſpectus, magnitudines, diſtātiaſque abinuicē, atque quamplura alia circa cęlum obſeruat, ac patefacit: idque inſtrumentis à Dioptrico fabricatis fieri neceſſe eſt. verùm aliquę etiā fieri poſſunt obſeruationes, vel ſtylo, vel Gnomone in cuius cuſpide foramen quoddā ſit factū, per quod ſolares radij tranſeunt, atque quadā arte quid tēporis ſit elapſum intelligitur. ſi igitur iſtæ, ac reliquæ obſeruationes medio Aſtronomicorū inſtrumentorū contingant. tunc his cōiuncta eſſe debet ars Dioptrica, hæc enim fabricā, ac vſum taliū inſtrumenturum monſtrare ſolet; quæ inſtrumenta varia, ac diuerſa ſunt, nāque alia ſphęrica, alia Armillaria, vel plana, vt planiſphęrium, Quadrans, atque Aſtrolabiū. Linealia, vt Radius aſtronomicus, atque Ptolomæi magna regula: de his omnib. apud diuerſos Auctores ſcientiā inuenies, vt apud Maurolycū, apud Ioannem Stoflerinum, atque alios quāplures Auctores reperies qui hanc artē ſcribunt, vel vtrāque ſimul Meteoroſcopiam, ſcilicet & Dioptricā; quæ ita cōiunctæ ſunt, vt abſq; cognitione vnius, alterius ſciētia acquiri nequeat; quoniā autem non plus mihi dicendum circa has artes occurrit; hinc tuo marte reliqua librorū auxilio acquirenda pergo: nota tamē, quòd quū ſupra de horis Gnomone cognoſcēdis locutus fuerim, intelligo de horis æquinoctialibus; in duplici enim differentia horę inueniuntur; alię ſcilicet antiquæ, & planetariæ, vel impariles ſunt, atque hoc modo qlibet dies artificialis in duodecim diuiditur partes, ac in toridē quælibet nox: verum in æquinoctialibus horis conſtituendis totus dies naturalis in vigintiquatuor partes æquales diuiditur: atque de iſtis horis in Gnomonica arte agitur; q̄ interdū ab ortu, interdum ab occaſu vocantur: ab occaſu ſi in ipſis enumerandis habeatur ratio à ſolis occaſu vno ad alterū ſubſequentē; atque tales horæ ſic intellectæ dicuntur peregrinæ, & italicę: ſi autem habeatur ratio ab ortu ipſius ſolis dicūtur horæ Boemicæ; Planetarię igitur horæ medio Meteoroſcopiæ

Li. 1. ſuper Eucl. c. 13.

Dioptrica.

Inſtrumenta aſtronomica.

Tractatu de iſtrumētis aſtron. Stofl. in diluc. fabr. & vſus Aſtrolabij

Meteor. nō itelligitur abſq; Diopt. & ecōtrario.

In duplici differentię horę.

piæ,non Gnomonicæ artis,inueniuntur: aſcenſus enim medietatis vnius ſigni vnam horam planetariam conſtituit: de his autem, atque de alijs horis ſufficientem notitiam apud Valentinum Naibodam,atque apud Ioãnem de Sacrobuſto, nec non & apud multos alios Auctores habebis.

Lib.3.c.x. Aſtron.inſtit. lib. de anni ratione.

Ca. Optimum fuit, horarũ diſtinctionem prębere, pro quarum maiori notitia opus erit propoſitos legere libros; ideo quæ ſequuntur percurre.

Ph. Architectura ea eſt,quæ ordine noſtro eſt tractanda,quæ teſte Vitruuio eſt ſcientia pluribus diſciplinis, ac varijs eruditionibus ornata,cuius iudicio cętera, quæ ab alijs artibus efficiuntur,probantur: ideò nullus Architectus optimus eſſe poteſt,niſi varijs doctrinis ornatus fuerit, veluti Philophia,Muſica,Aſtrologia,Geometria,alijſque nonnullis;de quibus Vitruuius loco citato;qui Architecturam in duas diuiſit partes in fabricam,ſcilicet & in rationem:quod cõfirmauit Politianus, ante quos Plato hanc eandem ſcripſit diuiſionem dicẽs, ab Architectura duo fiunt ædificium, atque Architectura: illud quidem opus,hæc autem doctrina: Quare Ficinus poſuit Architecturam inter ſpeculationem, & opificia: magis tamen ſpeculationis, quàm Magiſterij participem eſſe aſſeruit.

Lib.1.cap.1. Arch. *DE ARCHITECTVRA.*

Archit. duplex in Pe nepiſtemõ. in Chliniipho. *In Argum. lib. de Regno Platonis.*

Arch.plus ſpecu.quã magiſterij habet.

Ca. Cur Architectura inter Męchanica ponenda non eſt? quandoquidem ædificare,conſtruere, atque opera materialia efficere ad artes mæchanicas videtur pertinere.

Ph. No nob id inter mœchanicas artes collocãda eſt;quia vt ſcripſit Plato,Architectus nullus manuum miniſterio vtitur, ſed vtentibus præſidet;ideo ibidem affirmat, quòd Architectus eſt particeps ſpeculationis; quia manibus non operatur, ſed Artificibus præeſt, quibus quid, & quomodo agendum ſit iubet;ideò nõ ſub Mœchanicis,ſed ſub liberalibus artibus potius collocanda eſt; multum enim in ſuo perficiendo opere habet ſpeculationis, & priuatim in proportionis ratione tractanda Architectura igitur (vt ait Vitruuis) ex ſex partibus conſtituitur,nẽpe ex ordinatione,quæ τάξις dicitur,ex diſpoſitione, quam Διάθεσιν appellant,ex Eurythmia, ex ſymetria,ex decore,atque ex diſtributione, quæ οἰκονομία vocatur.

Lib.de Regno ab initio.

Lib. primo c.2. Archi. ex ſex partibus conſtituitur.

Ca. Termini propoſiti, atque eorum nomina prorſus me latent.

Eorum

Ordinatio Ph. Eorum declarationem ab eodem Vitruuio loco citato habebis, vbi ait, quòd Ordinatio eſt modica partiũ operis cõmoditas, ſeparatim, vniuerſæque proportionis ad ſymetriam comparatio. Diſpoſitio eſt rerum apta collocatio elegantem in compoſitione producens effectum, hæc ex tribus conſtat partibus, nempe ex ichnographia, orthographia, atque ſcenographia. Eurythma (vt ad rem reuertar) eſt venuſta ſpecies, conuenienſque ædificij partium aſpectus ſui reſpondens ſymetriæ. Symetria eſt partium operis inuicem conueniens conſenſus, ſiue proportio habita ratione ad idem opus, vel ædificium: ideo corpus humanum, ſi optimè ſit cõſtitutum, dicimus ſui ſymetriam poſſidere, & optimè eſſe proportionatum ad ſymetriam ſibi conuenientem. Decor eſt operis emendatus aſpectus aliqua ratione; hicque decor perficitur vel ſtatione, vel natura, vel conſuetudine. Diſtributio eſt copiarum, locique commoda diſpenſatio, atque parca in operibus ſumptus cum ratione temperatio: de his tamen omnibus fuſiùs apud Vitruuium multa intelliges.

Diſpoſitio & eius partes. *Eurythma* *Symetria* *Decoris declaratio* *Diſtributio.* *Lib. 1. c. 2.*

Ca. De dictis ſex partibus ſatis intelligo; verùm quid Ichnographia, orthographia, atque quid ſcenographia apud Vitruuium ſignificant, neſcio, itidem de partibus Decoris nihil habeo.

Ph. Horum declaratio à Vitruuio ipſo facile haberi poteſt; nam ichnographia, ait, eſt circini, regulęque modicè continens vſus. Orthographia eſt operis adumbratio ad circini centrum omnium linearum reſponſus; de reliquis autem ſatis dixit Vitruuius, ideo locos citatos perleges, nimium enim eſſet in longum protrahere ſermonem, ſi omnia declarare vellem, cui addo, quòd non decet difficilem artem paucis tradere: hęc etenim ars, vt audiuiſti, multis eget doctrinis, quare totam artem ab eodem Vitruuio in decem libris digeſtã, ſi lubet, legito.

quid ichnographia. Orthographia architectonica qualis.

Ca. Quæ in his decem libris agantur, compendiosè quæſo trade.

Ph. Aliqua præcipua dicam, multa omittens, vt longam, importunamque verborum ſeriem effugiam. Quare libro primo Architecturæ de eadem Architectura, de eius partibus, deque Architectis conſtituendis, omnium locorum electione, de fundamentis, ſeu fundationibus rei ędificandæ, atque

SVMMVLA librorum Vitruuij.

de

de operum intra parietes diuiſione agitur. in ſecundo, tertio, ac quarto Antiquorum vita, rerumque principia philoſophica ſcribuntur, atque de copijs materiæ, è quibus ędificia conſtruuntur, ſermo habetur, eorumque genera monſtrantur, ſacrarumque ædium conſtructionis modus varius, ac ratio oſtenditur, corporisq; humani menſura traditur, multaque alia ad variarum ædium ſacrarum conſtitutionem leguntur. in quinto, ſexto, & ſeptimo quid ad communia, & priuata ædificia pertinet, explanatur, atque de eorum expolitionibus ratio dicitur cùm prius in quinto aliqua de Armonica egiſſet. In octauo de aquis pulcher habetur tractatus, in nono præcipuè de Gnomonis rationibus, ac de quibuſdam Aſtronomię principijs, tractatur. In decimo, & vltimo omne genus Machinarum conficere, ac conſtruere docetur, aliaque in his tractantur, quæ breuitati ſtudens omitto; quare & apud ipſum Vitruuium, & apud Leonem Baptiſtam in decem libris de re ædificatoria, atque apud alios perpulchra, vtilia, iucundaque ad hanc artem attinentia inuenies, de quibus ſatis ſit dictum.

Ca. His igitur relictis tertiam quadruuij partẽ aggredere, quę Aſtronomia fuit nominata.

Ph. Conueniens ſiquidem iſtud efficere eſſet, ſed nè longo ſermone alimenti loco languorem noſtris corporibus afferamus, conſultò eſt, vt cibo, quem in pera hoc mane repoſui, veſcamur, & ſic virtutis robur tueamur, pro cuius vehiculo dulcem fontis bibemus aquam, nec te pigeat hunc veſcendi modum ſequi: quandoquidem nunc noſtri mos eſſe debet, vt primorum parentum via vitam ducamus.

Ca. Vita fęlix hæc eſt *Philalethes*: ideo prorſus, vt ais faciamus, ac ſuaues, iucundoſque guſtamus fructus.

Ph. Dei caritatem inter nos diſtribuamus.

Poſtquam

Ca. POſtquam pranſi ſumus, ſi placet inceptum colloquium ad finem ducito.

Ph. Ne tempus præterire abſque fructu ſinamus, ad Aſtronomiam tertiam partem Quadruuij percurrendam nos conferamus; q̄ (vt ait Ptolomęus) duas habet partes præcipuas, quarum altera ſpeculatiua, ſiue Aſtronomia propriè dicta, Altera praxis, quæ iudiciaria vocatur: ideo Aſtronomia eſt ea, quæ in ætercam, & elementarem regionem totum vniuerſum diuidit, ſicuti Sphęrographus facit, qua elementari regione cognita ignea ſcilicet aerea, aquea, ac terrea (è quibus partibus globus quidam fit totum concauum ſphęrę Lunæ occupans, atque implens; in cuius medio punctum adeſſe mente Aſtronomus concipit, quod centrum Mundi appellat ſenſibiliori tamen modo ex terra, aquaque ſolummodo globus conſtitutus inſpicitur) ad ætercam ſe extendit regionem, eamque in ſphęras decem diuidit, ſecundum tamen aliam opinionem in vndecim; quarum prima nobis propinquior dicitur ſphera Lunę, ſecunda Mercurij, tertia Veneris, quarta Solis, quinta Martis, ſexta Iouis, ſeptima Saturni, octaua Cœlum ſtellatum, ſiue firmamētum vocatum fuit, ſupra quod nona Sphęra, decimaque collocari ſolent; quæ duos librationis ſiue acceſſus, & receſſus motus efficiunt ſecundū Eccellentiſſimi Magini opinionem; ſupra quas ſphæras primum cęlum collocat, hoc eſt primum mobile: illudque ſua concaua parte reliquas ſphęras continet, omneſque ſuo motu (qui fit ab oriente in occidentem) ſecum rapit, atque tanta velocitate hic orbis mouetur, quòd ſpatio vigintiquatuor horarum ſuum perficit motum, omnes, vt dixi, ſecum ducens ſpheras; quæ quidem ſphęrę proprium, ac naturalem habent motum ſuper proprios Polos, ac axes: harum autem nobis propinquior citius, omnium remotiſſima tardius ſuū complet motum; quia maiori velocitate, ac impetu à primo mobili rapta eſt: itidem nobis propinquior, cùm omnium ab eodem remotiſſima ſit, minori vi cùm ducta ſit velocius naturalem motum efficit.

Aſtron. duplex. lib. 1. Quadrip. c. primo.

DE ASTRONOMIA.

Tractatus de ſphęra.

Ragio Cœleſtis quot ſpharas diuidatur.

In Theoricis planetarum.

primū mobile omnes ſphęras ſecum ducit.

Oēs ſphare naturalem motum habent.

Ca. Quo tempore vnaquęque harum ſphęrarum ſuum perficiat motum, libenter intelligerem, & poſtea de reliquis, quę ab Aſtronomo pertractantur, ſermonem habebis. ideo prius motuum tēpora, ſi Aſtronomo ſcire neceſſarium eſt, oſtēde.

Iſtud

Ph. Iſtud tempus, quo vnaquæque ſphæra ſuum efficit motum, proculdubio Aſtronomo ſcire opus eſt; immo multos alios planetarum, ſphærarumque motus non debet ignorare; ſed exquiſitè eos agnoſcere; vt aſpectus ipſorum planetarum, ſignorũ, ſtellarumq; intelligere queat; ac loca quorũcunque Aſtrorum, ſignorumque inueniat; quibus mediantibus ad futura prædicenda peruenire ſolet.

Quid aſtronomus agnoſcere debeat.

Ca. Cur igitur eos non oſtendis motus, nè tantarum rerum ſcientia me lateat.

Ph. Quia nimium longum protraherem ſermonem, cuius obſcuritas facilis intellectu eſſe nõ poſſet; attamen paulopoſt de iſtis aliquid pro tui intelligentia dicam; nunc enim locus non eſt, vbi hæc tractare poſſim, quãdoquidem planetarum, ſphærarumq; cœleſtium motuum notitiam non ad ſphæræ tractatum (de qua nũc eſt ſermo) ſed ad planetarum Theoricas pertinet: quare huiuſmodi rem nunc omittamus, & ad ſphæram ipſam proficiſcamur pro cuius rei notitia ſcito, quod ętherea regio à nobis ſupra explicata, vt facilius intelligatur, à ſphærographis tota per ſphæram materialem decem circulis conſtituta oſtenditur; horum autem circulorum aliqui maiores, aliqui minores dicuntur; omnes vno excepto latitudine carentes; iſti equidem quamuis in Cœlo imaginabiles ſint: cùm realiter ibi non reperiantur: neceſſariò tamen eorum cognitio requiritur ad ſcientiam, nedum Aſtronomiæ, verùm totius iudiciariæ Aſtrologię, Coſmographię, Gnomonicæ, atque Meteoroſcopiæ artis: horum igitur circulorum ſphærographi ſex maiores, quatuorq; minores conſtituunt.

motus corporum cęleſtium ad theoricarũ tracta. ſpectat.

Ca. Quales ſint huiuſmodi circuli, nè id ſilẽtio prætereamus, exponito.

Ph. Maior circulus ille dicitur, qui totam ſphæram in duas æquales partes diuidit; Minor qui in duas inæquales: Maiorum autem circulorum primus dicitur æquinoctialis, & ille eſt, qui totam ſphæram in duo æqualia diuidit æquè diſtãs ab vtroque Mundi polo; hic ſic appellatur; quia eſt æquator Diei, ac Noctis: Sol enim in ipſo exiſtens (quod bis in anno contingit; dùm ſcilicet reperitur in principio Arietis, & in principio Libræ) dies nocti æqualis fit in vniuerſa terra, vbi ſcilicet talis æqualitas contingere poteſt. hunc circulum

Circulus æquinoctialis

Quando dies nocti æqualis fiat

Quilibet circulus ſphæræ in 360 partes diuiditur.

lum æquinoctialem vocatum. Aſtronomi in tercentum ſexaginta partes diuidunt, itidem & alios circulos ſphęrales; has autem partes gradus appellant. Secundus circulus Zodiacus fuit dictus, qui æquinoctialem in duas partes æquales ad angulos obliquos ſphęrales interſecat; idque tali modo facit, vt vna pars ipſius Zodiaci ad Meridiem, altera ad Septentrionem declinet: talisque circulus ille eſt, qui latitudinem habet, quæ latitudo duodecim gradibus conſtituta fuit; ſub quo Zodiaco, & in quo duodecim imagines Aſtronomi fingunt ex varijs ſtellis conſtitutas, quas ſigna cœleſtia vocant, quorum quodlibet triginta gradus Zodiaci in longitudine occupat, ac duodecim in latitudine.

De Zodiaco.

Zodiacus habet latitudinem

Zodiacus in 12 ſigna diuiditur.

Tertius, ac quartus circulus ſunt circuli itidem maiores coluri vocati, quorū primus tranſit per polos Mundi, ac polos Zodiaci, atque per maximas Solis declinationes, hoc eſt, per principium Cancri, & Capricorni, totamque ſphęram æqualiter diuidit; & dicitur colurus ſolſtitia diſtinguens. Alter colurus tranſit per polos Mundi, & per principia Arietis, & Libræ: ideo colurus æquinoctia diſtinguens nominatur: iſti autem circuli coluri nuncupati ſe ipſos in polis Mundi interſecant ad angulos rectos ſphęrales.

de coluris. primus colurus.

ſecūdus colurus.

Sequitur Meridianus, ac Horizō, qui etiam circuli maiores dicuntur, mobilesque reſpectu noſtri, iſtudq; cæteris circulis minimè conuenit, cùm ſtabiles, immobilesque ſint, verùm illi duo ſi in ſe, hoc eſt in ſphęra recta conſiderentur, tunc ſtabiles, firmique ſunt: Quare Meridianus eſt circulus, qui tranſit ꝑ polos Mundi, & ꝑ zenit capitis noſtri, & dicitur Meridianus, quia quocunque tempore Sol motu primi Mobilis ſub eodem reperiatur, illis habitantibus tunc Meridies eſt, ſcilicet eadem hora, vel momento: quilibet tamen Meridianus ſemper in duo æqualia totū æquinoctialem ad angulos rectos ſphęrales diuidit.

De Meridiano, ac Horizonte.

Qualis Meridianus.

Horizon autem eſt circulus diuidens inferius Hemiſphęrium à ſuperiori: vnde Horizon dicitur, quia noſtrum viſum terminat, & talis circulus in duo æqualia diuidit æquinoctialem ad angulos rectos ſphęrales, ſi tamen in recta ſphęra intelligatur, & tunc per polos Mundi tranſit, in cęteris autem Mundi partibus ſemper interſecat æqualiter ipſum æquinoctialem ad angulos obliquos ſphęrales; verùm habitantibus ſub polis Mūdi, idem eſt Horizon cum ipſo ęquinoctiali; ita

Qualis Horizon.

zenit

zenit illorum habitantiū idem eſt cum Polis Mundi; noſter enim zenit ſemper polus noſtri Horizontis eſt.

Ca. Adhuc ſex circuli maiores deſcripti fuerunt; nunc reliquum eſt, vt de quatuor minoribus verba facias.

Ph. Sic cōuenit: quare de illis ſermonem faciamus, quorum primus circulus ſolſtitij æſtiualis, vel tropicus æſtiualis fuit dictus; & eſt circulus vltimus à Sole deſcriptus motu primi mobilis verſus polum arcticum; quotidie.n. Sol eodē motu primi mobilis vnum deſcribit circulū; quare vltimus in ſui maiori declinatione verſus polum arcticum deſcriptus tropicus æſtiualis appellatur. Alter vero in altera maiori declinatione verſus polū antarcticū deſcriptus dicitur tropicus hyemalis, vel circulus ſolſtitij hyemalis. Alij autem duo minores ſunt deſcripti à polis zodiaci circa polos Mundi; diſtant.n. poli zodiaci à polis Mūdi tantū, quantū ecliptica diſtat ab æquinoctiali; ideo cùm primum mobile ſuo motu octauā ſphęrā rapiat, itidem & zodiacū, qui ipſius octauæ ſphærę pars eſt; neceſſariò poli ipſius zodiaci circa polos Mundi quoſdā circulos producunt; quorū alter circulus arcticus, alter antarcticus appellatur: de circulis igitur, quibus ſphæra cęleſtis oſtenditur, iam ſatis dixi; multa alia in tractatu de ſphæra habētur, de quibus, nè à ſcopo proficiſcar, multa omittens parum dicā: quia, vt aliàs audiuiſti, ſolùm vniuerſalem præbeo cognitionem; vt talis anſa ſit pro te excitando ad has diſcendas ſcientias, vel cum ſapiens eris, via, qua ſtatim in memoria, quæ exoptabis, reuocare valeas; ideo breuiter de cęteris, quæ in tractatu de ſphæra habentur, agam.

Tropicus æſtiualis.

Tropicus hyemalis.

Circuli à polis zodiaci deſcripti

Circulus arcticus, et antarctic⁹.

Ca. Si ita expedit, vt occaſio exigit, facito.

Ph. In hoc igitur tractatu de ſphæra præter iam dicta habentur dierum, ac noctium longitudinis, & breuitatis cauſæ, rationesq; itidē aſcenſus, & deſcenſus ſtellarū, ſignorumq; doctrina: præterea de Eclipſibus: tùm Solis, tū Lunæ plena traditur notitia; aliaq; multa huic tractationi accōmodata oſtēdūt ſphærographi; de quibus Ioan. de Sacrobuſto perlegito, vbi notitiam de ſphæra tradit, cuius tractatum quatuor capitulis diuiſit, in quorū primo quid ſit ſphæra, & qualis ſit eius diuiſio, & quot modis intelligatur, quid centrum, quid axis ſphæræ, quid, & quales ſint poli Mundi, quot ſint ſphæræ, & denique quæ ſit Mundi forma oſtēdit. in ſecundo de cir-

SVMMVLA. De libris ſphæræ.

culis iam dictis,quibus ſphęra materialis componitur,qua cę leſtis intelligitur.In tertio de ortu,occaſuq; ſignorum,deq; dierum,ac noctium diuerſitate,ac de climatum,parallelorũque cognitione tractat. In quarto vero, ac vltimo circulos, motusque Planetarum, ac eclipſium cauſas patefacit. hicq; tractatus de ſphęra eſt finis.

Ca. Quid poſt hanc tractationem ſequitur?

Ph. Planetarum Theoricarum tractatus.

Ca. Quid in tali ſcientia agitur?

Ph. Primo loco quælibet Planetarum ſphęra, vel orbis diuiditur in plures orbes,ſiue ſphęras: vt aſpectus horum planetarum ratione aliqua monſtrentur, necnon & cauſæ talium aſpectuum: Quare ſingulæ planetarum ſphæræ in plures diuiduntur orbes,quorum aliquos eccentricos, aliquos concẽtricos Aſtronomi vocant: aliquaſque ſphęrulas in prædictis ſphęris magnis collocant,eaſq; epicyclos vocant, in quibus infixi ſunt planetæ,tanquam centra (ſiue vt vulgus ait) tanquam nodi in aſſe; Hæc autem Aſtronomiæ pars,etſi difficilis,delectabilis tamen, ac utilis, necnon & neceſſaria eſt: quã etſi multi tractauerint, ſubtiliori tamẽ doctrina doctiſſimus Maginus eã explanauit,qui Copernicũ optimè ſecutus fuit; quamplura etiã in Aſtronomia habentur, quorum ſi ſolùm partẽ exquiſitè recenſere vellem,adeo prolixus ſermo euaderet,vt pro reliquis tractandis locus nõ eſſet: ideo à Ptolomęo hæc ſcientia doctiſſimè tractata fuit in Almageſto; fundamentum.n.totius Aſtronomiæ ibi reperitur, quæ omnia ibidem acta faciliori via in ſphęra Ioan.de Sacrobuſto,atque in Peurbaci Theoricis planetarum intelliges: quos Auctores multi interpretati fuere;quibus viſis,ac intellectis oportebit animo intento Alphonſi Regis Tabulas aſtronomicas, vel Copernici eas (quæ Plutenicę appellantur, & de annorũ reuolutionibus inſcribuntur,ac à Doctiſſimo Magino prænominato auctę, ampliatęq;) ſępè perlegere: animaduerte tamen,quòd Aſtronomia,veluti iudiciaria Aſtrologia nedum rebus geometricis, verùm arithmeticis eget: aliter ſuum finẽ aſſequi non poſſet; Quare Aſtronomus medio Arithmeticę cęleſtiũ corporũ,ac quorumcunq; orbiũ,epicyclorumq; motus inuenit,ipſorumq; Aſtrorũ aſpectus, coniunctiones, acceſſus, & receſſus ſibi notos facit; multaq; huiuſmodi ratiocinando

De tractatu Theoricarũ Planetarum.

Aſtronomus quid. Medio Arithmet. faciat.

tiocinando cōprehendit; & tunc ars hæc circa quam ſic ipſe verſatur Tabularis dicitur, vel compotus aſtronomicus: vt in tractatu de Arithmetica intellexiſti. *Tabularis ars.*

Ca. Quid in Tabulis præallegatis agatur, nè taliū notitia mihi ſit abſcondita, recenſe.

Ph. In ipſis Tabulis multa ad ipſos compotus ſpectantia calculata habentur miro ordine collocata, quibus mediantibus Ephemerides à Mathematicis cōponuntur, in quibus quid circa cœleſtia contingat abſq; labore quotidie inuenire poteris; inter hos autem Mathematicos, qui Ephemerides effecerunt, vnus eſt allegatus Maginus noſtro tempore vir ſingularis, ac celeberrimus; cuius Ephemerides perlegere poteris, atq; in cęleſtibus figuris cōſtituendis eiſdem vti hæcq; pro cognitione tam magnæ, tamque admirabilis ſcientiæ compendiosè ſint dicta. cęterum ad præallegatos te remitto Auctores, quorum doctrinę multi expoſitores non deerunt, qui varijs declarationibus patentem tibi præbebunt viam; inter quos Clauius vnus erit, ac Picolomineus, & ſuper ſphęra, & in Planetarū Theoricis: itidem Petrus Ceruellus, Higinius, Stoflerinus in eadem ſphæra. inſuper Frāciſcus Capuanus, ac Doctiſſimus noſter Maginus in Theoricis prædictis; alijq; multi reperiuntur auctores, quos breuitati incumbens pergo. ideo ſatis de omnibus actum ſit. *Auctores Aſtronomię.*

Ca. Equidē circa Aſtronomiā breuis tua oratio fuit; ſed qm̄ ſolū cōpendiosè omnia percurrere propoſuiſti; hinc paucis contentus ſum; maiora tamen opportuniori tēpore cupio.

Ph. Aſtrologia iudiciaria in ordine ſequitur; de qua nūc agēdum. hæc ſanè eſt ſcientia, quæ ex ſtellis futura prædicit in vniuerſali, non autem in particulari (vt quidam impoſtores, ac fatui dixerunt) quod confirmauit Ptolomæus; iſta autem ſcientia abſq; Aſtronomia, Arithmetica, ac Geometria intelligi non poteſt. Aſtrologi igitur antequam ad praxim, ſeu ad prædictionem perueniant, quædam principia conſtituūt, q̄ neceſſaria ſunt, vt viam prædicendi inuenire queant; Hæc aūt principia à Ptolomæo tradita fuerūt, à Iulio Firmico, ab Alchibitio, itidem ab Haly Abenragel, necnon & à multis alijs Aſtrologis: qui totū Cęlum in quatuor partes diuidunt, quarum vnā orientalem, maſculinam, aſcendentē, initiū vitę ſignificantem, puerilem, ſanguineam, vernalemq; vocant.

DE ASTROLOGIA iudiciaria. Ab initio centū verborum.

Lib. 1. quadrip. In Aſtronomicon. in Iſag. op. In opere iudiciorū.

Alteram Septentrionalem,fęmininam,aſcendentem,euentum poſt mortē ſignificantem,ſenilem,phlegmaticam,hyemalemq; nominant. Tertiam occidentalē dictam maſculinā deſcendentem,finemq; vitæ denotantē,virilē,melācholicā, autumnalemq; eſſe affirmant. At vltimā (quæ meridionalis eſt) fęmininam,deſcendētem,iuuenilem,colericā,ęſtiuamq; eſſe,ac mediam ætatem monſtrantem dici aiunt. his aūt conſtitutis quamlibet partem in alias tres partes diuidūt, vt toto cęlo duodecim conſtituant partes (quas domus vocant) eandem magnitudinem ſingulæ habentes,vti duodecim ſigna ſub zodiaco conſtituta ; incipiuntq; ab ortu,nēpe ab Horizonte orientali, ſiue in principio Arietis,progrediūturq; ſub,deinde ſupra terram vſq; ad inceptum punctū, ita vt principium primæ Domus ſit finis vltimæ. harum prima vitam , reliquæ his nominibus ordinatim vocantur ſpes, Dea,ſiue frater,parentes, filij, valetudo, coniunx, mors, religio,Regni exaltatio,Dęmon bonus,Dęmonque malus. Prima vita nominata aſcendens, Angulus orietalis, Cardo,ſiue Horoſcopus, Martiſq; Domus,itidem & octaua(quæ ſuccedens occidentalis eſt)appellatur. Secunda ſuccedēs orientalis,ita ſeptima(quæ angulus occidentalis eſt) Veneri dedicantur. Tertia,& ſexta cadentes dictæ Mercurio tributæ fuerūt. Quarta Angulus nominata Lunæ,eſt:ſuccedens aūt,q̄ quintum hēt locum,Solis eſt Domus.Nona,atq; duodecima cadentes domus appellatæ Iouis ſunt; Decima ſiquidē in angulo poſita cū ſua ſuccedente,nēpe vndecima ſub Saturno manent.pręterea dicunt Ponentem dexteram , Orientē ſiniſtrā eſſe partem: pectus.n verſus Meridiem exponunt,dū aſtra, ac eorum motus aſpicere volūt,cùm ibi maior ſtellarū quātitas cōſpiciatur.Quare altitudines,deiectiones,ſtellas in Decanis,in munificibus,in numinibus,finibus, atque alijs varijs in locis poſitas conſiderant; vt ex his futura iudicia præbere queant, quæ iudicia,quā fallacia ſint,omnibus perſpicuū eſt.

Subdiuiſio Cœli.

Domorum Cęli nomina.

Domus ſingulorū planetarum.

Ca. Hanc ſcientiam difficillimam eſſe non ambigo; ideo propoſitos terminos quæſo declara , nempe quid per altitudines , per deiectiones, ac huiuſmodi per aliorum terminorum nomina intelligatur, nè horum cognitio mihi prorſus ſit abdita.

Ph. Sic faciam , quamuis adſint Auctores , qui hæc omnia tradant;

tradant; ideo ſcito; quòd in iam dictis Aſtrologiæ difficultas poſita non eſt; verùm in ea parte, quæ futura prædicendi vim continet; vbi, magnum requiritur iudicium; ideo iam dixi partem eſſe fallacē, quare vt ad rem redeam, dico, quòd Aſtrologi diuidunt totum zodiacū in partes duodecim habito reſpectu ad duodecim cęleſtes Domus; harū aūt prima, quæ idem eſt cum prima Domo, ſignum Arietis vocatur; poſtea ſequitur altera, quę Taurus nuncupatur, cui ſubſequūtur ordinatim Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpio, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, vltimoque loco Piſces. Hæc autem ſigna his characteribus Aſtrologi intendunt.

Difficultas Aſtrologiæ vbi.

Zodiaci diuiſio.

Nomina ſignorum.

♈. ♉. ♊. ♋. ♌. ♍. ♎. ♏. ♐. ♑. ♒. ♓. Quodlibet horum ſignorum in triginta partes diuidunt, quas gradus vocant, & quilibet gradus in ſexaginta minuta, itidem quodlibet minutum in ſexaginta ſecunda partiuntur, & ita vſque ad decem diuidendo procedunt, vt ſupra dixi; Quare horū graduum in aliquibus Planetæ exaltantur, in alijsque deprimunt: vt Sol in decimo gradu Arietis exaltatur, ibiq; ♄ deijcitur: ideo aiunt quòd in exaltationibus Planetæ reddunt homines fęlices, in deiectionibus miſeros: ſydera tamē ratione ſubiacent, vt optimi Aſtrologi fatentur; iterum aūt quodlibet ſignum in tres diuidunt partes, quarum quælibet decē gradibus conſtituitur, haſque partes Decanos vocant; ſinguloque Decano aliquis Planeta deputatur, qui cùm in ſuo erit Decano, licet in alieno domicilio tantam habebit poteſtatē, vt in proprio domicilio habere poſſet Primus igitur Decanus Arietis Marti fuit conſecratus, ſecundus Solis eſt; atque huiuſmodi reliqua intelligenda ſunt; veluti in pręallegatis libris intelliges. Aliqui Aſtrologi iſtos Decanos in munifices ſecuerunt ſingulo Decano tres munifices conſtituentes; itidem & alij munifices ſubdiuiſerunt, parteſque conſtitutas Numina appellarunt; ab his namq; dicebant particularia ſcire poſſe, ſicuti ſunt dolores, caſus particulares repentini, morbi particulares, huiuſmodiq; alia: noſtra tamen tēpeſtate talia relinquuntur Numina; difficile.n.eſt, immò impoſſibile hęc particularia ſcire. Inſuper fines Planetarū ſingulis in gradib⁹ reperiuntur; atq; hi fines ὅρια gręcis dicūtur. Quare in ſigno Arietis ♃ vſq; ad ſex gradus ſuos fines hēt, ♀ ad duodecimū gradum vſq; ☿ ad viginti, atq; huiuſmodi de reliquis cē-

Diuiſio ſignorum.

Diuiſio ſignorum in Decanos.

Planetarū ſignificationes.

Munifices in numina diuiſi.

Fines Planetarum.

ſendum eſt; quibus, & alijs quampluribus finē imponere volo, cùm meum non ſit te totam docere ſcientiam; Quare ſatis ſint enarrata ad viam præbendā, anſamq; tibi tradendā, ꝑ horum ſtudio ſequendo; longum, ac magis prolixum fore exiſtimo, ſi reliqua horum Aſtrologorum narrare vellem; nam Signorum alia Septentrionalia & Imperantia, alia Meridionalia, ac obedientia, alia maſculina, & alia fęminina, alia ignea, alia aerea, terrea alia, itidem aquea, mobilia, fixa, diurna, fęcundia, atq; alia ſterilia, liberorum alia, & alia paucorū, pulchritudinis aliq; deformitatis, necnō & alijs nominibus alia appellantur. præterea Domorū aliæ alijs præferuntur, & aliæ dignitate poſtponuntur, huiuſmodiq; alia reperiuntur fundamēta Aſtrologica apud præallegatos Auctores, quorū medio ad futura prædicenda, itidem & præterita recenſenda proficiſcuntur, hæcq; ars prædicendi à Prolomæo in reliquis tribus libris Quadripartiti, & in centū verborū deſcriptione traditur; cuius artis etſi ab eo ſolùm b membris diuiſio fiat, multi tamen Aſtrologi hanc partem in plures diuiſerunt veluti fuit Albumazar, Abraham Auénezere, atque alij, quos Petrus Ceruellus præfactione Aſtronomiæ recenſuit. Nunc tamen ad Ptolomęum proficiſcamur, qui ſuæ diuiſionis primam partē in ſecūdo Quadripartiti mōſtrauit, & hæc pars eſt vniuerſalior, quam alia, vt ipſe affirmauit: nā ea eſt, qua ſcitur, quid in Regionibus, atq; terris futurū ſit, vt ibidē legitur, cum Aſtrologus ha. parte prædicere ſoleat prælia, Mortalitates, terræmotus, ſubmerſiones, temporū mutationes, calores, frigora, vētorum, mutatiōnes, pluuias, ſiccitates, huiuſmodiq; alia. Altera vero pars ea eſt, qua omne, quod vnicuiq; in futurū contingere poteſt, deprehenditur, atque agnoſcitur; Natiuitatumq; ſcientia hæc appellatur; tamen vt dixi, pars Aſtrologiæ iudiciaria à citatis Auctoribus in quatuor partes ſecatur, quarum prima Natiuitatum, ſecunda interrogationum, tertia Reuolutionū (quę vel eſt annorū Mundi, vel de natiuitatum reuolutionibus.) Quarta, & vltima de Dierum, ac horarum electionibus nominatur. Hanc diuiſionem Ioannes de Saxonia ſecutus fuit.

Signorum varia nomina. *Vna domus dignitate alteri pręfertur.* *Aſtrol. b membris diuiſio.* *1 pars Aſtrol. In 2. Quadripar.* *2. pars Aſtrologiæ.* *Aſtrologia diuiſio.* *In cōment. in tex. Alchibitij.*

DE ASTOLOGIA natiuitatum.

Ca. Has Aſtrologię partes more ſolito percurre.

Ph. Ita agam; quare ad primam partem me confero, quæ de Natiuitatibus eſt; quam vt Aſtrologi conficere queant, in

pūcto natiuitatis illius hominis (cuius futura prædicere imaginantur) figurã cęleſtem conſtituunt ex duodecim Domibus fabricatam ſuis locis (vt reperiuntur eo puncto in Cęlo) omnia Aſtra, ac ſigna, collocando, prout ſic ars exigit; atq; tali ſchemate, ſeu figura quid nati influentiæ ſit agnoſcunt; regulis ſcilicet Aſtrologiæ ſeruatis, ac intellectis: ideo de tota vita illius nati futura prædicere exiſtimant; quid de homine, dico, ita de qualibet re genita, veluti de Ciuitate, de Caſtro, de Regno, deque huiuſmodi alijs, intelligo; nam Schema in puncto creationis Regis, vel Ciuitatis ædificationis conſtituunt, ac configurationes omnes ſtellarum, Signorumque, necnon & aſpectus Planetarum conſiderant, inſpiciēdo quibus in locis, & ſtellæ, & ſigna ea hora, qua primus lapſis Ciuitatis poſitus fuit, reperiebantur: itidē Aſtra ipſa quomodo ſe habebant, atque quibus in Cęli partibus in Regis creationis puncto inueniebantur; ideo his inſpectis regulis mediantibus quid illius rei futurum ſit prædici poſſe ſibi perſuadent. *Aſtrol. et prędicit de ciuitate, et ędificijs.*

Ca. Vana hęc omnia mihi videntur, nempe quòd de Ciuitatis influētia, vel de aliqua alia re inanimata prædicere queāt; quandoquidem hæc talia influentiam vllam ſuſcipere nequeunt; cum neque morbis, neque Doloribus, neque animi paſſionibus ſubiaceant.

Ph. Nulli dubium eſt, quòd hæc iam dicta eo modo, quo homines, alterationibus obnoxia non ſunt; attamen incendijs, ſubmerſionibus, atque ſuo fini ſubiecta exiſtunt, non enim hæc perpetua credenda; quia corruptibilia; ideo, q̄ dixi, omnes Aſtrologi affirmant; atque iſtud verum fuiſſe interdum viſum eſt; non tamen id pro vero aſſero, niſi D. Thomæ credamus, qui ſecundo de generatione, & corruptione hæc verba habet *Qui ſciret uirtutes ſtellarum, & ſignorum in eis poſitarū, dùm res aliqua naſcitur, cognoſceret quantùm eſt de influentia cęleſti, & poſſet prædicere, ſiue pręſagire de tota vita rei genitæ, licet hoc neceſſitatem non poneret, quia poteſt impediri per accidens.* Sanctus igitur Doctor verbis communibus homini, & aliis rebus vtitur, quando ait. *dum res aliqua naſcitur*, vt forsàn exortum Ciuitatum, & creationem Regum, vel aliorum Principum nō excludat. hic autem Sanctus in ſua Summa affirmat ex impreſſione corporum cęleſtium homines inclinari magis ad vnum, quàm ad aliud, & interdum verificari, quæ de actibus hominum ex Cœlo pronunciantur, cùm ſolùm ſapientes *textu 58. D. Thom. Aſtrolog. approbat.* *1. 2. q. 9. art. 5. in reſp. Arg.*

inclinationi Cęli reſiſtant.

Ca. Schematis conſtructionem quæſo me doce.

Ph. Si cęleſtem figuram conſtituere exoptas, facile erit, dùm Ephemerides optimi Auctoris perleges; vel ſi mauis Schema, & modum prædicendi ſimul, lege Aſtrologicum Tractatum Henrici Ranzouij, vel præallegatos Auctores, vel alios Aſtrologiæ ꝓfeſſores, qui hanc ſcripſerunt ſcientiam quorum vnus fuit Vuekerus Abubater, Hieronymus Diegus, Moletus, Cęcus de Aſculo, Hermes, Bethem, Almāſor, atque alij quamplures talis ſcientiæ profeſſores; nota tamē, quòd optimi Aſtrologi nō imponunt rebus ex ſtellis neceſſitatem; quod voluit Ptolomæus dicens. *vir prudens dominabitur Aſtris* ideo pars indiciariæ Aſtrologiæ, quæ neceſſitatē rebùs imponit prohibita, ac ab Eccleſia ſancta damnata fuit, quia falſa omnino eſt.

Auctores Aſtrol. gię.

Aſtrol. cpt. nō imponit neceſſitatē rebus in Almageſto.

Ca. Porrò hæc Aſtrologiæ tractatio valde mihi arridet; ideo cùm ocium dabitur, prædictos perlegam Auctores.

Ph. Equidē, quòd hęc ſcientia delectabilis eſt, deq; multorū ſententia valde vtilis; quia, vt ait Ptolomæus, optimus Aſtrologus multa mala prohibere pōt, q̄ ex ſtellis non neceſſario tñ ventura ſunt; iſtudq; Haly in comment. centū verborū ꝓbat, atq; Ioan. de Saxonia affirmat: quomodoq; iſtud fieri poſſit, monſtrat; quare ēt apud Ariſt. legitur Thaletem futurā olei vbertatem præſagiſſe. Verùm quàm Medico eadem ſit neceſſaria, Lucas Guaricus oſtēdit; quia Medicus ſine Aſtrologia, eſt veluti Nauis abſque Clauo, ſed de his ſatis.

Aſtrol. utilis, & neceſſaria verbo quīto.

Super textu Alchibitij.

1. Polit. c. 7

In Axiomat. ſuper diebus decret.

Ca. Ad aliam igitur partem accedamus.

Ph. Illa eſt, quæ interrogationum nominatur, hæc autem ab ea de natiuitatibus non differt; cū eodem ordine, ac methodo, qua & altera procedat: in hoc tamen diſcrepāt, quòd in illa natiuitatum figura cęleſtis conſtituitur in puncto natiuitatis; hìc vero in pūcto interrogationis; atq; tali figura eo in puncto interrogationis conſtituta, Magiſtri ad interrogata reſpondent; veluti de hoc exemplum à prædicto Ioan. de Saxonia intelligi pōt, qui interrogatus à quodam hoīe de quodā abſente, an eſſet mortuus, vel viuus: ſtatim figurā erexit, atq; ex ea mortuum fuiſſe agnouit ob rationes, quas ibi adducit. itidem aliud Schema oſtendit, quod ab eo fuit conſtitutum, dùm quidam interrogabat de alio ad Angliam miſſo, an eſſet in redditu, atque vtrum pecuniam Domino ſuo

DE ASTROLOGIA interrogationū.

Super tex. Alchib. in fine prima differ.

aſporta-

aſportaret: hæc ſanè pars, vt dixi, à Ptolomæo, tanquàm vana neglecta fuit. ideo quia vana eſt, eam ſpernes.

Ca. Etſi eam neglexerit, non ab re fuit, de ipſa aliquid dicere, vt quæ inania ſunt, non ignorem.

Ph. Tertiam partem ipſius Aſtrologiæ ſequamur, quæ de annorum Mundi, atque Natiuitatum reuolutionibus eſt: natiuitatum inquam tam hominum, quàm alterius rei ædificatę, vel denuo creatæ: ſicuti alicuius Regis, vel Ducis, vt Alfonſus Rex voluit.

DE ASTROLOGIA REVOLVTIONVM. annorũ mũdi, & natiuitatum.

In Tabulis Aſtr. propoſit. 34.

Ca. Hæc igitur pars à te exponatur, vt prorſum eam non ignorem.

Ph. Illius expoſitio, ac declaratio ab eodem Alfonſo Rege habetur: ait enim, quòd Reuolutio annorum Mundi eſt Solis introitus in primum Arietis minutum Reuolutio nati eſt reuerſio ſolis ad eundem punctum Zodiaci, in quo erat tempore Natiuitatis. Reuolutio annorum alicuius rei natæ (vt ædificij, Ciuitatiſque) eſt reuerſio ſolis ad eundem locum in Zodaico, vbi in principio fundationis, hoc eſt, quando primus lapis ponebatur, inuentus fuit. Quare dictis temporibus dictorum reuolutionum Aſtrologi figuram duodecim cœleſtium Domorum erigunt, atque loca Planetarum, ſignorum, ſtellarumque ſupputant; vel vt clariùs intelligas, hac figura quibus in locis Cęli prædictis horis, ac momentis planetæ, ſigna, ac ſtellæ reperiebantur, obſeruant, habito reſpectu, ac ratione ad locum vbi res ædificata fuit. Quare hoc modo quid illius anni, Menſiſque futurum ſit prædicunt. Modum autem ex reuolutionibus ipſis prædicendi, modumque figuram cœleſtem in his erigēdis habebis ab eodem Alfonſo Rege, à Franciſco Iunctino, à Ioſepho Moleto, nec non & ab alijs Aſtrologis, vt ab Alchibitio, atque à Ioanne de Saxonia. quare his omiſſis ad vltimam Aſtrologiæ partem tractandam nos conferamus.

Loco citato. Reuolutio nati, & annorum. Figuræ cęlectis erectio.

Modus ex reuolu prędicendi.

Loco citato ĩ Tract. iudicãdi reuol. nat.

In ephem. anni 1563.

Ca. Vltima pars, ni falor, eſt de dierum, ac horarum electionibus.

Ph. Ita, ideo de ipſa ſermonem faciamus quæ docet eligere diem, ac horam ad quamcunque rem inchoandam, vt dùm Mars trino aſpectu Lunam aſpicit, tunc, aiunt, optimum eſt inſtrumenta bellica parare, omneque genus Animalium emere; at ſi quadrato aſpexerit radio, valde timendum: ideo

DE ASTROLOGIA ELECTIONVM. Dierum, & horarum.

circa

circa bellica nihil agendũ,huiuſmodiq́ue oẽs horas aſpiciunt ad negotia,colloquia,ædificia,ac cæteraomnia inchoanda,ac tractanda: itidem ad ſigilla aliqua componenda diuerſis metalis confecta ſub conſtellationibus determinatis fabricanda,in quibus characteres,nomina incognita,imagineſq; imprimunt,quibus morbos pellere, aliaque in proximi vtilitatem effici poſſe perſuadent,cùm ſuperſtitiones, Diabolique fraudes ſint:quia etſi liceret multa ſub conſtellationibus efficere,attamẽ cùm nomina illa,ac characteres ſint incogniti, prorſus damnari debẽt;cùm nomina incognita,characteresque,vti res diabolicæ, ab Eccleſia ſancta ſint interdicti: ideo prætextu Aſtrologiæ huiuſmodi prohibita,ac malefica intro ducunt. hanc autem partem Aſtrologiæ inuenies apud prę-allegatum Moletum ſcriptam; quamuis de ea parte, in qua modum ſigilla fabricandi,mentionem non faciat.itidem & de prima parte apud Vuekerum ſub nomine Magiæ Mathe maticæ tradita ſermo inuenitur, qua arte, ſyderum cõſtellationumq; influxu,aliqui affirmare auſi ſunt(vt idẽ Vuekerus ait)naturæ operibus opera ſimilia fieri poſſe: vt fuit Columba Architæ lignea,quæ volabat,& vt caput ęneum ab Alberto Magno fabricatum,quod loquebatur, vt multi aiunt,aliaque quamplura miratu digna his obſeruationibus facta fuiſſe legitur.

Sigilla malefica. Nomina ĩcognita,ac characteres prohibiti.

Lib.15. de ſecreels c. 8.

In Ephem. citatis lib. 6.

Operibus naturæ opera ſimilia fieri poſſe. Columba lignea Architę caput ęneum Alberti.

Ca. Profundiſſima, ac curioſa hæc ſcientia eſt; ideo quòd difficilima ſit exiſtimo.

Ph. Profecto multæ condiciones homini requiruntur, vt optimus euadat Aſtrologus. Hinc multi ignari (genus quidem nequam hominum) cùm huius artis cognitionem exoptarent,cùmq; propter eorum ignorantiam eandem conſequi neſcirent, adeo impij, ac inhumani fuerunt, quòd ipſam in ſuperſtitioſas, Magicaſque artes verterunt, opeque Dæmonum prædicendi artem conſecuti ſunt:forſan Platonem audientes dicentem,quòd cœlum inſpicere cauſa prædicendi noſtrum non eſt; noſter enim inanis eſt labor ad hanc rem adipiſcẽdam;etiam contingere poteſt,vt animaduertiſſent verba Origenis,Porphirijque(vt apud Ficinum legitur) quibus verbis diuinitatem ex Aſtris ab hominibus abſtulerunt,eamq; Dæmonibus ſolummodo aſcripſerunt,quibus,quæ in hac arte intelligi poſſunt,clarè patẽt;horũ autem hominum

In Thimęo

Ficin. ĩ cõ. lib.Plutini cuius titulus nũquid ſtellæ agãt cap.8.

hominum Maleficorum Plinius, atque Ornobius Antiquiores recenſuerunt; quorum Artes quàm deteſtabiles, ac contra fidem noſtram ſint probat Sanctus Bonauentura; eas tamen intelligo, quæ ope Dæmonum, vel aliqua via ſuperſtitioſa acquiruntur; de quibus à nobis nunc ſermo eſt inſtituendus.

Lib 30. c. 1. naturalis Hiſt. li. 1. aduerſus Gentes. 2. ſent. diſ vij. q. 3.

Ca. Ex tuis dictis videtur, quòd Magicę artes non ſemper Dęmonum auxilio acquirantur.

Ph. Equidem aliquæ adinueniuntur, quæ naturali via acquiri poſſunt.

Ca. Quomodo id fieri poſſit; nè quæſo te pigeat recenſere.

Ph. Magia triplici modo conſiderari, diſcique poteſt: primoque modo Diaboli auxilio, & ſic Malefica, ac infamiſſima tenetur; vel quibuſdam obſeruationibus conſtat abſque Diaboli interuentu, & ſic ſuperſtitioſa nominatur; quæ pars etſi manifeſta inuocatione immundorum ſpirituum non contingat, attamen media omnia, quibus tales artes acquirũtur, à Dæmonibus emanaſſe firma fide eſt credendum; vt pluribus exemplis demonſtrari poteſt: & primo exemplo Caetani viri ſapientiſſimi, qui cùm intelligeret anulum ex ſe moueri ſuper filum, ſi quædam verba ſacra ibidem ab homine aliquo dicta fuiſſent; atque ſciens verborum ſacrorum vi, ſiue virtute Dei id non contingere, ſed fraude diabolica. Hinc non experiendi cauſa, ſed cupiens credentium errorem patefacere, ac diabolicam ſuperſtitionem conuincere, accepit anulum, eumque ſuper filium poſuit, deinde proteſtatus ęſt, quod verſum ſacrum illum dicebat, non tanquam ad anulum mouendum, ſed ad id, cui à Pſalmiſta directus fuit, ideo tali conditione verſiculum dicens nunquam anulus motus eſt; vnde fraus diabolica patefacta fuit; ex vi aenim, qua Caetanus verba ſacra protulit, perſpicuum fuit, non virtute verborum, ſed ex pacto olim inito ab aliquo cum Dæmone, Diabolus ipſe anulum mouebat. Sic igitur de reliquis tenendum, ac firmiter credendum eſt. Tertia autem Magia (vt ad rem redeam) eſt ea, quæ via naturali acquiritur, ac diſcitur: & ſic honoratiſſima, & naturalis vocatur, cùm ab omni ſuperſtitione prorſus ſit abiuncta.

DE MAGIA. In vniuerſali. Triplex Magia.

In ſũmula verbo incãtatione. Anulus mouebatur ſuper filum quibuſdã verbis ſacris dictis.

Tertia Magia naturalis dicta.

Ca. Pro harum cognitione aliqua explicato, vt quæ fugiendæ, & quæ ſequendæ ſint non ignorem.

Illud

Ph. Iſtud ſanè eſt neceſſarium, vt zizaniam à tritico ſecernere ſcias. ideo ſuo loco de omnibus agam; prius tamen videamus quid ſit Magia, pro cuius definitione ad Ioannem Baptiſtam Portam recurramus, qui ait. *Magia eſt vniuerſæ naturæ cõtemplatio, ex cælorum enim motus conſideratione, ſtellarum, elementorum, eorumque tranſmutationibus, ac Animalium, Plantarum, Mineralium, eorumque ortus, & interitus occulta veſtigantur arcana; vt tota ſcientia ex naturæ vultu dependere videatur.* Ex his igitur patet, quòd magicæ operationes opera naturæ ſunt; & notato quòd vnica tantũmodo Magia reperitur, ſi in ſe cõſideretur, nec plures, vt aliqui putarũt: verũ quia non ſemper eadẽ via eius cognitio habetur, ſed & ſtudio bonorũ artiũ, & ope Dęmon. vt quidam hoĩes fatui, impijq; eam intelligere voluerunt qui (vt dictum fuit) non proprio labore, ſed Dęmonũ auxilio eam ſcire maluerunt: Hinc ipſam bimembrem eſſe aliqui dixerunt, quarum altera infamis, immundorumq; ſpirituum commercijs inauſpicata, carminibus, atque nefariæ curioſitatis arte concinnata, atque efformata eſt, ut idẽ Porta ait; hancque Magiam Vueckerus Geotiam necromanticã vocauit. Altera naturalis dicitur arcana naturæ (quæ vulgo miracula videntur) oſtendens ac aperiens: quidquid enim in naturalibus ſcientijs reperitur, quòd arcanum, & quaſi miraculum ſit, de Magiæ conſideratione eſt. Hanc Magiæ diuiſionem Picus Mirandula fuit ſecutus; hæ tamen ambæ, etſi duæ videantur, ſi, vt dixi, in ſe conſiderantur, abinuicẽ non differunt, licet modo conſiderandi, eaſque acquirendi differentia ſit, in ſe autem idem ſunt: Dęmones enim non alio modo operantur, quàm naturæ ſecretis, veluti Magi naturales faciunt: At cùm Dęmones naturæ accuratiſſimi exploratores ſint, conducunt ea, quæ natura pręparata ſunt applicando actiua paſſiuis, atq; ita ante tempus à natura determinatum effectus producunt ideo miracula vulgo videntur, cùm opera naturalia ſint; quòd affirmat Vvekerus; Hęc autem omnia, & alia quamplura cùm magis Dęmonibus nota ſint: Hinc etiam magis admirandæ eorum operationes ſunt, quàm quæ ab hominibus efficiuntur: Diabolus enim, vt ꝓbat Summa Sylueſtrina, perfectè agnoſcit virtutes omniũ Angelorum, Cęlorum, Stellarum, Animalium, omniũ herbarum, Mineralium, lapidum, elementorumque: præterea agnoſcit

Lib. 1. naturalis Magiæ c. 1. qd Magia.

Magicę operationes ſunt opera naturę.

Magia duplex.

Loco citato.

Lib. 10. c. 10. de ſecretis.

Magia naturalis.

In Apologia ſuarũ propoſ.

Magia vna eſt i. ſe.

Dęmones naturę ſecretis operantur.

De maleficio, & maleficiatis.

Quid Dęmon agnoſcat.

agnoſcit quæ obeſſe, ac hominibus prodeſſe poſſunt: itidem exactiſſimè Sympathiam, ac Antipathiam rerum omnium non ignorat; rerum quidem omnium amicitia, ac diſcordia ad Magiæ conſiderationem pertinet, quarum ſcientia Dæmonibus nota eſt. Quare Ficinus dixit Dæmones Magos eſſe naturales, quia rerum amicitiam, ac diſcordiam agnoſcũt; Ideo etiam perfectiores in hac ſcientia ſunt, quàm homines ob eorum maiorem cognitionem in naturæ arcanis; ſcientia namque ornatiſſimus eſt Diabolus, nec error, aut ignorantia in eo reperitur; vt Gryſaldus monſtrat, & vt probat D. Auguſtinus: nec Dæmones aliter operari poſſunt, quàm via naturæ; etenim eorum operationes limites naturales non tranſgrediuntur; porrò, quæ naturæ poſſibilia ſunt, faciunt, quia ſapientiores, quàm homines; vt Guaſpar Caſalius affirmat; itidem ait Iſidorus, quòd Dæmones etſi ſanctitatem amiſerint, retinuerunt tamen viuacitatem ſenſuum angelicæ creaturæ. Quare & in Aſtrologia, & in alijs Artibus doctiſſimi ſunt, vt probat Thomas ab Argentina; non tamen ſupra naturam vim habent, vt aſſertum fuit, quamuis aliter interdum videatur, illuſiones enim ſunt, quod voluit Sanctus Doctor.

In com Cõuiuij Platonis c.10.

In Deciſiõ. fidei.

Aug. 9. de ciuit. Dei cap. 12.

Primo de Quadr. iuſtitia c.29.

Primo de ſummo bono.

2. Sent. diſ. 7. art. 3.

Prima parte q. 114. art. 4.

Ca. Ex iam dictis clarè patere mihi videtur, quòd quamquam Diabolus ſit doctiſſimus, tamen ſupra naturam nihil poteſt: ſed ſolùm medio rerum naturalium opera ſua contingunt, non propria vi, aut virtute.

Ph. Optima fide iſtud credendum; ideo Sanctus Bonauentura omnino determinat, quòd Dęmones propria virtute nihil poſſunt, ſed id, quod faciunt aliena virtute contingit, quæ omnia hominibus admiranda, ac miraculoſa videntur, cùm ſolùm aliena virtute, hoc eſt, virtute naturalium rerum omnes ſuæ operationes contingant; vt idem Sanctus Doctor aſſerit; ideo ait, quòd eorum opera admiratu digna hominibus videntur, quia homines ignorant arcana naturæ, quorum medio Dęmones etiam formas naturales introducunt; ideo quemadmodum rudi homini, quæ à ſapienti aguntur aliquo naturæ ſecreto mirum, & quaſi miraculum videtur; ita hominibus (quia rudes reſpectu Dęmonum) miracula videntur, quæ à Dæmonibus naturæ ſecretis tractantur, ac perficiuntur: Quare decreuit, quòd niſi rerum naturalium virtutibus ſua opera efficiunt, loquẽdo de introductione formarum naturalium

2. ſen. diſt. 7 q. 2. in reſol.

Loco citato prima parte q. 114.

Exemplũ de operib. Dæmonũ.

turalium cum ſolùm aliena virtute talia opera contingant; ideo formas naturales introducere poſſunt addendo ſemina corporalia per motum localem, applicando actiua paſſiuis; horum igitur, quæ in hoc mundo natura fiunt; aliqua Dęmones talium ſeminum medio efficere poſſunt, adhibendo ea (vt dixi) per motum localem; quod voluit Sanctus Doctor; nam omnium rerum, quæ naturaliter naſcuntur, occulta quædam ſemina in Mundi elementis latent (vt idem Sanctus Doctor loco citato ait) quæ cùm Dęmonibus nota ſint adhibendo ea prædicto modo multa facere poſſunt; hæc autem ſemina D. Auguſtinus principia actiua, & paſſiua rerum naturalium, vel ſeminales rationes vocauit. ſi autem de formis artificialibus ſermo noſter fuerit; tunc propria virtute huiuſmodi formas efficiunt; quemadmodum homo hoc idem propria virtute efficere ſolet. Scotus quidquid dictum fuit comprobauit; itidem & ſanctus Doctor loco citato: quare horum Doctorum ſcripta perlegito, & priuatim ſancti Bonauenturæ, ac prædicti ſancti Doctoris à quibus habebis modum, quo fantaſtica corpora fabricant, atque reliqua qua via eorum ope contingant: his autem intellectis apparet, quòd Magi naturales differunt à Magis diabolicis; quatenus iſti Malefici à Dęmonibus ſcientiam acquirunt, non tamen eo modo, quo homines à ſapientibus: quia iſti via naturali, ſpeculatione, experientia, rerum cauſis, atque firma ratione hanc ſcientiam adiſcunt: At illi Maleficij, vt ſcopum, ac finem aſſequātur, incognitis nominibus, characteribus, ſuffumigationibus, aliquibus circulis, luminibus, ſceptris, coronis, anulis, atque alijs nefandis cęremonijs abuntur: ignorantque cauſas propter quas res ſibi ipſis ſuccedant; quare medio rerum prædictarum intentum ſuum Diabolo manifeſtum faciunt; quibus ipſe ſtatim obedit iuxta petitionem, quia cum eo hi homines pactum expreſſum, vel tacitum habent; vt in Summa Syluestrina legitur.

Prima parte q. 110. art. 2. & 3.

q. 115. art. 2.

2. libro ſen. diſt. 8. q. 1. q. 114. art. 4.

Magi naturales & Malefici.

Loco citato

Ca. quęſo mihi dic, ſi Magi, qui à remotis partibus venerunt ad Chriſtum Saluatorem adorandum, erant naturales, vel Malefici.

Ph. Circa hoc duas adeſſe opiniones videtur; aliqui enim volunt, quòd fuiſſent Philoſophi ſapientes, atque Aſtrologi excellentiſſimi: qui apud Caldeos, & Perſas Magi vocantur,

Magi, qui adorarunt Chriſtum.

quorum

quorum vnus fuit Vvekerus; ita tenet Londulfus de vita Chriſti; itidem & *Picus* Mirandula, quod confirmare videtur D. Thomas. aliter tamen ſentit D. Auguſtinus (vt notat idem Sanctus Doctor loco citato) in ſermone ſecundo Epiphaniæ, qui vult, quòd Magi illi fuiſſent peccatores, ac malefici ego tamen potius primam partem teneo, & nedum teneo, quòd Magi ab oriẽte venientes ad Chriſtum fuiſsent ſapientes, ac naturales magi: ſed alij quamplures Antiquorũ (vt affirmat idem Vuekerus loco citato) veluti Zoroaſter, Pytagoras, Empedocles, Plato, Hermes Philoſophus, atque alij quamplures, de quibus mentionem faciens Picus Mirã-dula aſserit, quòd iſti tales erant Philoſophi ſapientiſſimi, qui lingua perſa Magi vocati fuerunt; ideo non omnes, quos Magos Auctores vocant, Malefici fuere; vt forsàn aliqui putarunt, inter quos vnus fuit *Plinius*, qui perperàm excogitauit eos nomine Magorum vocatos Maleficos fuiſse; cùm ſapiẽtes tali nomine vocati fuerint: vt teſtatur Diogenes Laertius; horum autem alij circa diuinorum, ac alij circa naturalium myſteria, arcanaque ſe gerebant: ideo harum duarum partium vltima ab aliquibus (etſi naturalis) interdùm venefica vocata fuit; forsàn quia ab ignaris ſuperſtitiosè, ac veneficè tractata fuerit: quamuis ſapientes medio rerum naturalium per cognitionem Sympathię, atque Antipathiæ, in quibus magna arcana poſita ſunt, eam conſecuti fuerint.

Lib. xv. c. 10. de ſecretis. *Parte prima c. 11. in Apol. de Magia p. 3. q. 36. ar. 3. tom. x.* *Magi Philoſophi.* *In Apol. citata.* *Li. 30. c. 1.* *Lib. primo de Vita Phil. ab initio.*

Ca. Quis huiuſmodi Magiam ad naturalia attinentem tractauit?

Ph. Multi, inter quos Vuekerus, atque Plinius de hac mentionem fecerunt: huius ſiquidem artis profeſsores fuerunt Demetrius, Phyloſtratus, atque Porphyrius; Aliqui horum Magorum (vt idem Vuekerus loco citato affirmat) ad ſua conficienda opera rebus naturalibus nedum vtuntur, verùm eas interdum adhibent, quæ naturã comittãur, ac quodãmodo exeunt; vt ſunt motus, numeri, figuræ, ſoni, voces, verba, huiuſmodique alia adhibere ſolent; ſed cùm in naturalium rerum arcanis non perſiſtant, fit, vt ſępè ars ſua in ſuperſtitioſam, ac Geotiam necromanticam vertatur.

Lib. 15. c. 9. de ſecretis. lib. 26 naturalis. Hiſt. c. 4. *Error aliquorũ Magorum.*

Ca. Dic quęſo ſi Moſes, dùm Virgam in colubrũ tranſmutauit, fuit Magus naturalis, quia memini iſt ud apd Pl[illegible] vidiſse, nempe quòd Moſes fuit Magus?

Iſtud

Lib. 30. c. primo.

Ph. Iſtud profectò Plinius ſcripſit, ſed perperàm rem intellexit, cùm dixerit alia Magices factio à Moſe; quia etſi virgã in Colubrum trãſmutauerit (vt in ſacris litteris legitur) iſtud virtute Dei miraculosè fecit; ideo de huiuſmodi alijs ſuis operibus ſic credendum eſt; quia Propheta non Magus, & Dei ſeruus fuit.

In Exod. c. 7.

Ca. Ex dictis conſtare videtur, quòd interdum Magia naturalis abſque ſuperſtitione inueniri poſſit.

Magia antiquitus honor fuit.

Ph. Equidem quia Magia apud ſapientes antiquitus honoratiſſima fuit, & naturalis; quare legitur, quòd nemo Rex Perſarum Regnum gubernabat, niſi prius tali ſcientia imbutus fuerit; iſtudque teſtimonio Platonis in Alcibiade comprobari poteſt, cùm dicat, quòd Regum Perſarum Filij in adoleſcentia Magiam Zoroaſtri Oromonſij Filij à preceptoribus adiſcebant. Hæc autem Magia apud Platonem nil aliud eſt, quàm Deorum cultus, quod confirmauit Ficinus: nec ab hac ſentẽtia abfuit Diogenes Laertius; cùm dixerit, Caldeos vocari Magos Deorum cultui, quos ſapientum genus eſſe affirmat; hoc idem voluit Cicero dicens, Magus perſa lingua Diuinorum interpres, & cultor, genuſq; ſapientum eſt apud eos: ibidemque ait: *neminem Regum Perſarum ad Regnum gubernandum aggrediebatur, niſi Magica ſcientia imbutus fuerit*. Quare ex his patet, quòd antiquitus Magia non ſemper pro infame tenebatur; ſed ſæpè pro quadam ſapientia: cuius rei veritas ex eo intelligi poteſt, quòd inter Reges vigebat, non inter genus Plebeium, nec inter infames homines; ideo iure credendum eſt, quòd antiquorum Magia vera naturalis, non malefica, ſed Deorum cultus interdum fuit, ac quædam naturalium, diuinorumque rerum ſapientia: cùm inter Reges locum habuerit.

In Argum. ſuper charmenides. lib. 1. de vita philoſ. Cic. de diuinatione.

Concluſio de Magia antiquorum.

Ca. Ita, vt ais, apparet; ideo nè ab vſu recedas, de vnaquaque prædictarum ſpecierum ſermonem fac.

Ph. Sic noſter ordo exigit, vt priuatim vnãquamq; harũ percurramus; ideo partem infamem, ſeu maleficam iuxta triplicem ſpeciem allatam aggrediamur. Hæc igitur infamis, ac malefica Magia dicta, quam Vuekerus Geotiam necromanticam vocauit, Dęmoniaca, Diabolicaque etiam appellatur: quia ſcelerati homines Dæmonum auxilio ob eorum impietatem erga Deum ipſam adipiſcuntur, Dæmones expreſsè,

DE MAGIA MALEFICA.

pſam adipiſcuntur, Dæmones expreſsè, vel tacitè inuocando, quibuſdam ſibi incognitis nominibus, atque ab eis auxilium petentes adiurationibus, magicis carminibus, nefandiſque exorciſmis: & demùm inhumani homines Dæmonibus ipſis eorum voluntatem notam faciunt, vel expreſsè loquẽdo, vel tacitè ſignificãdo characteribus, magicis figuris, atque alijs nefandis cæremonijs, quibus ſtatim (quia pactum expreſſum, vel tacitũ inter illos habent) Dæmon morẽ gerit.

Ca. Quis eſt tam impius, qui tam magnum ſcelus committere auſus fuerit?

Th. Simon Samareus apud Romanos, qui tempore Sancti Petri vixit, Arnuphis Aegyptius, Cinops, atq; alij multi, quos Textor recenſet. Hæc autem ars malefica, ac infamiſſima apud iſtos multiplex eſt, cùm varij ſint modi, quibus impij finem conſequantur; ideo ſi cæremoniæ iſtorum circa ignem contingant, ars dicitur Pyromantia, de qua Viadana maleficarum mulierum exemplis mẽtionem facit. ſi circa aërem, Aeromantia appellatur: ſi circa aquam Hydromantia, è qua grandines, pluuias, tonitrua Hydromantes excitare ſolent; & interdum hæc ars habet coniunctam Aeromantiam: ideo alia ſimilia in hac contingere viſum fuit; noſtra ſanè tempeſtate multis ſceleratis ſtrigibus nota eſt, vt teſtatur idẽ Viadana multorum exemplorum fide, quibus probat huiuſmodi artem inter ſceleratas mulieres vigere, ac inter impios homines; qui varijs modi artem maledictam exercent, veluti in phiala aqua benedicta plena ſub tabula quadam vndique pannis cooperta collocata, duabus ibidem ſub tabula ipſa, vel tribus candelis benedictis accenſis cum tribus puellis virginibus, ac muliere vna prægnãte, quæ à Diabolo (qui in phiala quibuſdam verbis prius inuocatus, ac adoratus ab iſtis ſub forma regis aduenit) quidquid volũt petunt; ſed ꝙ magis eſt audiui mulieres egregias iſtud maleficium effeciſſe, vt ea inuenirent, quorũ iacturam fecerũt. Si aũt circa terrã, vel circa terrenũ corpus operationes iſtorũ contingant, Geomãtia nũcupatur, q̃ ſi in ſpeculo fiat, vbi, & in quo apparent, q̃ ab impijs, ac miſeris hoĩbus deſiderãtur, tunc Catoptromantia vocatur; ſi in manu Chyromãtia dicta fuit, hiq; chyromantici manũ, vel vnguẽ unã quibuſdã oleis maledictis inungũt intra q̃, tanq̃ in ſpeculo Diabolus inuocatus apparet ſub Regis

In officina par 2.

PYROMANtia.

AERO-MANtia.

HYDRO-MANtia.

Lib. 2 c. 2 artis exorcizandi.

Maleficiũ Hydromãticum.

GEOMAN-TIA.

CATOP-TROMAN-tia.

CHYRO-MANtia.

K forma,

ma, quem impij homines, ſiue malefici quibuſdam verbis adorant; poſtea quid ibi in eodem Speculo aſpicere cupiũt, petunt; atque res ex voto ipſis ſuccedit, ſi tamen per puerũ, vel puellam virginem maleficium efficiant; oportet enim, quòd tales virgines in prædicta manu, vel vngue, vel in his ſimilibus inſpiciant, iſtudque fit, vt magnum ſcelus ſimplices homines lateat. ò ſcelerata, & iniqua gens. ò iudices cũ ad manus veſtras profeſſores, ac maledictæ mulierculæ peruenerint, minimè eis ignoſcite, nec ipſis credite (quorũ corda indurata ſunt) etſi iuramento has nefandas artes relinquere ſpondeant; ſed ad ignem omnes mittite, vt ſtirps hæc, ſi fieri poteſt, omnino tollatur, ac talis peſtis è Mundo auferatur. Si igitur impij circa viſcera animalium in Aris determinatis cæremonias efficiant, vbi quibuſdam temporibus ex pacto Dæmonibus immolant, Aruſpicium vocatur. ſi ex peluibus maleficium contingat Lecanomantia nominatur, taleque maleficium Pſellus affirmat apud Aſyrios à ruſticis frequentatum fuiſſe, qui pelui aqua plena Dæmones inuocantes per peluim ipſam vaticinabantur. ſi ex ſuffumigationibus, vel alicuius rei fumo res contingat, Capnomantia dicitur. ſi ars nefanda circa Dæmonum colloquia, aut mortuorum, vel vmbrarum euocationes ſe habeat, tunc Necromantia eſt omnium peſſima. aliæ non deſunt particulares artes diabolicæ, quæ ſcriptæ inueniuntur, vt apud D. Thomam, veluti ars, quæ prçſtigium vocatur, hoc eſt, illuſio, quæ fit dùm res apparent, & tamen realiter non ſunt; nam præſtigiati, ſiue faſcinati illi ſunt, quibus ea apparent, quæ nullam actionis, vel eſſentiæ veritatem habent; cùm illuſiones ſint.

ARVSPICIVM. LECANOMANtia. Lib. de Dæmonibus. CAPNOMANtia. NECROMANtia. 2. 2. q. 95. art. 3. PRAESTIGIVM.

Ca. Qua via decepti tales homines ſint, libenter ſcirem.

Ph. Duplici modo homines decipi poſſunt à Dæmonibus, atque per eorum media à maleficis ipſis: vt Sanctus Doctor ait, vel enim à Dæmonibus ab interiori, vel ab exteriori deci piuntur homines: primo modo immutant hominum phantaſiam, hocq; faciunt medio localis mutationis humorũ, ac ſpirituum; vt idem Sanctus Doctor ex Ariſtot. probat, qui aſſignãs cauſam ſomniorum, ait, quòd dùm animal dormit, plurimum ſanguinis ad principium ſenſituum aſcendit, ob cuius cauſam variæ contingunt operationes, atq; tanta vis in humore

Duplici via illuſio. 1. parte q. 114. art. 4. Loco citato q. 114. art. 3. Ariſt. lib. de ſomno, & vigilia.

humore interdum ineſt, vt etiam homini vigilanti variæ viſiones contingere poſſint, vt patet de phrenitide, qua correpti ob tales variarum rerum aſpectus, qui eiſdem vi humoris ad caput ducti contingunt, multa magna faciunt. Quare Dæmones ſpiritus, ac humores mouendo in nobis tales varias viſiones inducunt, mouendo, inquam, humores aptos ad tales, quales volunt, introducendos effectus.

Dæmones quo in nobis viſiones inducant.

Ca. Vtilis hęc fuit oratio, ac curioſa: ideo, nè alteram partem prætereas, qua illuſiones ab exteriori cōtingunt, ordinatim colloquium ſequere.

Ph. Sic decet, ideo illuſiones ab exteriori contingunt, ſi aërea corpora, ſiue phantaſtica Dęmones aſſumant diuerſarum formarum ad libitum, atque in his apparentes ſe nobis oſtendunt in forma eorum, quæ realiter non ſunt; ideo phātaſtica corpora nominantur; quia ſecundum aſpectum ſolummodo, non realiter ſunt: quare Dæmones tali modo ab exteriori nos decipiunt, veluti quando mortuorum effigies aerem inſpiſſando aſſumunt, eaſque nobis oſtendunt; hæc igitur eſt via, ac modus, quo nos fallere ſolent; nec mirum eſt, ſi hæc corpora componere queant, cùm natura corporalis naturæ ſpirituali in motu locali naturaliter obediat, vt Durandus probat itidem & Sanctus Doctor, vt infra dicam, ideo applicando determinata actiua, determinatis paſſiuis corpora talia fabricare poſſunt, eaque ab eiſdem aſſumi non eſt difficile. Pſellus exiſtimat Dæmones corpora ſua ad libitum poſſe in diuerſas formas tranſmutare modo paruas, modo magnas, veluti in formam Elephātis, Pullicis, atque huiuſmodi aliorum animalium: putat etiam corpora ipſa diuerſis coloribus ſua voluntate affici poſſe, ſcilicet eo modo, quo nobis contingit, quando facies noſtra furoris, vel timoris cauſa modo ad album, modo ad rubeum immutatur: ſed cùm Dæmones humoribus careant, quorum medio tales in nobis contingere ſolent colores, non facilè iſtud credendum eſt. Quare talis opinio omnino eſt ſpernenda; eiuſdem tamen Pſelli ſententia de illuſionibus ab interiori contingentibus non abfuit à Diui Thomæ opinione ſupra allata; nam ait, quòd ab eſſentia phantaſtica intus exiſtente figuras, colores, formaſque diuerſas in ſpiritum animalium Dæmones tranſmittunt, multaque hoc

2. ſent. diſt. 7. q. 4.

Lib. de Dęmonibus.

Pſelli opinio de Dæmonibus.

Contra Pſellum de Dęmonib.

modo negotia nobis præbent, conſilia ſuggerentes, formas ſubindicantes, memorias ſuſcitantes, atque multa alia mala nobis ſuppeditantes. præterea noſtris phantaſticis ſpiritibus ſolo conceptu voluntate illorum conſtituto vniuntur verbaq; diuerſa abſq; pulſatione vocis nobis inſonant ſolo conceptu (vt dixi) illorum voluntate conſtituto, & ſic nos fallunt, ſuos ſermones abſque ſonitu vocis nobis immittentes.

Quomodo Dæmon. nobiſcum loquantur.

Ca. Quomodo nobiſcum loquuntur abſque vocis emiſſione?

Ph. Id à Pſello tali exemplo declaratur, nempe ſi aliquis cum aliquo procul loquatur vehementiori voce egebit, vt intelligatur, quàm ſi audienti propinquior eſſet; vnde ei propinquior factus minori voce ſe intelligere faciet; ex quo clarum eſt, quòd cùm propè aurem audientis fuerit, quaſi abſque vocis emiſſione intelligetur, ab alioque (etſi ſolùm ſuſſurando conceptum explicabit) audietur; vnde etiam patet, quòd ſi loquens magis vniri poſſet audienti, quòd etiam ſemper minori voce egeret, vt intelligeretur, & ideo ſi cum ſpiritu ipſo animæ poſſet copulari nullo ſono, nullaque vocis emiſſione vti eſſet neceſſum, vt explicaret conceptum mente fabricatum, vt exemplo clarè apparet: ideo hoc modo Dæmones nedum inter ipſos, ſed nobiſcum loquuntur, quia noſtris ſpiritibus vniuntur, conceptuſque eorum voluntate fabricatos nobis ob vnionem explicant abſque ſono, vel vocis emiſſione, vel in nobis eoſdem imprimunt.

Lib. de Dæmon.

Exemplo moſtratur qua via Dæmones nobiſcum, ac inter eos loquãtur.

Ca. Porrò hic modus, quo Dæmones nobiſcum, ac inter eos loquuntur delectabilis, audituq; curioſus eſt: quare hoc iam abſoluto ad rem noſtram reuertamur.

Ph. Nè à primo ſermone proficiſcamur, dicamus, quòd ſub prænominatis artibus reliquæ huc uſque inuentæ continentur; numquam tamen in animo tui ſit cupiditas has, vel illas maiori intelligentia diſcendi; ſed ſatis ſit hæc cognitio vniuerſalis, vt quæ fugiendæ ſint, non ignores; multi enim in his ſæpè decepti fuere neſcientes, quòd Diaboli ope contingerent. Nec difficile eſt vnumquemque decipi, adeo iſtorum fraus interdum viros bonos latet, vt per anulum intellexiſti.

Scelus

Da. Scelus quidem nullum grauius, nullumque deteſtabilius his facinoroſis ſacrilegijs inueniri poſſe arbitror.

Ph. Ita, & optimè excogitaſti. ſed has nefandas artes pergamus, quia ſatis circa ipſas immorati ſumus, & ad genus ſecūdum in ordine propoſitum tranſeamus.

Ca. Conſilium optimum attuliſti; ſed quæſo prius expone, quō Dæmones naturalia corpora moueant à loco ad locū, vt ſpontè pollicitus fuiſti; mirabilia enim hac via faciunt, q̄ ſupra naturam ſæpè videntur, cùm nihil habeant, quo de loco ad locum corpora ipſa transferre poſſint; itidem quomodo phantaſtica corpora efforment, cùm manibus careant, ſi lubet, declarato.

Ph. Etſi pro inſtituto ſatis de his dictum ſit, attamen, vt tibi morem geram, quid à D. Thoma ſcriptum fuit, referam. Hic igitur Sanctus Doctor cōcludit, quòd corpora naturalia obediunt Angelis ſiue bonis, ſiue malis in motu locali: non tamen in formarum tranſmutationibus immediatè; nam, ait, ſicuti fluxus, & refluxus Maris Lunæ virtutem conſequitur, qui motus non eſt naturalis Maris, ſic corpora naturalia virtutem Angelorum vtriuſque ſpeciei in motu locali conſequuntur: Ideo concludendum cum ipſo Sancto, quòd corpora naturalia Angelis vtriuſq; ſpeciei in locali motu ad nutum obediunt; quia natura corporalis ſua natura apta eſt moueri à ſpirituali ſubſtantia, vt idem Sanctus aſſerit. Quare actio corporalia mouēdi naturaliter tam Angelis, q̃ Dęmonibus competit; quæ actio nullo modo ſupra naturam dici poteſt; oportet tamen ipſos rebus mouendis aſſiſtere, aliter corpora ipſa eiſdem non parerent in tali motu, quia vt Magnes Ferrum, & vt Luna Maris aquam, ita (magna tamen velocitate) natura ſpiritualis naturæ corporali aſſiſtendo eādem attrahit: Porrò hoc modo Phantaſtica corpora ex aere ab ipſis inſpiſſato efficiunt applicando, vt dixi, actiua paſſiuis medio motus localis; ipſaque poſtquam fabricata ſunt, aſſumunt. nec circa hoc vereri potes, cùm idem affirmet D. Auguſtinus, qui ait, quòd Angeli in aſſumptis corporibus Abrahæ apparebant, quod confirmatū eſt à D. Thoma, in quibus cùm eodem loquebantur, licet impropriè, quia ſonos in ipſo aere ſimiles hominum vocibus formabant. His igitur ſic explicatis tempus eſt, vt alia aggrediamur.

1. parte q. 110. ar. 3. Natura corporalis naturaliter obedit naturę ſpirituali in motu.

Efformatio phantaſticorum corporum. Lib. 15. de ciuit. Dei, cap. 29. ab initio. 1. parte q. 51. ar. 2.

Ca. Corpora naturalia ſubiacere Angelorum, Dæmonumq; iuſſo in motu locali nundũ rationibus probaſti, quod valdè exopto: ideo nè iuriſtarum more vti videaris, ſi ratio tibi eſt, qua idem probare queas, ea vtitor.

RATIONES quibus probatur corporalia obedire natura ſpirituali i motu.

Ph. Rectè ais, verùm quia ſcopi propoſiti in ſcientiarum, artiumque ſummala tradenda vti rationibus non intereſt, rem perpaucis abſoluam, nè ab ordine noſtro aberrem. Quare vnica ratione quidquid cupis, efficiam: ſed prius faciamus, quòd Dæmones eiuſdem ſapientiæ, ac virtutis cum Angelis ſint.

Ca. Rem ita eſſe (niſi probaueris) non faciam.

Ph. Id igitur ſic probamus. Quicunque æqualis eſt alteri in maiori dignitate, non eſt minor eodem in minori dignitate: quid ais?

Ca. Apparet.

Ph. Dæmones ſunt æquales in maiori dignitate cum Angelis, ergo in minori non ſunt inferiores.

Ca. Antecedens non approbo.

Ph. Quid maius eſt? eſſe perpetuum, incorruptibilẽ, ac intellectualẽ? vel eſſe ſapientem, ac aliqua virtute ornatum? ſapientia quidem ab intellectualitate emanat, eiuſque duratio à perpetuitate ſubiecti eſt.

Ca. Intellectualẽ eſſe, ac perpetuum maius donum eſt; ab intellectualitate enim, vt ais, ſapientiam, virtutemque, ac à perpetuitate ſubiecti earum durationem eſſe clarum eſt.

Ph. Dæmones nè sũt intellectuales, ac perpetui, vt Angeli?

Ca. Quidni?

Ph. Ergo ſunt æqualiter ſapientes, virtuteque ornati.

Ca. Quorſum iſtud? cùm noſtrũ ſit velle probare vtramque ſpeciem naturaliter corporalia poſſe mouere.

Ph. Optimè, ſed dic, qui habet maiorem poteſtatem, nè habet ei ſubalternatam?

Ca. Cur iſtud negandum? apparet.

Ph. Angeli mouent Cælos, quid reſpondis?

Ca. Iſtud me præterit.

Ph. Cœlum moueri nè concedis?

Ca. Prorſus fateor.

Ph. Iſtudque ab anima informante, vel aſſiſtente? cùm nemo à ſe ipſo moueri poſſit?

Ca. Vtrumque modum ignoro.

Ph. Homo mouetur ab anima informante.

Ca. Forsàn Cœli.

Ph. Ergo compoſiti; vnde idem cum elementis, quod eſt falſum.

Ca. Alio modo moueri concedo, vt cęleſtia à corruptibilibus diſtinguantur.

Ph. Angeli igitur aſſiſtendo mouent cęlos ipſos motu regulari, circulari, perpetuoque.

Ca. Hæc conſequentia negari poteſt.

Ph. Igitur corpus à corpore mouetur, quòd eſt impoſſibile.

Ca. Cur talis conſequentia?

Ph. Quia nulla alia ſubſtantia intellectualis anima excepta creata eſt à Deo præter Angelorum naturam; anima autem ad corpus ſolùm ordinata eſt.

Ca. Rem ita eſſe faciamus, quid inde ad rem?

Ph. Multi.nè Cęlum eſt maioris magnitudinis, durationis, poteſtatis, ac virtutis: quàm inferiora? cùm illud ad Deum magis appropinquet.

Ca. Concedo.

Ph. Nè maior ſapientia, potentia, virtuſque requiritur ad mouendum corpus maioris virtutis, magnitudinis, ac potentiæ, idq; motu regulari, circulari, ac ꝑpetuo, q̃ corpus minoris magnitudinis, ac virtutis, hocque motu non regulari, ac finito?

Ca. Sic videtur.

Ph. Ergo Angeli, qui primum corpus mouere poſſunt, etiam potentes ſunt ad mouendum illud, quod minoris cõditionis eſt.

Ca. Ege id ita eſſe faciamus, quid? Angeli poſſunt mouere corporalia, cùm cęleſtia moueant, ea quidem maioris virtutis, ad quæ mouenda maior potentia requiritur: ſed de Dęmonibus, qui Cęlos non mouent, quid ais?

Ph. Nè fuit probatum eiuſdem virtutis, ac ſapientiæ eſſe Dęmones cum Angelis?

Ca. Ita, ſed de potentia, quæ ad mouendum requiritur, quid?

Ph. Quidquid fit, nè aliqua ſapientia, ac virtute illud fieri eſt neceſſe? dùm caſu non contingat?

Ca. Approbo.

Ph. Vbi eſt virtus, & ſapientia, nè ibi eſt poteſtas illius ſapiẽtiæ, ac virtutis?

Ca. Non eſt negandum.

Ph. Ergo, Dęmones cùm eiuſdem ſapientiæ, ac virtutis ſint cum Angelis (vt probaui) etiam eandem potentiam habent.

Ca. Coactus aſſero.

Ph. His igitur excuſſis ad rem noſtram redeamus, vbi de ſecunda parte Magiæ ſermo eſt inſtituendus.

Ca. Sic facito.

DE MAGIA ſuperſtitioſa, eiuſq; ſpeciebus.

Ph. Hæc igitur pars ſuperſtitioſa nominata fuit, quæ etſi Diaboli interuentu non contingat, tamen prohibita eſt, cùm in ipſa nulla ratio inueniatur, cùm ſolùm ex quibuſdam obſeruationibus conſtet, in quibus vt plurimum mendacium reperitur; ideo cùm ex his artibus ſæpenumero multa ſcandala, ac inconuenientia in animarum detrimentum emanare viſum fuerit. Hinc (vt etiam quia hæc Magia initium eſt hominibus anſam præbendi ad nefandas prænominatas artes acquirendas) ab Eccleſia Sancta hæ ſuſpenſæ, ac prohibitæ fuere, vt iminentes occaſiones amouerentur, cùm reuera impoſturæ ſint à Diabolo inuentę; quamuis eiuſdem Diaboli inuocatione, manifeſtoque auxilio non contingant, efficianturque; nam (vt ait Caietanus) in ſuperſtitionibus, verbisque penè omnibus cũ aliqua obſeruatione dictis (etſi ea ſint ſacra) deprehenditur tacita Dæmonum inuocatio.

Ca. Vt ſciam quales artes, obſeruationesq; propulſandæ, ac ad fugam transferendæ ſint, aliquas præcipuas recenſebis.

Ob hominum ignorantiã ſæpè ſuperſtitiones cõtingunt.

Artes ſuperſtitioſæ nouẽ ſunt.

Ph. Vtique Calophile, omnes enim commemorare impoſſibile fore puto, adeo earum numerus eſt magnus; ideo etiã in deuotis perſonis ob earum ignorantiam, & ſępè ob pertinatiam multæ ſub prætextu orationum ad morbos ſanandos, vel ad alia efficienda conſpiciuntur. Harum igitur præcipuę ſunt nouem, ſcilicet Chyromantia, Phiſiognomonica, Geomantia, Augurium, Auſpicium, Horiſpicium, Sortilegium, Ars notoria, necnon & omnium rerum ſuperſtitioſa obſeruatio.

Ca. Quid ais de Chyromantia? nè inter Magicas, maleficasque artes eam enumeraſti? ſic & Geomantiam recenſuiſti?

Aliquæ

Ph. Aliquæ artes ſunt, quæ nomine conueniunt, re tamen differunt: nomine ſiquidem, vt Chyromantia cum altera malefica, quia vtraque circa manus verſatur, ſed modo diuerſo, vt intelliges: ſic de Geomantia eſt excogitandum, quia vtraque circa corpora materialia efficitur: Quare primo loco de Chyromantia ſuperſtitioſa ſermonē faciamus.

Duplex Chyromātia itidem & Geomātia.

Ca. Vtile eſt tali diſtinctione negotium ducere, nè vna cū altera confundatur.

Ph. Hæc ars Chyromantia appellata circa manuum lineas præcipuè verſatur, quarum notitia, quæ futura hominibus (quorum manus obſeruant, inſpiciuntque) contingere poſsunt, ab ipſis Artiſtis prædici poſſe aliqui exiſtimarunt.

DE CHYROMANTIA ſuperſtitioſa.

Ca. Dic quæſo ſi ſemper eorum ſpeculatio circa manus contingat.

Ph. Etiam circa alias corporis partes conſiderationem habent, & tunc ars dicitur Phyſiognomonica, quæ ſolùm Medicis, Philoſophiſque licita eſt; cùm iſti via naturali incedant; ideo hac arte hominum temperamenta, naturaſque ſciunt, ex qua cognitione eorundem hominum mores, ac inclinationes perſpiciunt: vt ſi homo ſit iraſcibilis, leuis, aut atrox: huiuſmodique alia ex prædominante humore intelligunt: Quare corporis humani Chyroſophica diuiſio quintuplex eſt, nempe capitis, pectoris, brachiorum, renum, pedumque: vim tamen præcipuam artis circa manus verſari aiunt.

Cur ſolùm Medicis Phyſiognomonica licita ſit.

Ca. De manu igitur primo loco ſermonem facito.

Ph. Circa hoc ſciendum eſt tibi, quòd iſti, vt artem diſtinctè, ac abſque confuſione intelligant, quamlibet manum in tres partes diuidunt, quarum prima habet fines ſuos inter os brachij, Montemque Pollicis: quæ dicitur Raſcetta, alioque nomine reſtricta: ſecunda pars palma manus nominatur, quæ incipit á linea Raſcettæ, & ad digitorum radices ſui terminum habet.

Diuiſio manus.

Ca. Quæſo antequam vltra progrediaris, quę digitorum ſint nomina dicito.

Ph. Digitorum nomina hæc ſunt. Pollex, index, medius, anularis atque auricularis.

Nomina digitorum.

Ca. Quid ſit Mons Pollicis commemoratus ignoro.

Prope

Ph. Prope digitorum radices, ſiue exortus apparent tuberculi quidam, qui ob eorum eminentiam montes dicuntur. Quare Mons Pollicis Veneri dicatur, Mons Indicis Ioui, Medij Saturno, alijque montes alijs planetis ſolent aſſignari. Alius etiam mons reperitur, qui mons manus vocatur, hicque Lunæ tribuitur, & eſt ſpatium illud, quod inter Menſalem, naturalemque lineam continetur, in quo ſpatio quadrangulus inſpicitur, qui Lunæ eſſe dicitur, Triangulus autem, qui in Palma reperitur, Marti tribuitur, ideo Martis triangulus appellatur. præterea pars tota manus exterior dorſum manus, interiorque Palma, vt dixi, nominatur: & hoc modo alias manus partitiones efficiunt: quibus conſtitutis ipſius manus linearum cognitioni incumbere aſſueti ſunt.

Mõtes manus qbuſq. planetis dicantur.

Quadrangulus Lunæ.
Triãgulus Martis.
Dorſum, Palmaque manus.

Ca. Has lineas, vt vſum noſtrum ſerues, commemorato.

Ph. Manuum linearum aliæ ſunt vniuerſales, & aliæ particulares: vniuerſales, quæ etiam naturales appellantur, ſunt quatuor vitalis ſcilicet, altera cerebri dicta, hepatica, atque menſalis: hæ autem lineæ in omnibus manibus reperiuntur, ſi homo optimè ſit conſtitutus; non tamen omnes particulares, aliquæ enim in vna, & aliæ in alia aſpiciuntur manu.

Lineæ manus vniuerſales & particulares.

Ca. Quales ſint vniuerſales, vt ordo ſic exigit, in primis oſtendito.

Ph. Linea vitalis eſt ea, quæ oritur inter Indicem, & Pollicem, circuitq; Pollicis Montem in Racetta terminans. Hęc linea etiã alijs nominibus vocatur; quę vt inania prętereo. Linea cerebri cerebro ipſi conuenit, & eſt ea, quæ initium habet ab ortu vitalis, extenditurque per fundum Palmæ, cuius menſura, ſi conueniens ſit, in Monte manus finit. hæc linea etiam media naturalis dicta fuit, itidem Capitis linea, viuifica, linea proſperitatis, atque trianguli ſiniſtra. Linea autẽ hepatis, quæ tertia eſt, cõuenit cum ſtomaco, hepateque, Tabularis dicitur, & baſis trianguli, quia duabus prædictis lineis coniungitur; ita vt triangulum conſtituat. hæc linea bonam complexionem hominis oſtendit, vt aiunt, ſi tamen bene apparuerit, vbi vero hæ tres lineæ coniunguntur anguli trianguli appellantur. Quarta linea, quæ menſalis vocata fuit, ea eſt, quæ ſub Monte digiti auricularis prope dorſum egrediens tres digitos tranſit, ſcilicet auricularem, anularem, mediumque: cuius conueniens menſura in diametro medij digiti

giti terminare debet. hæc linea etiam moralis dicitur; quia eã mores hoĩum oſtendere putant; neceſſitatisq; linea eſt, quia neceſſariò dùm manus flectitur procreatur. alia etiam nomina hæc linea habet propter diuerſos effectus, quos ex ea ſtulti homines agnoſcere exiſtimant, quæ omnia tanquã vana pergo; nec de particularibus lineis mentionem faciam, tùm quia, vt dixi, prohibita hæc tractatio eſt, tùm etiã quia, ſi omnes recenſere vellem, diei tempore id fieri non poſſet; nam particulares habent lineas, vt vitalem, ſolarem, viam lacteam, cingulum Veneris, aliaſque quamplures obſeruant, vel etiam figuras particulares, quæ omnes nullam vim continent; nedum ad prædicenda futura, verùm nec ad hominum naturas, inclinationeſque agnoſcendas: namque temperamenta, inclinationes naturæque hominum potius ab his, quæ in *Phyſiognomonica* traduntur, quàm ab his, quæ in Chyromantia continentur, intelligi poſſunt: ſi tamen à Medicis, Philoſophisque obſeruationes fieri contingat.

Ca. Aliàs hoc idem, cur Medicis, *Philoſophiſque* hæc omnia licita ſunt, non Chyromantibus? *Cur Medicis, nõ Chyrom. liceat Phyſionomizare.*

Ph. Iam dixi, quia uia naturali, ac quadã ratione ad hæc tractanda incedunt; opusque eorum ad hominum ſanitatem dirigunt.

Ca. Qualis ſit ratio, ac via, qua hæc Medicis liceant, ſcire exopto.

Ph. Rationem, cur Medicis, ac *Philoſophis* liceat, & manus, & caput, & faciem, reliquaſque corporis partes, motuſque hominum, figuram, atque totius corporis ſtructuram inſpicere, obſeruare, atque ex his multa iudicare, ac prædicere, nunc exponã. Quare ſcito, quòd Medicus ex Phyſiognomonica nihil prædicit, aut iudicat, niſi illud in naturali ratione aliquod fundamentum habeat. At Chyromans quadam obſeruatione prædicit nulla inſpecta ratione, aut cauſa: eaſdem tamen partes, quas Medicus obſeruat, itidem & ipſe Chyromans conſiderat, qui tamen lineas ſolummodo aſpicit, reliqua aut rarò, aut numquàm: quæ ſiquidem à Medico, lineis potius neglectis conſiderari ſolent. Quare ait Ariſtot. quòd ſigna *Phyſiognomonizandi* accipiuntur ex motibus, ex figuris partium, coloribus, moribus in facie apparentibus, ex lenitate, ex voce, ex carne, ex partibus, atque ex totius corporis

DE PHYSIOGNOMONICA

in Phyſiog. c. 3.

Signa Phyſiognomoniz.

poris

poris figura: ex his igitur Medicus ſanitatem, ac morbos prædicit, complexiones agnoſcit, itidem & temperamenta, è quibus hominum inclinationes, ac mores decernit: quandoquidem, vt ait Ariſtot. Phyſiognomonica eſt ars, quæ circa naturales paſſiones eorum, quę ſunt in intellectu, & eorum, quæ ſuperacquiruntur; quæcunque enim aduenientia tranſmutant ſigna eorum, quæ Phyſiognomonizātur; Quare non ſemper Medicus idem Phyſiognomonizat, vt Chyromans, qui ſemper eódem tenore in prædicendo ſeſe habet; Medicus autem aliter ſe gerit; nam ſæpè morbo adueniente temperamenta immutantur; quo fit, vt etiam mores, inclinationesque hominum varientur, cùm mores hominũ corporis temperamentum ſequantur, vt iam dictum fuit; Quapropter hoc modo Medicus ad prædicendum incedit, cùm ſemper naturalem rationem præoculis habet.

Loco citato.

Medicus nõ ſemper idem phyſiognomonizat, vt chyromans, & cur.

Ca. Qualia ſunt ſigna, quibus Phyſiognomonizare Medicus ſolet?

Ph. Hic locus ad eorum oſtenſionem minimè eſt accommodatus, cùm hac temporis anguſtia nobis ocium minimè concedatur tàm celebrem, tàmque ſublimem cęlitus miſſam te docere ſcientiam; ideo horum tractationem habebis ab Ariſt. atque ab Hippocrate, necnon & à Galeno pluribus in libris doctiſſimè traditam; itidem ab alijs Medicis, ac Philoſophis talis ſcientiæ dogmata adiſcere poteris. verùm omnia ea, quæ Chyromantes tradunt, tanquam vana negliges, ac ſpernes: ideo quidquid dictum eſt, pro his ſatis ſit.

Lib. citato. Lib. de prę not. Lib. duob. de prædict. Gal. lib. de locis affec. de dignot. pulſ. De præſag. expulſ. De dignot. ex inſomn. De præcog. ad poſthumũ, & ſũmatim in parte, quæ το Σημειωτικὸν dicitur.

Ca. Si lubet ſaltim Auctores, à quibus maiorem cognitionẽ de chyrom. habere poſſim, recenſe; non equidem quia chyromantium nugis credam, ſed vt eorum vanitates nõ me lateant: inſuper an circa animalia irrationalia homo poſſit phyſiognomonizare, nè te quæſo pigeat oſtendere.

Ph. Chyromantiæ Auctores minimè recenſebo, cùm talis ars omnino prohibita ſit; ideo auctorum nomina potius obliuiſci debemus quàm eadem recenſere: Quare reliquũ eſt phyſiognomonicæ petitioni exoluere; pro cuius rei cognitione ſcito; quòd nedum phyſiognomonica exercetur circa animalia ſenſitiua irrationalia, verùm etiam circa plantas, ac mineralia, vt videre eſt in Ioannis Baptiſtæ Portæ phytognomonica, in qua modum & rationem monſtrat phyſiogno-

In Phyſioſiognomonica, quid tractetur.

ſiognomonizandi circa animalia ſenſitiua, vegetatiua, ac mineralia ipſa: Alij etiam fuerunt, qui de cognoſcendis particularium Animalium temperamentis, ac complexionibus, ſiue naturis tractarunt; quorum vnus fuit Paſqual, itidem & Griſonus de cognoſcendis equorum naturis. Quare iſti libros effecerunt, in quibus de cognoſcendis temperamentis, moribus, ac naturis equorum artem ſcripſerunt.

Vbi equorum Phyſiognomonica.

Li. 3. et 4. Gloria eq.

CA. Vt mihi conſuluiſti, approbatos Auctores tantummodo pro cognitione harum rerum perlegam; ideo quid nunc percurrendum ſequitur?

Ph. Geomantia, de qua præſenti loco ſermo eſt faciendus. hæc eſt ſortilegium quoddam, ſiue ars, cuius medio, aiunt, homines ſcire poſſe quid venturum ſit illius rei, quam exoptant; quod eiſdem ſuccedere exiſtimant, ſi, ſtatim orto deſiderio ſciendi quid illius rei futurum ſit, figuras Geomantię abſque interuallo conſtituant, atque ab his regularum auxilio intentum quærant.

DE GEOMANTIA Superſtitioſa.

Ca. Quid ſint regulæ, ac figuræ Geomantiæ ſaltim vniuerſaliter dic.

Ph. Contentus ſum confuſam tibi præbere notitiam, nè te quis decipere queat; Quare figuræ Geomantiæ ſedecim ſunt, quarum nomina hæc. Acquiſitio, Fortuna maior, Lætitia, Puella, Albus, caput Draconis, coniunctio, Populus, & huiuſmodi alia Geomantiæ nomina; à quibus figuris euẽtum cuiuſuis rei haberi poſſe ſtulti homines aiunt; quarum figurarum octo bonæ dicuntur, ac reliquæ malæ; nomina bonarũ ſunt. Acquiſitio, Fortuna maior, Lætitia, & ſimilia alia, reliquę ſunt malę: porrò harum figurarum alias maſculinas, alias fęmininas, alias occidentales; orientales; atque alias diuerſis nominibus fuerũt appellatę. aliquæ igitur malum, & aliquæ bonum portendere autumant. Ideo figuris conſtitutis; ac formatis: iſti vt intentum vanum conſequantur; prius quodam nomine incognito ſuper charta ſcripto ex quatuor literis conſtituto multa puncta calamo caſu, ac ſorte nullo adhibito ſtudio formant; ex quibus, prout ſic ars docet, quatuor eliciũt figuras, quas matres vocant, à quibus itidẽ quatuor filias extrahunt; atque ex filijs, & Matribus ſimul alias quatuor efficiunt, quas nepotes vocant; ab his autẽ nepotib. duę euelli ſolẽt teſtes nominatæ; atque ab his iudex elicitur,

Figurę Geomantiæ.

Geomãtes quid, vt intentũ conſequatur.

elicitur, à quo res exoptata quæritur, quam ſi dubiam pronunciat, iterum ex eo, primaque matre nouus conſtituitur iudex; à quo res deciſa haberi ſolet; vt aiunt, omnia tamen iſta, ac alia, quæ hac in arte reperiuntur, ſunt nugæ, ac vanitates: etſi multi homines non vulgares in his nugis ſæpè obcęcati fuerint.

Superſtitioſa Geomātia mēdax eſt.

Ca. Porrò confusè hanc artem tractaſti, nec Auctores, à quibus aliquam cognitionem haberem, allegaſti.

Ph. Prohibitam eſſe artem iam dixi, ideo non vt adiſceres, ſed vt quid fugiendum, non ignores, de ea egi: quare hac omiſſa ad alia tranſigamus.

Ca. Augurium, reliquaſque artes aggrediamur.

DE AVGVRIO.

Ph. Augurium eſt quędam vana obſeruatio, quę fit circa animalia, priuatimque circa auium garitum, vt cornix ſuo garitu malum portendit, vt aiunt; itidem canis ante domum modo inſolito vlulans proximam mortem Domini illius domus prædicit, aliaque huiuſmodi vana obſeruant, quæ bonum, vel malum augurium ſignificare exiſtimant. Auſpiciū autem differt ab augurio, quia hìc obſeruatio fit in garitu, in auſpicio in volatu, vel ſaltu, vel motu animalium. Modo Horoſpicium aliter ſeſe habet, quia hæc diuinatio, ſiue ſuperſtitio circa horarum obſeruationes cōtingit; vt ſi aliquid tali hora alicui contigerit, vnum prædicunt, ſi alia hora, alio modo præſſagium præbent: atque huiuſmodi penè infinitas horarum obſeruationes habent, quibus ſi Artiſtæ cœlum aſpexerint, tunc ars ad partem Aſtrologiæ, quæ de interrogationibus, horarumque, ac dierum electionibus dicitur, pertinet,

DE AVSPICIO.

DE HOROSPICIO.

Ca. Quid tractandum ſequitur?

Ph. Sortilegium, quod Cicerone teſtante eſt quædam ars, per quam ſortilegi per ſortes futura prædicunt, vel aliquid eligunt, ſiue determinant: quæ ſortes fiunt, vel per materiales res, vel per verba, vel per puncta, ac figuras: & tunc Geomantiæ ſpecies eſt, de qua dictum fuit. Sortes igitur per materialia vani homines efficiunt, quando mortuorum oſſibus, vel aliquibus fabis rē tractant: atq; hæc vltima ſors fabis facta multis meretricibus, ac malis vetulis nota eſt: vel alijs varijs rebus maleficium, ſiue artem ſuperſtitioſam exercent ſacra profanis ſępè immittentes, vt eorum fraus abdita ſit. Quare

DE SORTILEGIO, & de diuinatione.

Sortilegiū malis mulieribus notum.

&

& orationes dicunt, & ieiunijs proprium corpus affligunt, antequam his ſortibus aliquid efficiant.

Ca. Huic arti aliæ ſimiles forsàn inueniuntur.

Ph. Vtique, immo multæ, quæ ſub ſortilegio accõmodari poſſunt, inter quas vna eſt, quæ Nomantia vocatur, quia ex numeris tota ars penè conficitur; hæcque ars ridicula, ac iocoſa eſt: ideo artem ſcriptam adamuſſim ſuis regulis, ac procedendi modis Artiſtæ habent, quorum medio multa vera præſagire perperàm credunt; cùm ſint nugæ in arte ſcriptę, cuius vis in iudicio literarum, è quibus hominum nomina componuntur, conſiſtit; quæ duas habet partes, quarum altera de principijs, altera de iudicijs agit: principia ſunt numeri, ac literæ alphabeti, à quibus tota ars dependet. Quare literarum multas ſignificationes, etſi falſas, tanquam principia artis tenent; veluti quòd aliæ malum, & aliæ bonum portendant: aliæque medio modo ſe ſe habent: vnde litera A optima eſt, B mala, atque hoc modo cæteris literis malam, vel bonam ſignificationem aſcribunt: quarum ſingulis vnũ numerum aſſignant, vt literæ A tredecim, B decem & nouem, atque hoc modo ſingulæ determinatum habent numerum; quarum quælibet alicui ſigno ſubiacet; vt A Arieti, B Tauro; ſingulasque omnes ſub aliquo ſigno ſic collocant: quibus fundamentis conſtitutis, ac alijs, veluti, quòd litera A, cum ſit ſub Ariete (in quo Mars domum habet) vulnus in capite, infortunium armorum, ſubmerſioneſq; portẽdat; in cęteriſque fortunatum hominem faciat: huiuſmodique varias ſignificationes ipſis literis fatui homines aſcribunt.

De Nomantia.

Vis Nomãtia ubi.

Principia nomantię quæ.

Ca. Hæc dicta ad artis principia ſpectant, ideo quid de iudicijs ais?

Ph. Dico, quòd iſti, cùm ad iudicium alicuius rei deueniant, præ oculis nomen quęrentis habent, itidem, ſi iuxta interrogata opus fuerit, & nomen Patris, Matris, & interdum vxoris: literaſque, è quibus hæc nomina componuntur, animaduertunt; nominiſque Menſis (in quo fit interrogatio) literas aſpiciunt, quibus iudicia efficiunt, quia numeros literis ipſis horum nominum aſſignatos ſimul addunt, poſtea ipſorum ſummam per triginta diuidunt, reſiduumque iudicium, immo Dux eſt, qui viam præbet inueniendi in arte præſagium illius rei quæſitæ.

Quomodo iudicia in Nomantia efficiãtur.

Ca. Ex dictis videtur, hos ſuper natiuitate non iudicare.

Ph. Equidem; quia ſolùm ad interrogata reſpondent.

Ca. Iocoſa igitur, & falax talis ars eſt.

Ph. Certè, quoniam potius à quodam viro perſpicaci ad Mulierum ſolatium inuenta eſt, quàm ad quoddam bonum efficiēdum; etſi aliqui ſępè eidem fidem adhibuerint; cuius cauſa (vt aliæ ſimiles artes dictæ, ac dicendæ) ab eccleſia ſancta ſuſpenſa, & prohibita ſunt.

Ca. Alias igitur propone.

DE ARTE Notoria. Ph. De arte Notoria verba faciamus, quà profeſſores putant ſcientiam omnem abſque labore adipiſci poſſe, cùm vana ars ſit, de qua D. Thom. loquens, eam prorſus damnauit. *2. 2. q. 96. art. 1.*

Ca. Quomodo ſe gerant in adiſcendis ſcientijs, vt à labore immunes euadant, ſcire exopto.

Ph. Quaſdam figuras habent ex lineis, characteribus, incognitiſque nominibus conſtitutas; in quibus, vel ſub quibus ignotas orationes ſcribunt; cùmque aliquam ſcientiam adiſcere volunt, ieiunijs ſe macerant, inſignique deuotione pręnominatas orationes pronunciant, figuraſque ſemper inſpiciunt; alijſque cęremonijs opus ſuum perficiunt; ac horas, quibus orare debent, obſeruant; vt eſt hora, qua corpus ſit ieiunum, nec alias horas ſpernunt quibus opus ſuum efficere debent. Quare hi miſeri ſibi perſuadent, quòd hac via abſque labore, quam cupiunt, ſcientiam adiſcere poſſunt: impoſturæ tamē hæ artes ſunt, vt eſt Ars Almadel, Ars Paulina, quæ Theurgiæ nominantur ſpecies, & penè arti notoriæ ſimiles: differunt quidem, quia hę de diuinis quærunt rebus, de quibus Vvekerus: his autem relictis, tamquam vanis, atque animæ venenis ad omnium rerum ſuperſtitioſas obſeruationes pergo. *ARS. ALMADEL ARS. Paulina. Lib. 15. capit. 11.*

SVPERSTITIOSAE. Obſeruātiones. Ca. Quid harum ſingulæ ſint, dic, nolique rem ſilentio præterire.

Ph. Cùm ſingulæ omnibus ſint manifeſtæ, pauca de illis, de quibus ſanctus Doctor diffusè agens omnes falſas, ac prohibitas eſſe monſtrat; idque nonnullis rationibus, ac D. Auguſtini auctoritatibus facit exceptis tamen illis, quæ in natura cauſam, & rationem habent, veluti ſunt quæ à Medicis, ac Philoſophis fiunt; itidem & ab Aſtronomis: quia huiuſmodi obſeruationes, cùm non ſint ſuperſtitione affectæ, ſed naturales *2. 2. q. 96. ar. 2. & 3. Lib. 2. de Doct. Chr. cap 20.*

turales cauſam, ac rationem habent: ideo licita etiam obſeruatio eſſe poteſt in Animalibus facta; vt ait Sanctus Doctor, veluti de Rana, quæ vociferans, & Muſca præter vſum pungens, mutationem temporis portendunt; cuius cauſa eſt, quia cùm hæc animalia parua ſint, facilè alterationi ſubiacent: ideo ante nos ventorum, ac aeris mutatione vexantur; hinc Rana vociferatur, ac Muſca prҿter vſum pungit, vt magis nutriatur, quia debiliore facta, vel alteratione affecta quadam rabie id efficit.

Loco citato q.95.ar.7. Obſeruatio in Animalibus licita.

Ca. Quid de ſomniorum obſeruationibus ais?

Ph. D. Thomas concludit, quòd ſomniorum prædictiones, ac obſeruationes nō ſunt licitæ, nec vllo modo licet ſomnijs fidem adhibere, & horum medio futura, vel præterita prædicere, aut explanare: niſi ſomnia procedant ex diuina reuelatione, vel ex cauſa naturali intrinſeca, vel extrinſeca: quo vltimo modo ſæpè Medici aliqua præcognoſcunt; quos decet ſic ſomnia obſeruare; quia naturali ratione rem tractant, vt oſtendit idem Sanctus Doctor. de his autem ſatis. Quare de naturali Magia verba faciamus, ſub qua collocari poſſet Cabala, ſed cùm noſtro tempore vera non inueniatur, cùm ſuperſtitioſa facta ſit: hinc abs re minimè erit, ſi poſt ſuperſtitioſas artes de illa mentionem fecero, qua expedita Magia naturalis erit tractanda.

Loco citato q.95.ar.6

Ibid. ar.6.

Ca. Optimè.

Ph. Cabala igitur eſt ſcientia, quҿ ſolũ apud Hebrҿos, & potiſſimùm antiquitus cognita fuit. Hanc à Deo datã fuiſſe in Monte Sina Moſi tradunt; vt ex verbis Eſdræ facile elici poteſt, quæ ſic ſunt, *Dominus dixit ad me, reuelans reuelatus ſum ſuper rubum, & locutus ſum Moſi quando populus meus ſeruiebat in Aegypto, & miſi eum, & eduxi populum meum de Aegypto, & adduxi eum ſuper Montem Sina, & detinebam eum apud me diebus multis, & enarraui ei mirabilia multa, & oſtendi ei temporum ſecreta, & finem, & præcepi ei dicens, hæc palam facies verba, & hæc abſcondes;* & quæ ſequuntur. ideo verba, quæ Moſes palàm facere debebat, ad legem, quæ vero abſcondere tenebatur, ad Cabalã ſpectabant: iſtudque Picus Mirandula declarat; ideo licitum nō erat antiquitus in ſcriptis Cabalã promulgare, tùm ex Dei præcepto (vt Galatinus affirmat auctoritate verborum, quæ ſcripta ſunt in Haghiga, ſcilicet in libro ſolemnitatis. cap. en

DE CABALA. Cabala à Deo Moſi data ĩ Mōte Sina. Eſdra lib. 4. c. 14. Verba Eſdra.

In Apol. allegata. Gala. li. de arcanis catholicæ veritatis c.6. 1. libri.

dorſis hoc eſt, non prædicantur: vbi legitur: *nemini quidquam de Cabala ſcribere licebat, ſed eam ore tantùm tradebant.*) tùm etiã nè ignatis, aut infidelibus, ſed ſolùm Dei electis, & ſenioribus nota eſſet, quos Magiſtri eam ex auditu ore docebant; quia iſtud fiebat viua voce; hinc Cabala appellata fuit, quaſi receptio ex auditu, inquantum vnus auditu ab alio eam recipiebat; porrò per ſucceſſionem, ac receptionem tradita fuit vſque ad tempus Eſdræ, quo tempore redacta, ac ſcripta fuit in ſeptuaginta libris, vt notat idem Picus, & vt probat F. Archangelus de Burgo nouo Ordinis Minorum. Hæc igitur ars, ſiue ſapientia Cabala dicta duplex fuit, vt aiunt, altera de Bereſith, quæ Coſmologia, hoc eſt ſapientia naturæ fuit nominata. Altera de Mercaua, hoc eſt, ſcientia Diuinitatis. Prima oſtendebat, ac patefaciebat vires omnes rerum naturalium, tàm ſuperiorum, quàm inferiorum: arcanaque ſacræ Bibliæ tractabat, ac aperiebat. Hæc autem pars interdũ Magia naturalis appellari poteſt; quam aliqui Talmudiſtæ ſecuti fuerunt.

Quãdo Cabala ſcripta fuit.
In Apologia.
In Apol. & defen. Cabalę cõtra Garziã epiſc. Vſſelien.
Cabala de Bereſith.

Ca: Quales erant iſti Talmudiſtæ?

Quis Talmudiſta.

Ph. Talmudiſtæ erant quidam Iudæi Doctores perſiſtentes solũ in Mũdo ſenſibili, ipſius arcana inquirẽtes; nec ad Deũ eſſentialiter contemplandum aſcendebant: vt tradit idem F. Archangelus. Altera autem pars, quæ de Mercaua dicebatur, diuinorum ſublimiora, profundiora, ac ſecretiora aperiebat; quę ſi ſcripta tradebatur, hoc fiebat obſcuriſſimis nominibus, figuris, numeris, punctis, lineis, atque alijs characteribus ſapientibus Cabalæ ſolummodo notis; quæ omnia magna arcana, ac profundiſſima myſteria in ſe continebant; nec omnibus data fuit facultas, quã hæc omnia intelligere poſſent; ſed ſolùm Dei electis, inter quos Prophetæ, ac alij viri ſapientiſſimi fuerunt. Verùm cùm homines praui moris, quæ ſibi licita non erant, intelligere vellent, à recta flectentes via, conabantur ſuſpenſis characteribus, ac prohibita via, non propria virtute ipſam Cabalã adiſcere; hinc cùm ipſorum malitia increbuiſſet, qui ſacra prophanis, ac nefandis rebus intromittebant ad ſibi non licita intelligenda; ab Eccleſia noſtra Cabalæ ſuſpenſa, ac prohibita fuit: tùm propter cauſam allatam, tùm etiam quia hæc neceſſaria non fuit poſt Saluatoris aduentum, qui obſcurum patefecit, ac, quæ ad ſalutem neceſſaria

Loco citato.
Cabala de Mercaua.
Cabala quõ ſcripta tradebatur.
Cabala in ſuperſtitioſas artes conuerſa.
Cabala prohibita.

ceſſaria erant,nos docuit:Quare hanc partem,quæ de Mercaua appellata fuit, aliqui in duplicem ſecuerunt partem, quarum altera Theomantica, altera Arithmetica,ſiue Notariocom dicebatur:Hæc vltima pars aliquibus numeris, figurisque multa mirabilia circa Angelos, Dęmones,ac Mortuos inuenire monſtrabat:quibus inuentis multa arcana hac via Artiſtæ ſciebant. Theomantica diuina myſteria,profundiſſimaque diuinorum arcana patefaciebat; atque hanc partem ſcientes ſuper Angelos, ac Dæmones imperium habebant,vt aliqui putarunt,quarum rerum medio multa mirabilia efficere poſſe autumabant; atque hoc modo Moſem, Heliam,Ioſue,Danielem,Salomonem, alioſque Prophetas tot feciſſe admiranda dixerunt; quod tamen falſum eſt, cũ Dei virtute,nec aliter Prophetarum admiranda contigerint miracula.

Cabala ac Mercaua duplex. Cabala Arithmetica.

Cabala Theomantica.

Ca. Vbi talis ſcientiæ cognitio hoc tempore haberi poteſt?

Ph. A nemine perfectè, quia,vt dixi; Auctores hanc tractantes ſuſpenſi, immo prohibiti ſunt ob allatas cauſas. Aliqua tamen fundamenta reperies in concluſionibus Pici Mirandulæ Cabaliſticis; qui via dicta Cabalę diuiſionem tradidit, niſi quòd primam,ac pręcipuam diuiſionem fecit in Sephirot,& Semot:tanquam in praxim, & ſpeculatiuam: Quam ſpeculatiuam quadruplicem eſſe aſſeruit; ideo ipſas concluſiones videbis,ſuper quibus declarationem,ſeu defenſionem præallegati F. Archangeli habebis; à quo maior cognitio ea,quam tibi præbeo,intelligi nequit; quæ tamen omnia maiori volumine tradita reperies. Quare his conſtitutis, ac declaratis ad reliqua deſcendamus; & primò loco,vt propoſitum fuit,de naturali Magia ſermonem habeamus.

Cabalę cognitio a'iqua vbi. Diuiſio Cabalæ Pici in Sephirot, & Semot.

Ca. Iſtud ſanè opus eſt, ſi rem perfectam efficere putamus.

Ph. Quid Magia naturalis, atque an idem cum malefica ſit, ſupra in ſermone de Magia in vniuerſali audiuiſti; Vbi concluſum fuit hanc Magiam omnium naturæ arcanorum eſſe cognitionem,quæ res vulgo miracula videntur; cùm omne id,quod in natura inſtar miraculi inuenitur,de conſideratione Magiæ naturalis ſit; ideo ſub ea, quicquid arcani, & quaſi miraculi eſt, collocari ſolet. hinc dixit Picus allegatus, quòd Magia eſt naturalis ſcientiæ praxis, quæ nos docet efficere opera mirabilia medio naturalium virtutum per

DE MAGIA naturali.

In Apologia.

 appli-

Ad magiā conſequendam quid.

applicationem earum ab inuicem, vt igitur Magi hæc abdita inueniant, opus eſt, vt prius ſciant, quid Sympathia, quid Antipathia, atque qua via hæc amicitia, diſcordiaque rerum naturalium in eiſdem rebus intelligantur: namque per has multa abdita, mirabiliaque inueniuntur, quæ per quatuor qualitates agnoſci nequeunt; ideo tali Methodo ſæpè admiranda ab his emanant, quæ realiter ex rerum Antipathia, ac Sympathia eueniunt: veluti videmus à Magnete Ferrum attrahi, ac à Succino Paleam: quod à Sympathia inter has res naturaliter inſita prouenit; à Veneno autem homo interficitur ob Antipathiam inter ipſum venenū, hominemq; naturaliter vigentem: huiuſmodique alia contraria ab inuicem naturaliter per Antipathiam ſe vexant; veluti alia per Sympathiam ſe diligunt: quadam enim ſpecifica forma, non manifeſtis qualitatibus aliqua operari certum eſt: hæcq; forma ex toto corporis temperamento prouenit; quæ forma cum diſſimili ex toto diametro Antipathiam, cum ſimili Sympathiam habet: nec ſolùm loquor de inferioribus ab inuicem, verùm de ſuperioribus cum inferioribus. Ex eadem Antipathia, ac Sympathia Fatum hominum agnoſcitur, ac intelligitur: quod an admittendum ſit, apud diuerſos Philoſophos haberi poteſt; veluti apud Alexandrum Aphrodiſęum, atq; Plutarchum: ita & apud Theologos, ſicuti apud D. Thomā, Diuumque Auguſtinum.

Magnes attrahit ferrū ꝑ Sympathiam. Venenū interficit per Antipathiam.

Lib. de Fato. 1. parte q. 116. 5 de Ciuitate Dei. Lib. 4. de Cōſol. proſa 6.

Ca. Quid eſt Fatum?

Ph. Fatum, dixit Boetius, *eſt diſpoſitio rebus mobilibus inhærens per quam prouidentia ſuis quæque nectit ordinibus*, ibique vult Boetius, vt Sanctus Doctor notat, quòd Fatum dependeat à Prouidentia; ideo accipit Fatum (vt etiam declarat D. Bonauentura) pro ordine quodam in rebus mobilibus ad diuinam prouidentiam relato. nos tamen hìc de hoc Fato non intelligimus; ſed de illo, cuius mentio à D. Auguſtino, ac à D. Thoma, necnon & ab Alexandro facta fuit: ideo de hoc loquens Cicero dixit, *Fatum propriè eſt diſpoſitio ſyderū, qua quiſque conceptus, vel natus eſt*: ideo ex Fato ad Aſtrologos prædicere ſpectat, quorum ſuum eſt cęlum inſpicere, fatum tamen etſi Philoſophi prorſus admittant, ex hoc optimi in rebus neceſſitatem non imponunt, vt, quùm de Aſtrologia noſter fuit ſermo, diximus, vt igitur ad rem reuertar, dico, quòd

Fatū quid in cōment. 2. ſen diſt. 14. vlt. reſolutione. Loco citato 5 de Ciuit. Dei. 1. parte q. 116. 3. de natura Deorū. Fatum 4d

quòd Magi nedum per hanc viam multa admiranda faciũt, verùm etiam hoĩes illudentes quãplura oſtendunt, quæ ſecundum ſui eſſentiam non ſunt; atque iſti præſtigiatores generali nomine appellati fuerunt, quorum aliquos recenſet Athenęus, iſtoſque decet hæc opera exercere, cùm ob eorũ mirabiles operationes clari præſtigiatores vocati ſint; vt apud eundem Athenęum intelligi poteſt; hocque, ſi ex rebus naturalibus, vel artificialibus omni remota ſuperſtitione eorum opera contingãt. Quare ſi ex ſpeculis artificioſis aliqua efficiant, tunc Catoptrici nominantur, vt ſuo loco dictũ fuit, ſi deceptio ex manuum induſtria, ac dexteritate fiat, Chyroſophi, vel Manuſapientes dicuntur, nec iſti veri ſunt Magi, ſed potius ioculatores. horum aliqui ſuas deceptiones, ac ſecreta oſtendunt medio quorundam Luminum artificialiũ, vel aliquorum ſuffituum, vaporum, imaginũ, figurarum arte factarum, medioque aliorũm multorum, nedum artificialiũ, verùm & naturalium, veluti lapidum, herbarum, atq; huiuſmodi ſimilium: de quibus apud Albertum Magnum aliqua habentur, & apud Vvekerum, Hermetem, ac alios quamplures Philoſophos multa ſcripta inuenies; hìc tamen nullo modo intelligo de maledictis præſtigiatoribus, quorum mentio iam facta fuit; ſed de his verba facere, & feciſſe volo, qui licitè, aliquoque arcano iocosè enituntur ſapientes Magos immittari. interdum tamen, quæ iocosè, nõ realiter contingũt, ſub vera Magia collocari poſſunt; & priuatim ſi ex rebus naturalibus contingant.

Magi præſtigiatores quales.
Lib. 1. Dipnoſophiſtarum. c. 14.
Loco citato.
Magi Catoptrici.
Magi Chyroſophi.
Magi ioculatores.
In libris de ſecretis.
Lib. de præſtigijs.

Ca. Vbi hæc ſcientia licita, ac admiranda habetur?

Ph. Sparſim à diuerſis Auctoribus traditur, quorum aliquos iam recenſui; præcipua tamen fundamenta, quibus ea omnia intelligi, ac ſciri poſſunt, reperiuntur in libris de Sympathia, & Antipathia Fracaſtorij, in Fernelij duobus libris de abditis rerum cauſis; aliqua autem pars ſecretorum traditur in Catoptrica Alhazeni, ac Vitellonis ſupra nominata. in Leuinij duobus libris de occultis naturæ miraculis, atque in cęteris ſupra allegatis auctoribus: reliqua autem penè omnia chimicis habentur tractationibus; ideo & apud Auicennã, Gebrum, ac Murienum in ſuis tractatibus chimicis, & apud Vlſtadium, Laurentium Venturam, Laciniumque, itidem & in libris, quorũ titulus eſt turba Philoſophorum, necnon

Fundamẽta Magię naturalis.
Lib. de naturę ſecretis.
Lib. de rẽ. ne confic. lapidem.
In precioſa Margarita.

& apud multos alios, vt eſt Bernardus G. Penotus, atque Ioſephus Quercetanus in ſuis tractationibus chimicis: in tractatibus namq; horum auctorũ, ac aliorum chimicorũ multa arcana, ac naturæ mirabilia reperiuntur; quãplura tamen paucis contenta horum arcanorum in Ioannis Bapt. Portæ Magia naturali inuenies.

Ca. Opportunius erit pro nunc totam artem collectam in libris eiuſdem Portæ percurrere; ideo ne quæſo te tedeat horum librorum compendioſam trãdere ſummulam; prius tamen quid chimica, doceto.

Ph. Quid ſit chimica antequam hinc recedamus intelliges; nunc enim exoptata librorum allegatæ Magiæ ſummula eſt tradenda; nota tamen, quòd in hoc volumine non totam artem, nec omnia Magiæ arcana ſcribũtur, ſed perpauca; cùm tot ſint huius ſcientiæ arcana, vt tota vita hominis ad ea adipiſcenda, intelligendaque ſatis eſſe non poſſet.

Ca. Nunc mihi ſufficiet horum ordinem, compendiumque audire.

MAGIAe naturalis ſummula.

Ph. Libri Magiæ naturalis ipſius Portæ ſunt viginti, in quorum primo de mirabilium cauſis, de Antipathia, ac Sympathia rerum omnium, tàm de inferioribus inuicem, q̃ de celeſtibus cum inferioribus, deque cauſis, ac de miraculis, ſeu admirandis ex his ſuccedentibus, agitur. In ſecundo de varijs Animalibus gignendis, de miro modo, quo tales generationes fiant, monſtratur: quomodo noua poſſint produci Animalia, atque vnde monſtruoſi oriantur partus, oſtenditur, Tertio ſiquidem libro de nouis producendis plantis, ac fructibus agitur, multaq; alia in Plantarum trãſmutatione mirabilia traduntur, quæ ſilentio prætermitto, ſicuti etiam in reliquis libris breui rẽ abſoluam, vbi agitur de augenda ſuppellectili, & præſertim de ea, quæ ad ſubſtentacula humanæ vitæ natura producta eſt, de Metallorum tranſmutatione, de Gẽmis cognoſcendis, ac arte conficiendis, de miraculis Magnetis, de protẽtoſis Medellis pro morbis quaſi miraculosè remouendis, de coſmetrice mulierum, hoc eſt, de his, quæ ad pulchritudinem ſpectant, atque de deſtillationibus, quarũ medio quintæ eſſentiæ è rebus extrahuntur, deque conficiẽdis odoramentis ſermo habetur. Præterea multa ſecreta circa ignes artificiales, circa Ferri temperamenta, atque circa cibaria

baria eliciuntur: aliaque quamplura ibi reperiuntur arcana, veluti in Auibus, Quadrupedis, ac in Aquatilibus manu capiendis; ita etiam in litteris ſcribendis, nè intelligantur, niſi ab Artiſtis, in Catoptricis documentis, in leue à graui ieiungendo, atque in varijs ædificijs fabricandis ex præumaſticis experimentis: vltimo autem libro Chaos habetur, vbi varia variarum rerum arcana inueniuntur. atque hìc totius naturalis Magiæ opus perficitur.

Ca. His declaratis reliquum eſt, vt de Chimica arte verba faciamus.

Ph. Chimica ars ea eſt, quæ metalla tranſmutare monſtrat, & ex imperfectis perfecta ea efficere, ipſaq; in Lunam, Solẽque, hoc eſt, in Argentum, & Aurum tranſmutare: ideo eius conſideratio priuatim circa Metalla, aliaq; mineralia perſiſtit. hinc Lacinius probat, quòd ars chimica philoſophię naturalis ſubalternatur, & præcipuè parti, quæ de mineralibus agit.

DE CHIMICA arte q̃ Magię eſt pars

In Margarita precioſa.

Ca. Vt iſti tranſmutent Metalla, quid agunt?

Ph. Quandam Medicinam conficiunt, quæ vel ad album, vel ad rubrum appellatur: ſi ad conficiendum Argentum ad album, ſi ad Aurum producendum ad rubrum: ideo fundamentum, ac artis ſcopus eſt talem Medicinam ſcire (vt Laurentius Ventura affirmat) qua metalla in Lunam, Solemq; tranſmutare poſſint: vt autem Medicina hęc cõficiatur, opus eſt multa pręcognoſcere, veluti cauſas, ac principia omnium Mineralium, vt ait Geber, ideo nemo optimus eſſe põt Chimicus, niſi prius Philoſophus fuerit eruditiſſimus: cũ hęc ars altiſſima perſcrutatione, induſtriaq; naturali indigent, vt idẽ Geber oſtendit; hęcq; vim magnam in Medicina habet; ex qua admiranda pro remouendis morbis eliciuntur; ideo aliqui hac via medentes quaſi miraculosè incurabiles morbos interdum propulſant, derelictos ęgrotos incolumitati reſtituentes: quibus operationibus potius Magi malefici, quàm naturales ſæpè viſi ſunt, verùm eos oportet quæcunque natura creata ſcire præparare.

Quid pro traſmutatione Metallorum.

Lib. de lapide Phil. c. 3.

Lib. de sũma perfectionis c. 1.

Loco citato c. 7.

Chimica opera quaſi miraculosè operantur.

Ca. Quid eſt præparatio, cuius medio iã dicta acquiri poſsũt?

Ph. Pręparatio nil aliud eſt (vt ait Geber) quã ſuperfluũ adimere, & deffectum ſupplere in corporibus imperfectis: ideo hac via etiã quinta eſſentia à quocunq; Medicamẽto extrahitur,

Lib. περι χημειας c. 1.

trahitur, ſuperfluum adimendo, &, defectum addendo: pręparationes autem fiunt medio: calcinationis, ſublimationis, deſcenſionis, ſolutionis, deſtillationis, coagulationis, fixionis, atq; cerationis, vt loco citato Geber ait; de quibus, cęteriſq; alijs tractatio ab eodem habetur; has autem præparationes omne genus ſalium, Aluminum, Atramentorum, Borax, Vitrum, Acetũ, Ignis, atque alia huiuſmodi quãplura adiuuãt; ideo hæc dicta pro chimicæ cognitione ſufficiant; cęterum ſi alia cupis, præallegatos Auctores legito.

Lib. de sũma perfect. Magiſteÿr.

Ca. Satis hæc ſint; interim antequam veſper accedat, Muſicã percurramus, quæ vltima pars Quadruuij Mathematici conſtituta fuit.

Ph. Iuſtum eſt, nimium enim circa Aſtrologiam, ac Magiã immorati fuimus; quamuis paucioribus id fieri minimè potuiſſet; tot equidem, ac tantæ illarum ſunt partes, vt coacti tã tàm moram in illis tractandis interpoſuerimus.

Ca. Nunc igitur quid muſica, oſtende.

Ph. Si vniuerſaliter muſicam accipiamus, nil aliud eſt, quàm quædam conſonantia, quæ ex pluribus rebus inuicem quandam habẽtibus proportionem prouenit. Si autem de Armonica loqui intelligamus (qa multiplex eſt muſica, vt oſtendã) hęc, vt ait Boetius, eſt facultas differentias acutorũ, grauiumque ſonorum ſenſu, ac ratione perpendens: *Pytagoras* tamẽ (vt ſcribit *Plutarchus*, quod tangit Boetius) voluit ſola ratione muſicam eſſe perpendendam, non ſenſu. D. Auguſtinus ait muſicam eſſe ſcientiam rectè modulandi. *Plato* dixit muſicam circa melodiæ perfectionem verſari. Hęc autem melodia à grauium, acutorumque ſonorum conſonantia oritur.

DE MVSICA & eius partibus.
Lib. 5. c. 1. Muſicę in cõm. muſicę.
Lib. 5. muſica c. 2.
Ab initio Muſica.
Ab initio Gorgiæ.

Ca. Quomodo ac qua ratione hæc fiat intelligere cupio.

Ph. Melodia, de qua loquitur *Plato*, & alij Auctores Armonici, naturaliter à conſonantia prouenit; quia conſonantia ea ratione, qua conſtituta eſt, naturaliter melodiam efficit: Cõſonantia aũt non aliter conſtituitur, quàm ea rõne, qua Medici optimi ex pluribus rebus diuerſis qualitatibus conſtitutis compoſita medicamenta efficiunt; nã calidiora frigidioribus, humidiora ſicciorib9 (vt inuicem contemperẽtur, & & quandã nouam formã producant) ſimul coniungunt, atq; componunt; ideo quadam methodo incedunt, vt hanc artificioſam

Melodia vñ.
Cõnſonantia qua ratione fiat.

ficioſam conſonantiam efficiant; quæ muſicis melodia, Philoſophis forma vocatur; cuius operatio interdum à forma ipſa, non à qualitatibus manifeſtis prouenit; quùm horum aliquod, tanquam alexipharmacum, venenis aduerſetur: eſt igitur hæc forma conſonantia, ac melodia quædam ex pluribus rebus conſtitutis diuerſis qualitatibus vnà cõpoſitis proueniens. Quare ita muſici grauiſſimos voces accutiſſimis, ac reliquas medias ſimul quadam proportione coniungunt, vt ex his iuſta, ac conueniens conſonantia proueniat; à qua melodia oriri ſolet; conſonantia enim teſte Boetio eſt acuti ſoni, & grauis mixtura ſuauiter, & vniformiter ad aures perueniens; Diſſonantia vero econtrariò intelligenda eſt: vel, vt idem Boetius ait, conſonantia eſt duarum vocum rata permixtio.

Quę muſicis melodia, Medicis forma. Forma alexipharmaci quid.

Lib. 1. c. 8. Conſonantia quid. Li. 2. c. 19.

Ca. Quomodo Muſica methoduſque has voces modulandi fuit inuentus?

Ph. Muſicam excogitatam fuiſſe ex auibus, quæ in ſolitudinibus canere aſſueti erant, ſcribit Athenęus ex auctoritate Pontij Chameleonis; ad auium enim imitationẽ muſices conſtitutiones veteres ſumpſerunt. Boetins verò, & Ficinus affirmant à Pytagora Muſicam, ſiue conſonantiæ rationem caſu ex ictibus Malleorum Fabrorum inuentam fuiſſe perpẽſa Malleorum inuicẽ quo ad pondus proportionẽ. Hinc igit Diapaſon, Diapente, Diateſſeron, tonumq; (ex quo aliæ tres conſonantiæ componuntur) proportionis ratione inuenit: ex quibus tribus conſonantijs tota conſtituitur Muſica; ut apparebit; nunc enim ad diuiſionem ipſius accedere expedit, ut tota diuiſa ad Armonicam accedere ualeamus.

MVSICę origo. 9. Dipnoſoph c. 13. Lib. 1. c. 10. Muſicę. In cõpen Thim. 4. 1. c. 31. Ratio muſica inuenta à Pytagora.

Ca. Optimè erit, nè confusè procedamus.

Ph. Muſica teſte Boetio triplex eſt, alia mundana, alia humana, & alia inſtrumentalis. Mundana eſt ea, in qua armonia totius, ac partium mundi conſideratur, quæ ex cœleſtium ſphærarum motu componitur, uel quæ ex poſitu elementorum, atque ex temporum partibus oritur; ex his enim ſuis locis conſtitutis quędam fit conſonantia, quæ propriè mundana, veluti quę ex ſphęrarum motibus prouenit, nominatur. Humana muſica eſt ea, q̃ de ꝓportione tũm aĩæ, tũ corporis tractat: ex horũ enim partibus abinuicẽ iuſtã proportionẽ habentibus conſonãtiã oriri putamus, quæ optima,

Lib. 1. c. Muſica. DE MVSICA mũdana.

DE HVMANA Muſica.

ac

ac conueniens corporis conſtitutio à Medicis appellatur, è qua optimas corporis actiones emanare ſolent, vt naturales, vitales, ac animales: porrò hæ actiones iure uocari poſſunt quædam melodia; vt ſi homo benè audiat, guſtet, videat, ambulet, & ita de reliquis actionibus intelligendum eſt: vndè (vt teſtatur Politianus) Hærophilus Medicus doctiſſimus humani corporis arteriarum motus in muſicos numeros digeſſit. Inſtrumentalis aũt Muſica triplex eſt. Rithmica, Metrica, atq; Armonica. Rithmica eſt, quæ verborum intentionem reſpicit, & monſtrat, vt an oratio ex ſyllabis, verbiſq;, è quibus cõpoſita eſt, bonam conſonantiã efficiat, atq; ſi optimè hæc ſimul concordent ratione perpendit. Metrica omnium Metrorum rationem oſtendit, Methodumque ipſa conficiendi tradens, eorumque differentias declarans, & ſummatim omnia docens, quæ ad Metra conficienda, contemplandaque requiruntur, veluti ad Monometrum, Diametrum, Trimetrũ, Tetrametrum, Pentametrum, atque Exametrum; necnõ alia quamplura (de quibus Politianus) quæ alia ratione conficiũtur; atq; hæc pars ad Poetas attinet, vt ait Boetius, de qua, & de Rithmica D. Auguſtinus ſex libros compoſuit, in quibus horum exactiſſima cognitio haberi põt. Harmonica autem, cuius noſtrum fuit inſtitutum, quæ grauium, & acutorũ ſonorũ differentias perpendit, atq; cõtemplatur, à Boetio doctiſſimè, ac eleganter in quinq; libris tradita fuit; quæ adeo vtilis, ac homini neceſſaria eſt, vt abſque ea nec optimè, nec modeſtè, nec mitiſſimè vitã degere queat, nec res, aut negotia dexteritate tractare valeat: ideo Plato iuſſit Muſicã pueros doceri, vt mitiores, modeſtiores, ac conciõnores affecti; nedũ ad agendum, verũ ad dicendũm vtiles eſſent: omnis.n. hominis vita quadã numeroſa indiget conſonantia, ut ipſemet Plato ait; ideò hac de cauſa Priſci omni cura Muſicam docebant adoleſcentulos, vt teſtatur Plutarchus. hæc ꝑfectò ea eſt, quæ omni tpe, omniq; ætate, in bello, in pace, tã tpe lætitiç, q̃ tempore triſtitiæ: & denique vbique ſemp conuenit, ac conſona eſt: ſi tñ, vt tps exigit, rectè tractetur: Hæc iterum quàm vtilis, ac neceſſaria homini ſit, ſcripſit Atheneus, hoc idem Plutarchus, itidem & Zerlinus. his autem relictis tẽpus exigit, vt ad particularẽ Armonicæ cognitionẽ deſcẽdamus.

Ca. Ita Philalethes, nãrõ voces miſcẽdi nũdũ mihi nota fuit,

Porrò

In Panepiſtemon

DE INSTRVMENtali Muſica.

DE Rithmica.

DE Metrica.

loco citato.

lib. 1 ca. 2.

& c. 34.

DE ARMONICA

Muſica vtilis.

In Prath. Plato iuſſit Muſicam pueros doceri.

Lib. de Muſica.

Lib. 14. Dipnoſo. c. 10. & 11.

In Inſt. armon. par. 1

Ph. Porrò à conſonantia inchoandum eſt, circa quam tota perficitur Armonica: ideo omnis conſonantia in quadã proportione cõſiſtit, vt ait Boetius, veluti in dupla, in tripla, quadrupla, ſeſquialtera, ſeſquitertia, & ſeſquioctaua. Si igitur in ſeſquitertia, vt tria ad quatuor, fiat conſonantia, ea eſt, quæ græcis Diateſſeron, vulgo Quarta dicitur. Si in ſeſquialtera, vt duo ad tria, fiat, Diapente, vulgo Quinta nominatur. Si in dupla proportione, vt vnum ad duo, Diapaſon ꝓducitur, vulgo octaua appellatur. Hæ tres ſimplices, ac primæ ſunt conſonantiæ, è quibus reliquę compoſitæ emanant. Quare ſi in tripla proportione conſonantia generetur, conſtabit ex Diapente, & Diapaſon: ſi in quadrupla ex bis Diapaſon. Tonus autem, à quo prædictæ conſonantiæ emanant, in ſeſquioctaua proportione ſonat.

lib.1.c.7.

à Tono omnis conſonantia.

Ca. Si clariori doctrina iam dicta oſtendere potueris, gratum mihi erit.

Ph. Amplam declarationem de his proportionibus à Boetio habebis; atque ampliſſimã à Zerlino exemplis demonſtratã: nunc tamen, vt aliquid intelligas, nonnulla declarabo. Ideo, ſcito, quòd quælibet conſonantia ex proportione uocum ſimul compoſitarũ fit. Quapropter ſi vox voci duplo ſit aucta, ſiue ſit acuta, ſiue grauis: tunc Diapaſon producitur: quia vox vna aliam dupla proportione ſuperans fit Diapaſon: ſic igitur de alijs eſt excogitandum: etenim ut conſonantia producatur, opus eſt, quòd voces ob alijs vocibus ſuperẽtur in aliqua prędictarum proportionum; ſiue id fiat ſolis vocibus, ſiue neruis tãtum, ſiue neruis, & vocibus ſimul: ut in citharæ, aliorũque armonicorum inſtrumentorum ſono cũ cantu effecto contingit; nam ut ait Diogenes Laertius, Muſica vel ſola voce conſtat, vt eſt cantus ore prolatus, vel voce, & manu ſimul, vt citharæ, aliorumque inſtrumẽtorum ſonus cum cãtu: vel ſolis manibus perficitur, vt cùm homo ore ſilendo citharam manu ſonuerit: his modis etiam addi poſſe exiſtimo; quòd ſolo flatu, & manibus conſonantia, ſiue Muſica efficitur; vt de Tibijs patet.

Lib.1.&2.
Lib. citato: parte 1.

Diapaſon qñ fuit.

lib.3. de uita Philo.

Ca. Dic, ſi eadem ratio ſit modulandi in omnibus modis canendi propoſitis.

Ph. Abſque dubio, ſi in eodem modulandi genere vndique ſit cantus.

ura

Ca. Plura igitur genera, quàm vnum, modulandi reperiũtur?

lib.1.c.5. li.5. Arch. c.4. genera canendi.c.21

Ph. Prorſus; omnis.n.cantus, circa quē Armonicus verſatur, tribus generibus diſtribuitur (vt ait Boetius, quod confirmauit Vitruuius) quorum Primum διάτονον græci, latini Diatonicum vocant. Secundum χρῶμα, latinè Chromaticum dicitur. Tertium ἀρμονία, & apud latinos enarmonicum appellatur: de quibus idem Boetius loco citato. Primum ſanè genus multis. Alia duo paucis cognita ſunt, cùm difficillima ſint, nec auribus ita iucunda, vt eſt Diatonicum; quod alijs natura lius eſt. Ideò in canendo, vel ſonando per Diatonicum procęditur per Semitonium, tonum, & tonũ: Chromaticè autem cantatur per ſemitonium, ſemitonium, & tria ſemitonia. verùm enarmonicè aliter proceditur, nã per dieſim, & dieſim, & diatonum canitur, de quibus canendi generibus, ac ſonandi Boetius exactam cognitionem dedit, & priuatim circa Monocordum, modumque in omnibus generibus ipſum conficiendi nobis præbuit; qui modus in neruorum differentia præcipuè conſiſtit; non enim in omni canendi, vel ſonandi genere ijdem ſunt Monocordi nerui, ad quorum Monocordorum intelligentiam idem Boetius totum Monocordum in quinque Tetrachorda diuiſit, vnumquodque Tetracordũ ex duobus interuallis ſeſquioctauis, & ſemitonio minori cõponens, quorum primum Hypaton, reliqua Meſon, Synemmenon, Diezeugmenon, atque Hypetboleon vocat. Primũ autem eſt grauiſſimum, quod ὕπατον apud Vitruuium dicitur. Secundum medium μέσον, Tertium συνημμένον coniunctum dictum. Quartum διεζευγμένον diſiunctum. Quintum, quod acutiſſimum eſt, ὑπερβόλαιον nominatur. Sciendum tamen eſt, quòd etſi nerui Monocordi in quolibet genere canendi ijdem non ſint, non tamen omnes abinuicem differunt; nam tres primi in omnibus tribus generibus ijdẽ ſunt, quia hìc, & illìc ſunt Proſtambomenos, Hypate hypaton, ac Parypate hypaton. Quartus autem neruus idem non eſt in quolibet genere canendi; quia in Diatonico eſt Licanos hypatõ diatonos. In Chromatico Diatonos chromaticè, vel Lycanos hypaton chromaticè. In Enarmonico Diatonos hypaton enormaticos, atque huiuſmodi alias differentias horum canendi, ac ſonandi generum apud eundem Boetium in quinque libris pręallegatis de Armonica reperies.

Cantus per Diatonicũ, Chromaticum, & Enarmonicũ.

Monocordi diuiſio.

li.5. Arch. c.4.

Ca. Quæſo,nè omnino ad eundem Boetium me remittas,aliquos terminos dictorum declarato;vt quid Tonus, Semitonium, atque quid huiuſmodi alij termini ſint(qui ad ſcientiæ cognitionem conducunt) non me lateat: nimium enim difficile videtur vnamquamque ſcientiam aggredi abſque ſuorum terminorum cognitione.

Ph. Libenter ſic faciam; ideo à Diapaſon prius incipiamus, tanquàm ab eo,in quo tota Muſica conſtituitur,atq; in quo tota ratio conficiendi Monocorda conſiſtit; nam octo neruis componitur, à quibus cęteri nerui proculdubio originē ducunt;ideo faciamus, quòd Diapaſon ab A ad H conficiatur,per B in I aliud fiet Diapaſon, itidem à C ad F aliud. & ſic proceditur vſque ad perfectam Monocordi conſtitutionem.quare his expoſitis de quibus fuſius Boetius;ad Diapaſon reuertamur,quod conſonantia eſt,quæ vulgo octaua dicitur,quia ex octo neruis conſtituitur;hæcq; conſonantia ex Diapente, & Diateſſeron, tanquàm ex quinta, & quarta componitur.

À Diapaſon tota muſica producitur.

Diapaſon ex quo cōponatur.

Ca. Quid ais? qnomodo ex quinque, & quatuor octaua fit? potius nona dicendum eſt.

Ph. Mirum tibi videtur,quòd ex quinque,& quatuor octaua conſtituatur;ſed pro huius rei intelligentia ſcito,quòd dùm octaua conſtituitur ex Diapente,& Diateſſeron, nō habetur ratio ad neruos,ſiue ad cordas;ſed ad tonos,è quibus hæ cōſonantiæ conſtituuntur; nam Diapaſon ex ſex tonis minus commate vno conſtituitur; Tonus autem, vt ſupra dixi,in ſeſquioctaua ſtat proportione.Diapente ex tribus Tonis, & Semitonio non integro,Diateſſeron ex duobus Tonis,& Semitonio imperfecto producitur. Quare habita ratione ad Tonorum,& Semitoniorum compotum,& ad id,quod deficit in his,videbimus ex Diapente,& Diateſſeron vnū Diapaſon conſtitui; atque ex biſdiapente, & biſdiateſſeron fit biſdiapaſon.

Diapaſon, Diapente, Deateſſeron, ac Tonus.

Ca. Si ita res conſideretur,quid ais apparet;nunc igitur quid Tonus,quid Semitonium expone: vt, quæ ex his emanant, mihi ignota non ſint.

Ph. Iam dixi,quòd tonus eſt quædam cōſonantia,quæ in ſeſquioctaua proportione concluditur, vt ait Boetius, qui tonus in duo Semitonia diuiditur, quæ tamen æqualia non ſunt;

Quid Tonus.
Li.1.c.16.
Toni diuiſio.

Lib 3.

ſunt; fieri.n.non poteſt, vt Tonus in duo æqualia diuidatur, vt probat idem Boetius; Quare totus Tonus in duo Semitonia diuiditur, quorum vnum maius, aliud minus vocatur ma ius differt à minori vno cōmate, ideo totus Tonus ex duobus Semitonijs minoribus, & cōmate componitur, vel ex apotame, & minori Semitonio. Apotame eſt Semitonium minus, & Comma. Semitonium minus, quod dieſis vocatur, à Philolao in duas diuiditur partes, quæ diaſchiſmata dicuntur, itaut totus Tonus in quatuor diaſchiſmata, & cōma diuidatur. Semitonium minus eſt tribus cōmatibus maius, ex quo patet, quod minus ſit quatuor cōmatibus. Apotame hoc eſt, maius Semitoniū, vel minus & cōma eſt quatuor cōmatibus maius, ſed quinque minus. Tonus eſt maior octo commatibus, minus tamen nouem, vt Boetius oſtendit.

Apotame, & Dieſis quid. Diaſchiſma quid. Semitoniū maius, & minus, Apotame, ac Tonus q̄d. Lib. 3.

Ca. Quid ſit comma, adhuc neſcio.

Quid Comma.

Ph. Comma, vt eodem loco Boetij habetur, eſt vltimū illud ſpatium, quod auditus deprehendere pōt; iſtudq; in duas diuiditur partes, quæ ſchiſmata nominantur; atq; hæc tibi ſuffi ciant pro huius doctrinæ principijs cognoſcendis. ceterùm ſi his plus exoptas, præallegatos Auctores perlegito, nēpe Boetium, ac Zerlinum, qui nedum de Muſica ſpeculatiua vernacula lingua tractauit, verùm de praxi: quā prætereo, tùm quia apud eundem Zerlinum ſufficienter eam ſcriptam inuenies, tùm etiā quia adeo vulgata apud homines eſt, quòd nulla introductione indiget. Quare his omnibus relictis, cū ſatis de omnibus dictum fuerit; ad aliam Philoſophię partē, quæ naturalis dicitur, eſt proficiſcendum. verùm quoniam non multum nox diſtare videtur; Pater enim Phętontis ſub Horizonte curſu ſe occultare nititur; Ideo à labore recedamus, & ad quieſcendum eamus: cras.n. tempus nobis opportunius dabitur, vt quæ ſequūtur percurrere queamus. Tugurium igitur lęto animo ad quieſcendum ingrediamur.

Cur de praxi muſica non tractetur.

Ca. Quid tibi lubet, faciamus, vt fortiori ſpiritu, ac maiori acumine cras ad hunc locum reuerti valeamus ad percurrēdas, quæ ſequuntur, ſcientias.

Ph. Optimum eſt quieſcere, quieſcendo enim anima fit prudens.

Finis ſecundi Dialogi.

DE

DE NOBILITATE MEDICI

DIALOGVS TERTIVS.

Hippolyti Obicij Medici, & Philoſophi.

In quo totius naturalis, Moralis, ac rationalis Philoſophiæ, Medicinæ, legumq́; ſummula traditur.

Calophilus. Philalethes.

Ca. HEI mihi iam tenebræ abijerunt, earumque locum à luce ereptum fuiſſe videre videor, cùm aues circa Tugurium volitantes quadam armonia illud oſtendant, nec abſum à vero, ſi rectè aſpicio, iam enim dieſcit; & ecce in Oriente, qui ſuo aduentu affert diem. ò me miſerum nimio tempore ſomnos me duxiſſe cerno; ſed quomodo deperditū nanciſcar tempus? Philalethes ſurge, & ad conſuetum locum proficiſcamur, vbi exoptatum finem conſequi poſſimus; nã tempus deperditum clarum eſt numquàm rediturum.

Ph. Hèm, quid ais Calophile? tam breui conſilium mutaſti? dormi ſi vis, nè à tuo recedas vſu; tempus enim nobis non deerit.

Ca. Ah ò Philalethes me ſic noli deludere, ſed potius animo languenti ſuccurre: nunc enim amiſſum tempus deploro, duraque fata doleo; quæ mihi optimos eripuerunt dies; atque quæror, quùm recordor, quòd ita impudenter mihi

dies

dies defluxerunt; ſcio enim ad præteritos, non plus me poſſe redire annos.

Ph. Tua Calophile lętor ſolicitudine, cùm nihil ſit tam arduum, quin ea breui perficiatur: ideò optimus hic eſt adiſcendi modus, nec à vero abes, ſi, nè tempus abſque fructu abeat verearis; namque nil carius, nilque precioſius tempore: vnde Philoſtratus vir ſapientiſſimus præcepit, quòd homo caueat, nè tempus vllum abſque fructu defluat; nam, vt dixiſti, certum habemus, quòd tempus elapſum numquàm eſt rediturum; ideò Virgilius canendo dixit, *ſed fugit interea, fugit irreparabile tempus*. verba igitur græca ipſius Philoſtrati intento animo audi ἐςὶν ἔαρ, καὶ κάλλος ῥόδων, ὁ δὲ μὴ χρησάμενος τοῖς παροῦσιν, ἀνόητος ἐν οὐ μέλλουσι μέλλων, καὶ βραδύνων ἐν τοῖς ἀπιοῦσι· φθονερὸς γὰρ ὁ χρόνος, καὶ τὴν ἀνθοῦς ὥραν ἀφανίζει, καὶ τὴν κάλλους ἀκμὴν ἀπάγει. videlicet eſt ver, & flos roſarum; qui autem non vtitur rebus præſentibus; ſtultus in non cunctantibus cunctans, & tardãs in abeuntibus; inuidum enim tempus, & floris pulchritudinem euaneſcere facit, & pulchritudinis vigorem abducit; ideo cauendum omni ſtudio, nè impudenter tempus abeat; Quare cura, vt ſemper aliquid agas, nè ocieris, etſi te fatigandi neceſſitas non vrgeat; ocium enim multorum malorum eſt cauſa; vnde legitur in ſacris literis *multam malitiam docuit ocioſitas*. ideo quietem quantum fieri poteſt ſemper fugies: quies enim, vt quidam dixit ſapiẽtiſſimus, à morte dabitur longiſſima, nolo tamen, quòd ab vſu ſtatim prorſus recedas, quandoquidem omnis repentina mutatio nos mortales ſæpè lędere ſolet.

Nil precioſius tẽpore.
In quadã epiſtola.
Tẽpus amiſſum nunquam acq̃ritur.
verba Philoſtrati.
Ociũ malorum cauſa.
Eccleſiaſtes c.33.
Quies à morte longiſſima.

Ca. Vt tibi morem geram, enitar. interim inceptum colloquium proſequamur, vt totam ſciẽtiarum ſummulam perficiamus, etſi valdè ambigem, an fieri poſſit, vt homo tot, tãtaſque, vt aliàs dixi, adiſcere poſſit ſcientias, artesque, vel quę in hac caduca vita ſciri poſſunt, non ignoret: enumeratæ enim à te ſciẽtiæ, ac artes omnia, quæ ex literis intelligi poſſunt, intra ſe claudunt.

Ph. Perperàm Calophile rem capis, ſcio ego non fieri poſſe ab homine adunguem, quæ omnibus in doctrinis habẽtur, ſciri poſſe; ſed omnium ſcientiarum, ac artium principia intelligi non valde eſt difficile; quatenus homo ipſe, quæ omnibus in ſcientijs aguntur, non ignoret, eorum principia intelligendo,

Quõ homo omnia ſcire poſſit.

telligendo; ideo hoc modo omnia intelligi poſſe ab homine in vniuerſali facile eſt creditu. At priuatim omnia ſimul, vel eodem tempore ſciri: hoc mortalibus contingere minime poteſt; hæc tamen particularia non ſimul, nec eodem tempore, ſed ſeparatim diuerſis temporibus per nouam ſtudij reminiſcentiam vir philoſophus ſcire poteſt: omnia enim iſta eodem temporis ſpatio actu ſcire ad Dęmones, non ad nos pertinet: qui ſapientiores naturaliter hominibus ſunt: in quibus nulla rerum ignorantia accidere poteſt; vt in tractatu de Magia à me dictum fuit, & notato, quòd dum dico hominem omnia ſcire poſſe, intelligo de rebus, quæ ſcriptæ reperiuntur; quamplura enim naturæ arcana exiſtunt, quæ etſi Dęmonibus tàm bonis, quàm malis nota ſint ob eorum ſublimem ſapientiam, nos tamen latent, ut aliàs audiuiſti. *Plura Dæmonib nota, quā hominibus.*

Ca. De hoc minimè verendum, ideo ſatis eſſet omnia ſcripta ſciri poſſe.

Ph. Concludamus igitur ab homine ſapienti de oībus, quæ in ſcientijs, artibuſque ſcripta habentur, inopinatò diſputari poſſe, vniuerſaliter tamen, quia priuatim (cùm memoria noſtra labilis ſit) ſæpè per nouam ſtudij reminiſcentiam id fieri neceſſe eſt, ut omnia intelligat, ac de omnibus diſſerere queat: homo autem ſemper particularem facultatem habere debet, in qua adeo peritiſſimus ſit, ut inopinatò, etiam priuatim de omnibus, quæ in ea tractantur diſputare poſſit: in cęteris non ignarus, omnes namque diſciplinæ, ac doctrinæ quandam abinuicem connexionem habent, vt Vitruuius ſcripſit; idque in Philoſophiæ diuiſione comprehendere potuiſti ex indigentia multarum ſcientiarum ad vnam rectè intelligendam: animaduerte tamen fieri non poſſe ab aliquo omnes intelligi doctrinas, niſi hic Medicus Philoſophia præditus fuerit, vt patuit, Philoſophus ſiquidem ille eſt, qui de ſua ui, ac ſapientia (vt ex Cicerone monſtratum fuit) omnia penè profitetur, ideo ait, quòd hoc nomine ille uocatur, qui omnium rerum diuinarum, ac humanarum vim, naturam, cauſaſque agnoſcit, ac benè uiuendi rationem tenet, perſequiturque: quare intellexiſti, quomodo Medicus omnia ſcire poſſit, ac debeat: nempe vt in Medicina ſapientiſſimus, *Diſciplinæ cōnexionē ſimul hñt. lib. 1. c. 5. Archit.* *1. de Orat.* *Quo modo Medicus omnia ſcire debeat.*

M ſi fieri

ſi fieri poteſt, vt Galenus in cæteris non ignarus ſit: itidem ſi Philoſophus in philoſophia celeberrimus, in cæteris non imperitus.

Ca. His diſtinctionibus rem claram mihi præbuiſti: ideo ea ratione, quam attuliſti, haud difficile mihi fore doctrinas omnes ſcire exiſtimo; quare naturalem philoſophiam alacriter ſequamur, vt hac expleta, cæteras aggredi valeamus doctrinas.

Ph. Magnum de te propediem expecto fructum, ſi toto pectore, omnique ſollicitudine ad hæc ſtudia incumbes: ideò Phyſicam percurramus.

Ca. Vt ais, rem proſequere, quia ad audiendum auribus adſum, vt, quæ de me putas, uera eueniant.

DE PHILOSOPHIA NATURALI.

Ph. Naturalis philoſophia, quæ græcè Phyſica appellatur, eſt ſcientia, quæ circa res naturales verſatur, omnia enim ea, quæ in materia ſecundum eſſe, ac ſecundum ratione͂ ſunt; agnoſcere, ſcireque nos docet, vt dùm de Metaphyſica ſermo inter nos fuit, monſtraui; quare philoſophus naturalis ille eſt, qui de rebus naturalibus agit, cùm ex Ariſtotelis doctrina vir philoſophus circa ea verſetur, in quibus principium motus & quietis ineſt, res autem tales cùm ſint naturales, ut ipſe Ariſtoteles aſſerit pluribus in locis, nō eſt ambigendum, quin naturalis philoſophus res omnes naturales contempletur.

Ca. Cur hac arte id probas? de quo minime dubito.

Corpus naturale naturalis philoſophię ſubiectum.

Ph. Vt ex ſe res eluceſcat. Hæ igitur res naturales ex materia, & forma ſunt compoſitæ, vnde perſpicuum eſt eas eſſe corporeas, quibus cum principium motus, & quietis inſit, non indecenter corpora naturalia ſunt uocanda, & tunc patebit corpus naturale totius ſcientiæ eſſe ſubiectum adęquatum, idque hac ratione probari poteſt; quia quidquid in naturali philoſophia conſideratur poteſt redigi vel ad paſſiones, vel ad ſpecies, vel ad principia corporis naturalis: extra enim has tres res nil aliud à naturali philoſopho conſiderari ſolet; ideo cum ſubiectum alicuius ſcientię illud ſit, cuius paſſiones, ſpecies, ac principia in illa ſcientia conſiderantur, quod placuit Ariſtoteli, clarum eſt corpus naturale totius naturalis philoſophiæ eſſe ſubiectum adæquatum. *1. Poſter.*

Ca. Quis aſſerit in philoſophia naturali paſſiones, ſpecies, ac principia corporis naturalis conſiderari, nec quidquam aliud ibi tractari?

Ph. Senſus ipſe, omneſque hoc idem concedunt; namque materia, forma, & priuatio ſunt proxima principia corporis naturalis, itidem primus Motor principium eiuſdem, licet remotum; item motus, tempus, locus, magnitudo, bonitas, colores, nigredo, ac huiuſmodi alia propemodum infinita accidentia ſunt paſſiones corporis naturalis. Præterea elementa, Animalia omnia, Cœlum, Mineralia, & vt uno uerbo dicam omnia ea; quæ natura conſtituta ſunt ex materia, & forma ſunt ſpecies corporis naturalis; de quibus omnibus in naturali ſcientia ſpeculatio habetur, & quidquid ibi agitur ad hæc tria capita redigitur; ſic itaque dicamus corpus naturale eſſe totius naturalis philoſophiæ ſubiectum adæquatum.

Ca. Nè omnes hoc idem admittunt?

Ph. Minime, quia circa iſtud variç reperiuntur opiniones, quæ tamen, etſi diuerſæ videantur, facile omnes ſimul poſſunt conciliari; etenim alij ens mobile, alij corpus naturale, & corpus mobile, alij ſubſtantiam naturalem, alijque alia huius generis pro ſubiecto talis ſcientiæ poſuerunt; omnia tamen ad idem referuntur; namque ſubſtantia naturalis eſt corpus naturale, itidem & ens mobile naturale corpus eſt, deque cæteris ita excogitandum; cùm corpus naturale tamquam genus prædicetur de omnibus prædictis, ſicuti de ſuis ſpeciebus; quia ens mobile, corpus mobile, ſubſtantia naturalis, atque huiuſmodi reliqua ſunt corpora naturalia. Quare concludamus, quòd philoſophus naturalis perpendit nedum ſuum ſubiectum, ſed ea, quæ inſunt ſubiecto, tùm ſpecies, tùm paſſiones, necnon & principia illius ſubiecti; de ratione enim ſcientiæ eſt (vt comprobatum fuit loco de Metaphyſica) quòd Artifex conſideret ſuum ſubiectum, principia ſubiecti, ac omnia ea, quæ ipſi ſubiecto inſunt, nedum ſpecies, verùm & accidentia, ſeu paſſiones: inconueniens enim uideretur (vt aliàs dictum eſt) ſi Phyſicus ſciret quid Sol, quid Luna, & tamen vtriuſque accidentia ignoraret.

Omnia natura creata ad corpus naturale rediguntur.

Ca. Ab initio dixiſti, quæcunque habent principium mo-

tus, & quietis Phyſicus conſiderat; ego tamen audiui Phyſicum conſiderare vacuum, infinitum, & vt dixiſti, tempus, & locum; quæ principium tale habere nequeunt. itidem dixiſti, ꝙ primus motor cōſideratur ab eodē Phyſico; ſed nomen eius ſuadet ad credendū, ꝙ talis Motor principiū motus, & quietis non habeat cū ſolū moueat, & non moueatur; quia ſi primus motor eſt, nullū principiū habere potest.

Ph. Pro ſubtiliſſimis tuis amouendis obiectionibus ſcito, quòd aliqua inueniuntur, quæ natura eſſe dicuntur, vel naturam habentia, atque iſta habent principium motus, & quietis; qualia ſunt corpora omnia naturalia, quorum alia corruptibilia, & alia incorruptibilia: vt eſt Cœlum. Verùm alia itidem reperiuntur, quæ à natura, & ſecundum naturam (ſed non natura) dicuntur; atque huiuſmodi res ſunt accidentia, & paſſiones corporis naturalis; veluti eſt album, nigrum, calor, longitudo, rotunditas, grauitas, leuitas, locus, tempus, motus, atque id genus alia penè infinita; quæ corporibus naturalibus accidere poſſunt; atque iſta non habent principium motus, & quietis, quia non habent naturam, ſed à natura, & ſecundum naturam ſunt: vt ab Ariſtotele declaratur: alia etiam à philoſopho naturali perpenduntur, quæ rebus ineſſe videntur, nec inſunt: vt vacuum, & infinitum: atque horum tractatio eidem Phyſico conuenit, quia per accidens, non per ſe fit: cùm hæc in rerum natura non dari oſtendat; ideò negatiuè de his, non affirmatiuè agit: alia itidem conſiderat, quæ mouent, neque mouentur, & hęc nō habent naturam, ſed principium naturæ ſunt, veluti eſt primus Motor, de quo octauo Phyſicorum; differentia tamen eſt in contēplatione iſtius, ac rerū nām habentium: nam res nāles, quę habent principium motus à Phyſico conſiderantur eſſentialiter per ſe, & quidditatiuè, ſeu quoad quid eſt; At primus Motor ab eodem Phyſico conſideratur ſecundum quid, vel quo ad an eſt, quatenus motum reſpicit; vt enim ęternum probaretur eſſe motum, opus fuit inuenire primum Motorem cauſantē ipſum motum: quèm motorē habere eſſe, ac ſemper fuiſſe probare: quare an ſit, nō quid ſit, de eo perſcrutatur Phyſicus, quid ſit aūt ad Meth. pertinet; vt optimè Ariſ. docet. Quare concluditur, ꝙ Phyſicū decet

Alia res naturā habent, ꝙ natura eſſe dicuntur. Res ſecūdū naturam.

2. Phyſ. t. 5

Rerum natural. cōtēplatio ſit ꝑ ſe apud Phyſic.

2. Phyſic. t. 71. aliiſq; in locis.

etiam

etiam conſiderare ea,quæ naturam non hn̄t; quia principia ſunt mouentia phyſicè,ut idem Ariſt.monſtrat; non autem principia phyſica ſunt vocanda; vt perſpicuū eſt ex eiuſdem Ariſt.verbis; quia ait principium phyſicè mouens; licet aliter Zabarella interpretatus fuerit. Ex ſupra igitur dictis claret,quòd phyſicus tractare etiam debet, & eidem licet, de primo motore,verùm quo ad nomen,non quo ad eſſentiā, hoc eſt,an ſit,non quid ſit;vt probat Auerroes:ideo ab his dictis tuorum dubiorum ſolutio elici poterit.

2. Phyſic. tex 73.

Lib. de naturalis ſcientiæ conſid. r c 2.

In com. 2. Phyſ t 73.

Ca. Et ſi res,ut ais,ſit,terminos tamen allatos ignoro, ueluti quidditatiuè,eſſentialiter,quo ad quid eſt, atque huiuſmodi reliqui termini prorſus me latent.

Ph. Res ex ſe ſatis intellectu difficilis eſt; namq; ad horū terminorum intelligentiam multa requiruntur; non enim, ut ſæpè dixi, te tot, tantaſq; perbreui tp̄e docere res propoſui; hæc profectò mea nō fuit ſententia,ſed aīum tuum ad tantū impellere negotium,ac quandam tibi præbere uiam ad omnia,quæ compendioſè trado,methodicè intelligenda,ac adipiſcenda:attamen ne oīno hæc dicta tibi ignota ſint, aliqua pro eorū intelligentia clariori via,qua potero,exponam.

Ca. Quæſo id libenter facito,ut mens quieſcat.

Ph. Nota igitur,quòd idem eſt dicere per ſe, quidditatiuè, quo ad quid eſt,atq; eſſentialiter:ideo aliquid hac uia intelligere eſt ſcientiam habere,nedum de eſſe illius rei, verū de ſua natura,uel eſſentia,de qua ſit quæſtio; hæc aūt cognitio habetur per definitionē rerum,quę conſtat ex genere & differentia: vt exemplo ſi quæratur, quid ſit homo, reſpondendum Animal,& ſic habetur genus,ſcilicet Animal, additur rationale,riſibileq; tanq̄ differentiæ;non enim ſatis eſt Animal dicere,quia iſtud nomen omnibus animantibus cōuenit; itidem non ſufficeret dicere eſt Animal mortale, quia hęc differentia cum ſit communis cæteris uitam degentibus,non dat cognitionem hominis,niſi communem; quare opus eſt differentias eſſentiales,ac proprias p̄bere,vt vera cognitio ipſius hominis habeatur; ideo reſponſio fuit, eſt Animal rōnale,itidem & riſibile, quia etiam hæc differētia eſt ꝓpria,& particularis ipſius hominis: ideo hoc mō tractādo in cognitionē eſſentię ipſius hominis ducimur, vt etiam cæterarū rerum nālium. Si aūt q̄ratur ſolùm an aliqd ſit, vt

Explicatio aliquorum terminorū.

Exēplū de qōne facta per qd eſt.

Exēplū de qōne facta per an ſit.

an homo ſit, ſatis erit reſpondere; eſt Animal, vel eſt ens animatum, vel ſubſtantia animata; atque hoc modo monſtratur, quòd homo ſit quantum ad nomen, non quantum ad eſsentiam.

Ca. Hos quærendi modos (dùm nudiustertius probaſti medicum vltra ſubſtantię cognitionem etiam de accidentibus diſſerere poſſe) mihi optimè tradidiſti; itidem & ſignificata per quia eſt, & propter quid eſt: ideo his iam intellectis, ſi lubet, quibus in libris Ariſ. totam naturalem philoſophiam ſcribat oſtendito; ordinemque, quo in tradenda hac doctrina vſus eſt, dicito.

Ordo librorum Ariſt. in quibus totam naturalē philoſophiam tradit.

Ph. Multi ſunt libri, in quibus tota naturalis philoſophia ab Ariſt. ſcripta cōtinetur, quorum primi, ac præcipui ſunt octo phyſicorum inſcripti, poſt quos quatuor de cœlo ac duo de generatione, & corruptione ſequuntur, deinde alij quatuor de Meteorologicis habentur, quibus Animalium, atque eorum, quæ ipſis inſunt, tractatus ſubſunt, qui plures in libros diſtribuuntur, quorum primi de Hiſtoria animalium decem ſunt, poſtea quatuor de partibus Animalium inſcripti ſubſequuntur, quibus additur liber de Animalium inceſſu, & alter de eorum motu, quinque de ipſorum generatione, treſque de anima appellati, poſt quos collocantur, qui parua naturalia vocātur, quorum tituli ſunt de ſenſu, & ſenſilibus, de memoria, & reminiſcentia, de ſomno, & vigilia, de ſomnijs, de diuinatione per ſomnium, de longitudine, & breuitate vitæ, de iuuentute, & ſenectute, de vita & morte, de reſpiratione, de ſanitate, & morbo, vltimoq; loco duo de plātis reperiuntur; atque totius naturalis philoſophiæ tractatus ita perficiuntur. Hi libri ab aliquibus ſecus ordinari ſolent, ſed quoniam id parui ad rem facit nil aliud addo.

Ordo tradēdi doctrinas triplex lib. artis Med. c. 1. in proœmio primi libri de phil. naturali.

Ca. De Methodo igitur, quid opus ſit, palam facito.

Ph. Methodus, ſeu ordo, quo vſus eſt Ariſt. in naturali doctrina tradenda, eſt à cauſis ad effectus, triplex enim eſt Methodus, quo quæcunque doctrina monſtrari poteſt (vt Galenus ſcripſit, & vt à Pernumia viro celeberrimo probatum eſt) horum autem ordinum primus cōpoſitiuus, ſiue diuiſiuus, ſecundus reſolutius, tertius definitiuus appellatur: ideo cōpoſitiuo ordine procedit in demonſtratione à cauſa incipiendo, ac ad vltimum effectum progrediendo; vel dicamus cū

Ordo cōpo. 1. de par. Ani. cō. 2.

Auerroe,

Auerroe, quòd ordine compoſitiuo docetur à notioribus naturæ inchoãdo, ad notiora nobis deſcendendo, hoc eſt, ab vniuerſalioribus ad particularia. Reſolutiuus autem ordo cõtrarius eſt compoſitiuo nam ille à cauſa ad effectum, iſte ab effectu ad cauſam contingit; cùm omnia in primam cauſam reſoluantur, ideò à notioribus nobis ad notiora naturæ procedendo primæ cauſæ quæruntur. Definitiuus vero medio modo inter duos dictos ſe habet in demonſtrando, quia nec prorſus à cauſa, nec ſimpliciter ab effectu incipit: ab effectu ſiquidem non ſimpliciter, ſed definiendo, definitionemq; in ſuas partes diſtribuendo; de quo modo ſatis ſupra dictũ fuit: quare his conſtitutis dico, quòd Ariſt. in demonſtrando, ac totam ſcientiam tradendo vſus eſt methodo compoſitiua, ſeu diuiſiua à cauſis incipiens ad effectus progrediens, veluti in Phyſicorum libris tractauit, in quibus incępit cauſas, ac principia rerum naturalium demonſtrare, atque inde ad effectus progredi: ideo ait. *Ea, quæ ſunt circa ſcientiæ principia, quę de natura ſunt, primum demõſtrare tentandum*. itidẽ *ex vniuerſalioribus ad particularia procedendum eſt*: Quia vt ait Auerroes in uia doctrinæ procedendum eſt ex vniuerſalioribus ad particularia, hoc eſt, à cauſis ad effectus, ſiue à notioribus natura ad notiora nobis: notiora enim natura vniuerſaliſſima principia, & cauſæ ſunt; at effectus earum nobis notiores ſunt, ut affirmat Auer. loco citato, & ut ex Ariſt. verbis clarum eſt, ait. n. *Notius dupliciter accipere contingit, aut nobis, aut ſimpliciter: notius ſimpliciter (hoc eſt naturæ) eſt prius poſteriore, nobis autem econtrario accidit.* Quare his verbis, & alijs determinat, melius eſſe ſimpliciter per pauciora poſteriora tentare agnoſcere, cùm dicat iſtud magis ſcientificum eſſe; quare hoc modo in philoſophia naturali ſe geſſit.

Ordo reſolutiuus.

Ordo definitiuus.

Ariſt. uſus eſt ordine cõpoſitiuo.

1. Phyſic. tex. 1.
Eodẽ libro tex. 4.
Aue. in cõ.

Quæ ſint notiora natura, & nobis.

6. Topic. c. 3. notius dupliciter.

Ca. Ardua, ac intellectu difficilia hęc omnia videntur; niſi clariora verba mihi prębeas, nihil, aut parum horum perſpectũ habeo.

Ph. Cùm philoſophiæ, logicæque cognitione careas, haud quidquam horum intelligendi tibi eſt poteſtas; circa enim iam dicta nonnullæ oriri ſolent difficultates, quæ non de facili ſolui poſſunt; quare ne à breuiori incępta uia proficiſcamur; hæc pergere decreui, quæ opportuniori tempore tibi clarius demonſtrare polliceor.

Ca. Reliqua igitur aggrediamur.

NATVRALIS PHILOSOPHIA DIVISIO. *in proœm. 1. Phyſic.*

Ph. Vt ordo exigit, à naturalis philoſophię diuiſione inchoamus, quæ in duas partes diuiditur: quarum prima eſt rerum communium omnibus rebus naturalibus (vt Auer. aſſerit.) Altera de rebus proprijs vnicuique generi naturarũ diuerſarum conuenientibus tractat: ideò propter hanc diuerſitatẽ generum varij conſtituti fuerunt libri ab Ariſt. quorum mentio ſupra facta fuit; vel dicamus, quòd in prima parte de corpore naturali, quatenus genus eſt, deque eius principijs, ac de illis paſſionibus, quæ vniuerſaliter eidem conueniunt idem Ariſtoteles agit, in ſecunda de omnibus ſpeciebus eiuſdem, ac de illis, quæ ipſis inſunt ſpeciebus, veluti de omnibus proprijs accidentibus. Quare prima tractatio in phyſicorum libris, ſecunda in reliquis ſupra prænominatis continetur: ideò ut à phyſicorum libris initium capiam, tanquam ab his, in quibus habentur principia, ac radices (vt Auerrois verbis vtar) eorum, de quibus in hac ſcientia idem philoſophus pertractare uoluit, dico, quòd libri phyſicorum in duas diuiduntur partes, quarum prima duos primos amplectitur libros, alteraque reliquos.

qd in vtraque parte philoſophię tractetur.

libri phyſicorum in duas partes diuiduntur.

Ca. Quid in prima parte tractetur, deinde quid in alia nunc narrare decet.

SVMMVLA LIBRORVM Phyſicorum.

Ph. In prima parte, nempe in duobus primis libris phyſicorũ de principijs, ac cauſis rerum naturalium agitur, nedum intrinſecis, verùm extrinſecis: ideo poſt multas diſputationes aduerſus antiquorũ opiniones adductas determinat Ariſt. q̃ neque unum, neq; infinita rerum naturalium ſunt principia, ſed finita, ac plura, q̃ vnum: ideo tria eſſe materiam ſcilicet, formam, ac priuationẽ probat; deinde quid natura ſit oſtendit, & quæ naturam habent, itidem & quæ à natura ſunt, declarat, differentiamq; inter Mathematicum, Phyſicũq; monſtrat. poſtea quales ſint rerũ cauſæ naturales, tã per ſe, quã p accidens patefacit: ideo quatuor p ſe materialẽ formam, efficientẽ, finalemque eſſe determinat, cęteras accidentales doctiſſimè probat, quarũ caſum, & fortunã eſſe aſſerit. Alia ẽt quamplura huic negotio coniuncta differendo docet, quæ breuitatis gratia pergo; hæcque omnia in duobus primis libris tractauit. In cæteris de omnibus vniuerſaliter naturalem motum concernentibus locutus fuit (vt Alex. placuit.) vel

Principia rerum naturalium quot.

Quatuor ſunt cauſa rerũ natural. cæ𝔤 accidentales rerum.

1. Meteor. c. 1.

vel dicamus, quòd de accidentibus vniuerſalibus ad omnia corpora naturalia ſpectantibus ſermonem habuit.

Ca. Quæ ſunt huiuſmodi accidentia vniuerſalia?

Ph. Tempus, locus, infinitum, vacuum, motus, ac ea omnia, quæ ad ipſius motus intelligentiam conducunt, veluti eſt motuum diuerſitas, ac contrarietas, necnon & ipſius partibilitas; itidem Motor primus in ordine ad ipſum motum conſideratus, finitas, ac infinitas eiuſdem motus: aliaque quamplura ad rerum prędictarum ſcientiam in eiſdem libris ſcripta habentur; quorum expoſitionem nimium prolixam fore, ſi omnia recenſere vellem, puto; ideo his relictis ad cęteros libros accedamus, quorum ſummulam paucis eſſe abſoluendam cenſeo; quandoquidem inſcriptiones, quæ in eiſdẽ tractantur, ſatis oſtendunt. cęterum ſi horum clariorem cupies cognitionem Logica intellecta, ac Phyſicorum libris auditis reliqua ad naturalis philoſophiæ tractatus ſpectantia tuo marte facile ſcire poteris: ſi tamen de anima aliqua prius tibi fuerint declarata, his enim acquiſitis cætera, quæ prædictis libris continentur, neque ardua, neque difficilia tibi erũt comprehenſu.

Ca. Prorſus, quid ais, affirmo, ſed dic? antequam hæc dicta adeptus fuerim quot vigilias pati neceſſe erit?

Ph. Nè cadas animo, caue, & quæ dixi recordare, nè eadem repetere cogar; ideo vt ad præſens inſtitutum me conuertã, dico, quòd Ariſt. quatuor in libris de cęlo (qui poſt eos de phyſico auditu collocari ſolent) agit de vniuerſo Mundo, ac de eius partibus: quare primo libro concludit vniuerſum eſſe perfectum, atque in hoc præter ſimplicia corpora grauia, & leuia ponendum eſſe vnum ſimplex, quod nec graue, nec leue eſt; iſtudque natura moueri motu locali circulari, cùm alterius motus capax non ſit, nec cuiuſcunque mutationis, alterationiſque: poſtea Mundum eſſe quantitate finita factum, & quòd vnus ſit, non plures probat, extra quem neque vacuum, neque plenum reperiri poſſe ratione exiſtimat; vltimoque loco pulchram mouet diſputationem, nempe vtrum generabilis, ac corruptibilis ſit: ideo concludit nullũ ſempiternum generabile, aut corruptibile eſſe poſſe.

SVMMVla librorũ de cœlo.

Ca. Multa equidem in hoc libro tractauit.

Ph. Hæc ſunt præcipua, quamplura enim, vt ordo propoſitus ſerue-

ſenuetur præterini; in ſecundo igitur libro de cœleſti corpore agit; ideo in primis ipſius cœli incorruptibilitatem, ingenerabilitatemque probat, ac circa motum eiuſdem multa tradit, cuius formam ſphęricam eſſe monſtrat; deinde naturam ſtellarum, veluti ordinem, poſitum, motus, earumque figuram patefacit; poſtremo de tota terra agit, ac omnia, quę eius cognitioni ſunt neceſſaria, oſtendit. in reliquis duobus eius præcipuus ſcopus eſt de elementis tractare, eorumque ſubſtantiam, qualitatem, motum, generationem & denique totam eorum naturam, monſtrare; multaque alia his in libris habentur particularia, quæ cùm in prædictarum rerum gratiam ſint tradita, ea ſilentio prætermitto.

Ca. Generationis, ac corruptionis libros aggredere.

SVMMVLA librorum de generatione, & corruptione.

Ph. Horum duorum in primo agitur de rerum naturaliũ generatione, alteratione, ac augumentatione, harumque tranſmutationum differentiæ monſtrantur; præterea de tactu, de agere, de pati, deque rerum ipſarum mixtione ſermo fit; cauſæque, ac rationes, quibus hæc omnia contingant, quæritur, ac determinatur. In ſecundo autem libro elementorum numerum, principiaque idem Ariſt. inquirit, quorum elementorum, generationem, ac corruptionem patefacit, ex quibus mixta generari oſtendit, poſtremoq; cauſas, ac rationes omnium dictorum tradit; multaq; in his ſcribendis tractat, quorum mentionum ſilentio inuoluo.

Ca. Meteorologicorũ, ni fallor, ſequenda eſt tractatio. poſtea de Animalium libris ſermo habendus erit.

In proœmio Meteor.

Ordo aliquorum librorũ naturalis philoſophiæ.

Ph. Ariſtoteles ſic habet, qui commemorans ea, quæ de naturali philoſophia dicta ſunt, dicendaque de horum tractatuum ſerie verba faciens, ait, *poſtquam ea, quæ ad generationem, ac corruptionem ſpectant expleta ſunt, reliquum eſt, vt de Meteorologicis ſermonem habeamus, deinde de Animalibus, necnon & de plãtis differendum erit: atque hìc totius naturalis philoſophiæ finis erit.*

Ca. Vt veſtigia eius ſectaris, Meteorologica ſequitor.

Lib. 1. de naturali Phil. c. 8.

SVMMVLA librorũ Meteo.

Ph. Quæ ad Meteorologica pertinent in quatuor libris ab eodem Ariſt. fuerunt digeſta; quorum tres primos propriè ad eadem ſpectare, alterum ad generationis, ac corruptionis tractatus potius attinere aliqui volunt; optimèque Benedictus Pererius iſtud probauit; vt igitur præcipua, quæ in Meteorologicis tractantur, commemorem, dico, quòd Ariſtot.

poſt

poſt epilogum dictorum, & dicendorum ſe extendit ad elementorum cognitionem, eorum poſitum, euaporationemque monſtrandum, ac iſtorum vaporum numeros, impreſſionumque cauſas vniuerſales tradendas; deinde particularē tractationem eorum, quæ ex accidenti in elementis generari ſolent aggreditur; quæ ob varios vapores adueniunt; veluti ob ſiccam, calidamque fumoſam exalationem, vel ob frigidam, & humidam: quarum ex prima fulgura, fulmina, ac huius generis alia, ex ſecunda pluuiæ, nix, grandines, aliaque his ſimilia producuntur: ideo huiuſmodi rerum, quas recenſui, tractatio tribus primis libris continetur, cui in fine tertij pauca quædam de illis leguntur, quæ in viſceribus terræ generantur

Ca. Breuius, quàm mos ſit, hos libros abſoluiſti; quæſo diffuſius rem exponito.

Ph. Libenter id faciam; ideo ſcito, quòd in primis tribus libris ignitas impreſſiones idem Ariſt. oſtendit, quæ ex calida, ac ſicca oriuntur exalatione; vnde quid Galaxia, ſeu lacteus circulus, quid Cometa, quid variæ imaginum ſpecies in ſuprema aeris regione exortæ, atque quid varij in eiuſdē regionibus apparentes colores, & quo modo fiant, patefacit: poſtea de rore, de pluuia, de nubibus, de niue, de grandine, atq; huius generis de alijs à vaporibus humidis prouenientibus agit; itidem quid fontes, & quæ ſint eorum generationis naturæ, monſtrat; quibus Maris ſpeculatio ſubſequitur; ideo quæ ad ipſius originis intelligentiam neceſſaria ſunt, tradit; ſitusque, diuiſionis, ſalſedinis, fluxus, ac refluxus, & vt vno verbo dicam, totius eſſentiæ ipſius Maris tractatum nobis præbet, ac palam facit: cęterum quantum ſpectat ad ventorum, ac terręmotus ſpecies, omnia, quæ ſciri poſſunt, methodicè ſcribit: his equidem tractationem eorum addit, quę ex vapore ſicco in vapore humido clauſo gignuntur; veluti ſunt fulgura, tonitrua, fulmen, hisque ſimilia; vltimoque tertij libri loco varios colores nubium commemorat, atque eorum cauſas monſtrat, vt eſt coloris Areæ, Iridis, Virgæ, ac huius ſpeciei aliorum; item, vt iam dixi, aliqua addit, quæ ſub viſceribus terræ producuntur: q̄d aūt in quarto doceat paucis oſtendam; nam omnia reducuntur ad opera primarum qualitatum; ideo quid ſimplex generatio, quid corruptio, quid

putrefa-

putrefactio, quid concoctio, ac inconcoctio ſit, exponit, eorumque ſpecies notas facit; itidem & qualitates, tàm paſſiuas, quàm actiuas oſtendit, corporūmque ſimilarium aliquam cognitionem tradit, atque hic Meteorologicorum librorum eſt finis.

Ca. Animalium tractatio examinanda eſt, vt ordo exigit.

SVMMVLA librorum de Hiſtoria Animalium.

Ph. Talis tractationis Hiſtoria ipſorum Animalium primū locum habet, in qua multa de quarumcunq; ſpecierum cognitione ſcribit; quarum mentionem particularem ad prolixitatem euitandam prætereo; quandoquidem poſt aliqua vniuerſalia harum ſpecierum ab ipſo tradita (veluti eſt partium Animalis ſimilarium ac diſſimilarium cognitio, ac inter Animalia differentiæ, quæ haberi ſolent per vitas, actiones, mores, ac partes, vt ipſe Ariſt. ibidem ait) ad particularium enarrationem ſe conuertit, atque tot, tantaque decem in libris ſcribit circa Animalium omnium cognitionem, quòd omnia illa in capita redigere abſque longa mora fieri minimè poſſet; Quocirca cùm Ariſt. ſcripta ex ſe clara ſint, hæc dicta ſufficiant.

Lib. 1. c. 1.

Ca. Nè à more abeas, vt inſtitutum noſtrum exigit, rem tractabis; quare de partibus Animalium, ac de eorum generatione verba facito.

DE LIB. de partib. ac generatione Animalium.

Ph. De hac materia, etſi multa eſſent dicenda, breuibus tamen rem abſoluam; quandoquidem multa per Hiſtoriam oſtenſa fuere, quorum repetitio his in libris de partibus, ac de Animalium generatione habetur, verùm enimuero, quæ his in libris repetita ſunt, per enarrationem inſtar Hiſtorici tradita fuerunt in libris illis de Hiſtoria, hìc autem per quæſita, rationeſque methodicè exponuntur, vt ait ipſe Ariſtot. nam Hiſtorici non intereſt ea, quæ narrat, per rationes tradere; iſtud equidem ad Philoſophum, nō ad Hiſtoricum pertinet: Quare his in libris de naturis quorumcunque generum Animalium, ac eorum partium agit; generationeſq; per quatuor cauſas quærit; non enim fieri poteſt cuiuslibet rei cognitionem haberi, niſi quid eius natura ſit, quid forma, quid efficiens, & denique quid finis intelligatur; hæ enim quatuor cauſæ ſunt illæ, quas homo ſcire cupit pro cuiuſcūque rei intelligentia, vt Auer. ſcripſit; ideo profeſſor ſcientiæ Animalium debet firmiter credere (vt idem Auer. ait) ea,

2. li de partibus Animaliū c. 1.

1. de anim, gen c. 1.
1. de part, Animal. c. primo.

quæ

quæ Animalium quorumcunque generum ſenſui apparēt; veluti quòd ex materia,& forma cōſtant,quòd caput, quòd manus,atque huiuſmodi alia membra eiſdem inſint,quibus per quatuor cauſas reliqua quærere debet,& primo quo modo Animal conſtitutum ſit, & vt quærens iſtud ſciat,oportet eum efficientem cauſam perſcrutari, ex quo vero genitum,materialem, ſi eſſentiam,ac naturam cupiat, formalē, nedum accidentalem (quæ tàm viuo,quàm mortuo homini conuenit) verùm etiam eſſentialem, quæ dat eſſe rei.

Ca. Qualis eſt cauſa hæc,quæ dat eſſe rei?

Th. Anima ipſa,quæ ab Auer.animantis vltima forma vocata fuit. Si autem cuius gratia res ſit exoptet,per finalem cauſam iſtud inueniat. hoc igitur modo in his libris de partibus Animaliū, & eorum generatione Ariſt.ſe gerit;quare ibi de partibus agens naturas, ac eſſentiā partiū, tùm ſimilariū, tū diſſimilarium, quorumcunque Animalium patefacit, cùm prius, quomodo neceſſitas in rebus inueniatur, quæſiuerit; quibuſdam etiam regulis poſitis, quarum medio Animal tanquàm genus in ſuas ſpecies diuidi poſſit; etenim nō vno, & eodem modo omnia Animalia ſeſe habent, tametſi eiuſdem ſint ſpeciei; ideo his ſcriptis, ac monſtratis ea, quæ in Animalium Hiſtoria tradidit, multis rationibus, ac cauſis ea quærit, atque exponit; hæcq; præcipua de partibus Animalium librorum eſt intentio. In illis vero de iſtorum generatione (vt perfectus euaderet tractatus) quorumcunque generationis Animalium cauſas tradit, tàm materialem, quàm efficientem (vt Auerroi placuit) cùm in præcedentibus libris per alias duas cauſas docuerit, ac rem perſcrutatus fuerit, nempè per formalem, ac finalem: ideo quomodo ex ipſis duabus cauſis, materiali ſcilicet, & efficiente omnia generētur Animalia patefacit; etenim præcipuus Ariſt. ſcopus his in libris (vt ipſemet recenſet) eſt, ea tractare, quæ ad generationem pertinent; atque cauſam motus in Animalibus, ſeu mouētem cauſam monſtrare, deq; generatione cuiuſcunq; agere; dùm tamen hæc tractat, quamplura & ea quidem per pulchra, ac delectabilia aperit, ac patefacit; quę perlegere vtile, iucundumque, ac Philoſopho neceſſarium eſt; ideo ne vlla horum indigeas cognitione, ad fontem confugere tibi opus erit; ibi namque quæſita prorſus explicata inuenies, quæ

loco citato

Quid in libris de partibus Animaliū tractetur.

Quid in libris de gener. Animaliū agatur.

Lib. 1. c. 1. de gener. Animaliū.

Lib. 1. c. 1. eorundem librorum

quæ iucunda tibi fore, non ambigo.

Ca. Approbo,ſed vt,quæ lecturus ſum, mihi magis innoteſcant, partium ſimilarium, ac diſſimilarium declarationem præbe,deinde quæ ſequuntur trades.

Partes ſimilares,et diſſimilares.

Ph. Similares res,ſiue partes illæ dicuntur,quarum quælibet pars ſimilis eſt toto, ac cum ipſo toto eandem habet appellationem;veluti eſt plumbum,& æs,caro,oſſa,vitrum, atque huiuſmodi alia, quorum quæuis pars eiuſdem eſſentiæ eſt cum toto, eandemque habet denominationem: ſimilare etiam vnumquodque horum dicitur,quia vndique in ſimiles diuidi patet poteſt. At diſſimilaria, ſeu inſtrumentalia ſunt ea, quæ in ſimiles partes minimè diuidi poſſunt; veluti eſt caput,manus, pes, atque huius generis alia Animalium membra;quæ etſi ex ſimilaribus partibus conſtituta ſint,nō tamen in ſimiles diuidi poſſunt; itidem horum pars nulla cū ſuo toto eandem habet denominationem; ſed diuerſæ ſunt partes,nec eandem eſſentiam,nec idem nomen cum ſuo toto habent: atque hæc ſunt,quæ pro horum declaratione voluí dixiſſe,quibus intellectis ad librorum de anima accedendum eſt, prius tamen aliquibus de inceſſu Animalium, ac eorum motu traditis, quæ primo loco ſunt collocanda, vt ordo Ariſtotelis ſeruetur.

Ca. Conſultò erit,ſi Ariſtotelis ordinem imitaberis.

Intentio libri de inceſſu Animalium.

Ph. Vt igitur rem proſequar,dico, quòd intentio Ariſt. in libro de inceſſu Animalium (vt ab initio eiuſdem libri legitur) eſt perſcrutari quotnam paucioribus Animalia moueātur notis; poſtea propter quā cauſam ſanguine prædita quaternis, exanguia vero pluribus moueantur notis;deinde cur Animalium alia pedibus careant, alia bipeda, aut quadrupeda exiſtant; ſic etiam cur pedes omnibus pares ſint; atque huiuſmodi ſimilia ad hanc rem ſpectantia tractat,veluti circa inflexus membrorum, & priuatim crurum Animalium, de quibus multa ait Poſtea altero in tractatu de Animalium motu in primis ſuam intentionem proponit,quæ eſt de Animalium ipſo motu per cauſam,& rationem agere velle,perſcrutando omnia ea,quæ ad ipſorum motuum veram intelligentiam conducunt,inquirendo eorum differentias, accidentiumque cauſas; ideo Ariſtotelis intentionis hic eſt epilogus.

Tractatio libri de motu Animalium.

Ca. Satis de his, nunc de anima aliquid dic, poſt cuius inueſtigationem reliqua deinceps erunt percurrenda.

Ph. Paucis tamen negotium abſoluendum erit; quia cum ſcientia ardua, ac intellectu difficilis ſit, vt docet Ariſt. multa enim pro ipſius intelligentia, vti vera permittenda, quæ prorſus tibi ignota ſunt; ideo ne intellectui confuſionē præbeamus, ac nè inter demonſtrando negotiumque tradēdo nimium prolixum protrahamus ſermonem, quod à noſtro eſſet deflectere ſcopo: ſolùm præcipua, de quibus in hac ſcientia agitur, commemorabo, nè ſaltim vniuerſaliter, quæ in ea tractentur, ignores; quorum determinatio nunc te latebit; tàm vaſti enim Pelagi, tàm paucis aggredi determinationem, nefas eſt, iſtud enim fieri ſolet varijs argumentis, ac pluribus demonſtrationibus.

Lib. 1. de anima c. 1

Ca. Vt negotium exigit, abſque mora tractabis.

Ph. Ideo Ariſtoteles in primo libro de anima incipit nobilitatem, ac huius ſcientiæ difficultatem proponere, deinde antiquorum opiniones circa animam, ac eius potentias recenſet; quas omnes varijs argumentis confutat, ac refellit. In ſecundo quid Anima ſit oſtendit, dicēs quòd eſt actus primus naturalis corporis potentia vitam habentis. hisque ſic determinatis de animæ potentijs ſermonem facit, de quarum ordine, ac definitione multa determinat, veluti de potentia vegetatiua, de ſenſitiua, ac de ſenſibus diſputat; ſicuti de viſu, & viſorio, de auditu, de olfactu, & olfactili, de guſtu, & guſtabili, de tactu, & tangibili: ſextumque ſenſum dari negat; atq; quid ſenſus communis ſit declarat; vltimoque loco quomodo intelligere, ſapere, ac ſentire differant, quidque imaginatio ſit oſtendit, ipſamque neque ſenſum, neque ſcientiam, neque intellectum, neque opinionem eſſe affirmat; atq; hìc ſecundi tractatus eſt finis ex Auerroe, non ex Græcis. Ideo tertij libri intentionem in epilogum redigamus, in quo de intellectus poſſibilis eſſentia agere incipit, & quomodo in actu, & in potentia eſſe dicatur, docet: quare ad eius intelligentiam multa tradit, veluti immixtū eſſe, ipſumque corpore non vti, à quo ſeparabilem eſſe ſcribit, ex quo elici poteſt, de potentia materiæ eductum non eſſe, etſi aliter Alexander exponat; quare immixtū, ac à corpore ſeparabilem eſſe clarè ab Ariſt. intelligi poteſt; ideo intellectus immortalitatē habet;

SVMMVLA librorū de anima.

Animæ definitio vniuerſalis.

Intellectū immortalem eſſe. Lib. 3. c. 1.

Aīa mortalis ex Alex.

habet; hìc tamen pro intellectu animam rationalem capio. quidquid aũt de hoc Alexãder, ac eius sectatores ſentiant, & quibus rationibus ſuam opinionem probent; non eſt cur in præſenti rem exponem; hæc etenim mea intentio ſemper fuit, omnes ſcilicet dimittere quæſtiones.

Ca. Vt vſum ſerues, id conueniens eſt.

Ph. Poſt igitur multa pro intellectus cognitione tradita, incipit monſtrare quid, & qualis ſit intellectus agens; ideo de ipſius intelligibilibus obiectis verba facit, differentiamq; inter practicum, & ſpeculatiuum declarat, animamque omnia eſſe, & rerum formas quomodo intelligatur, patefacit; eamque ſine phantaſmatibus non intelligere exponit. inſuper quòd intellectus, & voluntas cauſa ſint, vt animal moueatur, oſtendit, deque omnibus mouentibus in animalibus imperfectis ſermonem inſtituit; quæ autem potẽtiæ animæ neceſſariò Animalibus inſint, & quibus docet, ſenſumque tactus corpori animato neceſſarium eſſe, affirmat, cęteros potius ad bene eſſe, quàm neceſſarios exiſtimat: atque hæc præcipua capita librorum de anima ſunt, quibus ſic conſtitutis ea, quæ parua naturalia dicuntur, percurrenda eſſent, niſi eorum inſcriptiones ſatis, quæ in eiſdem libris tractantur, declararent.

Intellect⁹, & voluntas ſunt cauſa, vt Animal moueatur.

Parua naturalia dimittũtur, & cur.

Ca. Cùm res ita ſit ſaltim de plantarũ duobus lib. aliqd dic.

Ph. Vtique res iſtud exigit. quare in 1. libro Ariſt. tractat de plantarum vita, de facultatibus, de proprietatibus, ac de earum differentijs, in ſecundo de earum generatione, & quo modo partes ipſarũ, accidentiaq; in eiſdem generentur mõſtrat, hicque totius naturalis philoſophiæ vltimus eſt finis.

SVMMVLA librorũ de plantis.

Ca. Vltra iam dicta obſecro, vt aliqua de animæ potentijs mihi tradas.

Ph. Pro potentiarum animæ cognitione ſciẽdum, quòd tres animę ſpecies reperiuntur, quarum prima vegetatiua, & hęc in plantis reperitur. Secunda ſenſitiua, hæcque irrationaliũ eſt Animalium. Tertia in homine ſolummodo inuenitur, ac intellectiua nuncupatur. notare tamen debes, quòd in plãtis ſola vegetatiua ſufficit, vt viuãt. in irrationalibus tàm perfectis, quàm imperfectis neceſſariò vnà cum ſenſitiua exiſtere debet vegetatiua, vt vitam degant. Verùm in homine omnes tres ſpecies ſimul neceſſariæ ſunt. quocirca nedum intellectiua,

SERMO de animę potentijs.

tellectiua, verùm ſenſitiua, ac vegetatiua in homine reperitur.

Ca. Quarumcunque harum ſpecierum cognitionem quæſo mihi præbito.

Ph. De vegetatiua prius eſt dicendum; quæ tres potentias habet, nempè nutritiuam, augumentatiuam, ac generatiuam. Nutritiuæ autem (vt ſuum efficiat opus) facultas attrahendi, retinendi, digerendi, ſeu conquoquendi, atque explendi ineſt. Augumentatiua vim augendi continet. Generatiua immutandi facultatem, vimq; ſeminatiuam, ac formatiuam habet. Verùm ſenſitiua duplicem habet potentiam, quarũ altera interior, altera exterior eſt. interior ſenſitiua dicta quatuplex eſt; nempè ſenſus communis, phantaſia; ſiue imaginatio, cogitatiua (quæ in ſenſitiuis animantibus exiſtimatiua vocatur) atque memoria, quæ in homine interdum reminiſcentia dicitur, in ſenſitiuisque Animalibus ſemper memoria nominatur; quia in his actio recordandi ſit abſq; præmeditatione; at in homine ſæpè cum meditatione contingit; ideo reminiſcentia vocata fuit. exterior verò potentia ſenſitiua, viſus, auditus, tactus, odoratus, & deniquè guſtus potentia eſt: his tamen addi ſolet motiua, quæ in aliquibus animalibus imperfectis, vt in conchilijs dilatiua, & conſtrictiua dicitur; in cęteris autem vel directiua, ſeu incitatiua, & imperatiua, ſeu executiua: atque hæ ſunt omnes potentiæ ſenſitiuæ.

Animæ vegetatiuæ potentię.

Animæ ſẽſitiuę potẽtia.

Potẽtia interior quotuplex.

Exterior potentia quotuplex

Ca. Supereſt, vt de intellectiuis ſermonem habeas.

Ph. Duæ ſunt intellectus potentię, quarum altera intellectus poſſibilis, qui multis nominibus vocatur; prout ſic ratio habetur ad varios effectus; ideo materialis, diſpoſitiuus, mens, practicus, ſpeculatiuus, adeptus, atque huiuſmodi alijs modis nominatur, quia ſi habituatus eſt aliquibus habitibus, dicitur in habitu, qui habitus, ſi actiui ſunt, practicus vocatur, ſi ſpeculatiui; ſpeculatiuus: atque hoc modo de reliquis eſt intelligendum. Altera autem potentia intellectiua agens intellectus dicta fuit, quia eius officium eſt omnia facere, veluti officium alterius poſſibilis dictæ eſt omnia fieri: vltra autem has potentias altera inuenitur, quæ appetitiua dicitur, & duplex eſt; nempè intellectiua, & ſenſitiua: intellectiua eſt ipſa voluntas, ſenſitiua concupiſcibilis, vel iraſci-

Animæ intellectiuæ potentiæ.

bilis eſt: atque iſtæ ſunt omnes animæ potentiæ, quæ in homine reperiuntur, quarum declarationem opportuniori tẽpore tibi tradam; interim ſi prædictarum facilem exoptas explicationem, Vigerij inſtitutiones perleges, in quibus exactam cognitionem de illis habebis.

Cap. 1. 2. et 3. ab initio libri.

Ca. Ab hac via non diſcedam; tu quamprimum ad Medicinam explicandam proficiſcere.

DE MEDICINA ſermo. *Lib. de flatibus.* *11. Meth. c. 12.* *Quid Medicina.* *Tem. 1. doct. 1. lib. primi.* *Medicina alia theor. alia in vſu.*

Ph. Sic ordo noſter exoptat; ideo nè viam Hippocratis deſeramus, dicamus Galeno afferente, quòd Medicina eſt adiectio, & ablatio: Adiectio quidem deficientium, ablatio autem ſuperantium in hominum corporibus. verùm hæc definitio potius ad partem, quæ praxis dicitur, quàm ad theoricam ſpectat: Medicina enim, vt principi Auicennæ placuit, duas habet partes, quarum prima ſcientia principiorum, altera ſcientia modi, & qualitatis operandi eſt: prima nomine Theoricæ, ſecunda nomine praxis appellatur: ideo Theoricam partem ſcientiam ſcientialem, praxim ſcientiam operatiuam vocauit: Hęcque ea eſt, quæ tàm grata, tàmque à priſcis illis ſapientibus habita in honore, ac magna veneratione fuit, cùm vno ore omnes, nedum Theologi, Philoſophi, Medici, ac Hiſtorici confeſſi fuerint à Deo hanc eandem originem duxiſſe (vt Ficinus, Plinius, ac Tiraquellus teſtati fuerunt, varijsque auctoritatibus probarunt) verùm ſacræ litteræ hoc idem canunt, quod ſæpè ſupra nudius tertius oſtenſum fuit; & priuatim per Eccleſiaſticum, in quo habetur. *Omnis Medela à Deo*, & inferius. *Altiſſimus de terra creauit Medicinam, & vir prudens non abhorrebit eam.* Legitur etiam. *Deus de fragilitatis ſuę ſedis ſolio produxit in largitate ſua Medicinam benedictus, glorioſus, & excelſus.* Hæc igitur eſt ea, quæ tàm vtilis, tàmq; humano generi neceſſaria ſemper fuit, vt homo abſq; ipſa perfectè vitam degere nequeat; porrò hæc magnus eſt Theſaurus, in quo omnia naturæ arcana reperiuntur ad tuendam ſanitatem, eamq; recuperandam, qua nil precioſius, nilq; præſtantius: ideo Medicina nedum vtilis, verùm neceſſaria eſt: cuius altera definitio à Galenus allata fuit dicente. *Medicina eſt ſalubrium, & inſalubrium*, atque alias addidit; *& neutrorum*.

Medicina à Deo. *4. Epiſt.* *Li. 25. c. 1.* *Li. de nob. c. 31. nu. 2.* *Cap. 38.*

Homo abſque Medicina optimè viuere nequit.

Ad Tranſib. c. 8. *Lib. q. Medicus iſcriptus eſt.*

Ca. Adeo vtilem, ac neceſſariam hominibus eſſe Medicinam

nam

nam exiſtimas; legitur tamen Romanos abſque ea diù vitam duxiſſe.

Ph. Si vtilitatem, ac Medicinæ neceſſitatem non concedis, nedum ſacras litteras, verū ſenſum ipſum negas: Quare Romanos vitam ſine Medicina diù degiſſe à vero longè abeſt; cùm ſine Medicis, non ſine Medicina: illudque teſtatus fuit Plinius dicens, quòd etſi Romani vltra ſexcentum annos ſine Medicis degere voluerint; Medicinæ tamen auidi fuerunt, ac ſtudioſi: ideo partem illam, quæ diçta vocatur, priuatim obſeruarunt; quandoquidem in conuiuijs diuerſitatem epularum non admittebant; vt Athenæi teſtimonio comprobari poteſt, qui memoriam faciens de Romanorum Cęna ait, quòd Herculeus conuiuij apparatus talis erat, nempè Mulſa, Magni panes, elixæ carnes, & nuper iugulatarum victimarum carnes aſſatæ. itidem ait, quòd apud Romanos neque domeſticus, neque fœminæ, neque iuuenes, niſi ad triginta annos attingiſſent, non vtebantur vino; ex quibus clarè patet, quòd ſi neglexerint Medicos, Medicina tamen continuo vſi fuerunt: ideo his iam cognitis ad partes ipſius Medicinæ accedendum eſt.

Romani nō ſine Medicina vitam degerant.
Lib. 29. c. 1
A Dipnoſophiſt. c. 11.
Romanorū cęna.
10 Dipno. c. 9.

Ca. Quot ſunt hæ partes?

Ph. Quinque, vt ex Galeni ſcriptis intelligi poteſt. quarum prima rerum naturalium contemplationem amplectitur, ſecunda cauſarum, ac affectuum præter naturam conſiderationem habet, tertia ſanitatis tuendæ rationem tradit, quarta ſignorum obſeruationem, & denique, quinta Methodum medendi præbet, ac patefacit. Hæ autem partes à Galeno ſic nominatæ fuere. φυσιολογικὴ, παθολογικὴ, ὑγιεινὴ, σημειωτικὴ, καὶ θεραπευτικὴ; quæ in tres ſubdiuiditur partes, quarum altera διαιτητικὴ, altera φαρμακευτικὴ, atque poſtrema χειρουργικὴ dicta fuit.

Medicinæ par. quinq. Lib Medic. ſcripto.
Medicinæ partiū qd vnaquæq; tractet.

Ca. Vbi hæ partes tractentur? & à quibus Auctoribus fuerunt ſcriptæ?

Ph. Galenus omnes ſcripſit, atq; eas multis in libris nos docuit; ideo prima pars φυσιολογικὴ dicta ab eo tractatur in libris de elementis, de temperamētis, de facultatibus naturalibus, de fętus formatione, de placitis Hippocratis, & Platonis, de vſu partium humani corporis, atq; in illis, in quibus res ana-

PARES Medicinæ vbi tradātur.

thomicas tradit. Secunda παθογογικη appellata continetur in tractatibus de morborum, ac ſymptomatum cauſis, ac differentijs, atq; in illis de male affectis locis. Tertia υγιεινή vocata habetur in libris de tuenda ſanitate, de alimentorum facultatibus, atq; in eo, cuius titulus eſt, de cibis boni, & mali ſucci Quarta, quæ σημειωτικη vocata fuit, pertinet ad libros de criſibus, de diebus decretorijs, de differentijs febrium, de prænotione, deq; ex pulſibus prædictione. Quinta, ac poſtrema ad medendi methodum attinet, quā Gal. in quatuordecim libris nos docuit, quorum titulus eſt, methodus medendi. Hęc aūt cum tres in partes diſtributa fuerit, harū prima (quā διαιτητικηὸ vocauimus) ſpectat ad tractatus de victus ratione. Secunda (quæ φαρμακαυτικη fuit dicta) ad curatiuam partē pharmacis vtentem pertinet, atque hæc ab eodem Gal. tradita fuit in tractatibus de ſimplicium Medicamentorū facultatibus, de compoſitione iſtorum per genera, in illisq; ſecundū loca appellatis; itidem & in alijs de Anthidotis: iſtique ſunt præcipui libri, in quibus hæc traditur Medicinæ pars, namq; multos pergo, in quibus multa ad prædictas partes ſpectātia ſcripta haberi poſſunt; quæ idem Gal. ſparſim alijs in libris ſcripſit. Tertia autem pars χειρουργική vocata ad chirurgiam prorſus refertur, de qua parte, etſi præcipuę, & particulares Galeni tractationes non reperiantur (licet aliqua hic, & illic de praxi loquēdo, quia methodum hac in parte procedendi miro ordine in prædictis methodi medendi libris tradidit, priuatimq; libro tertio vſq; ad ſextū) multos tamen libros de praxi ipſa ſcripſit, vt idem in tractatu de proprijs libris aſſeruit, quorū titulos ibidem commemorauit, qui noſtro tēpore deſiderantur; nihilominus multi Auctores non deſunt, qui hanc chirurgiæ praxim tractarūt; atq; inter Græcos vnus fuit Paulus Aegineta, qui hāc eandem libro ſexto nobis prębuit; recentiorū aūt penè innumerabiles ſunt. Vltra aūt cōmemoratos alij libri ipſius Gal ſub parte (quæ θεραπευτικη fuit vocata, hoc eſt, methodica curatiua, & in tres illas partes diuiſa) collocātur, qui oēs in ſeptima Claſſe eiuſdem Gal. librorum ordinatim habentur. hæc igitur dicta pro partium Medicinę cognitione ſufficiant, reliqua tuo ingenio perſcrutator.

Ca. Partes Medicinæ enumeratas ſi nōuis percurrere, ſaltim librorum talis ſcientiæ à Gal. editorum ſummulam trade.

Opus

Ph. Opus tàm magnum tangere, nedum in ſummulam redigere breui minimè fieri poteſt; ideo Hypocrates ſenex ſapientiſſimus dixit. *ars longa uita breuis*,& quę ſequuntur,quaſi diceret, quòd tot, ac tanta in hac arte reperiuntur, quæ vt adiſcantur,non tota vita ſatis eſſe videatur; Quare ſi longa, ſi magna, ac ampla ſit, eam paucis oſtendere non decet. horũ tamen librorum ſummulam,quam exoptas,in Lucij Scareni ſynopſi eiuſdem Galeni tractatuum inuenies. *1. aphor. aph. 1.* *Summula librorum Gal. vbi.*

Ca. Cauſa,propter quam multi aiũt Medicum ſenem iuuene vtiliorem eſſe eſt forsàn quia breui tempore ars minimè adiſci poteſt.

Ph. Ita videtur, quia cùm Medicus multa experiẽtia adiſcat, & cùm iſti,id fieri non poſſe niſi longo temporis ſpatio exiſtiment; aiunt, quòd Medicus non poteſt eſſe optimus, niſi in ſenectute conſtitutus;ſed ſæpè decipiuntur(quamuis Medicina duobus incedat cruribus experientia ſcilicet,& ratione, vt monſtrat Valleſius) nam hæc regula ſæpè nos fallit, cùm ſenex Medicus etiam poſſit eſſe ignarus; ideo contingere poteſt. vt iuuenis breui,frequenti tamen exercitatione optimus fiat Medicus;ſi bona indole ſit,rationemque morborum,cauſarum, ac ſymptomatum methodicè intelligat; vel ſaltim ſi mente in his fuerit exercitatus:veluti econtrariò (vt ſæpè viſum fuit) euenit, vt ſenex Medicus rudis,ac ignarus ſit,idque fieri ſolet,cùm talis multos non curauerit ęgrotos,nec mente exercitatus,duræque fuerit ceruicis,theoricęque ignarus: hic enim numquàm (etſi ſenex) optimus erit Medicus. *Cauſa cur credatur ſenem Medicũ iuuene eſſe doctiorem.* *Medicina duob. cruribus incedit Lib. 8. c. 1. Contr.* *Iuuenis Medicus optimus eſſe poteſt.*

Ca. Prorſus, vt ais,res explicanda eſt;ſed cùm Galeni librorum ſummulam paucis tradere nequeas;ſaltim qualis in Medicina præcipuus ſit ſcopus,oſtende.

Ph. Scopus præcipuus,ac Medici finis eſt verſari circa corporis humani ſanitatem,quatenus eam tuetur,vel eandem,vbi opus erit,reſtituat;idque Galenus pluribus in locis dixit,cuius verba hæc ſunt; *prima, & principalis Medicinę intentio eſt, aut in ſanis cum ſimilibus ſanitatem cuſtodire, aut in ægrotis per contraria eam reſtituere*: Quare vt Medicus hos ſcopos aſſequatur, neceſſe eſt multa præcognoſcere; & primo (vt idem Galen. ibidem aſſerit) neceſſaria eſt rerum naturalium ſcientia, atque talis cognitio pro prima intentione exequenda ſa- *Scopus Medicinæ. Lib. de oculis. c. 1.* *Vt Medicus ſcopũ conſequatur quid.*

tis eſt; naturalibus enim cognitis (vt ipſemet ait) patefiunt ea, quæ ſunt ſimilia ſanitati, & ſic etiam cognoſcuntur ea, quæ ſunt contraria: namque ſimilibus ſeruatis, contrarijsq; prohibitis, ſanitas cuſtoditur. Secundo debet Medicus exactam habere cognitionem de rebus non naturalibus, ac de illis, quæ contra naturam dicuntur; talisque ſcientia ſufficit pro ſecundo exequendo ſcopo; tota enim Medicina ferè ex his tribus rerum ſpeciebus conſtat, nempè ex rebus naturalibus, non naturalibus, atque ex illis, quæ contra naturam appellantur.

Ca. Nè quæſo te tedeat, clarius has res, è quibus totam conſtare Medicinam ais, mihi palam facere.

Ph. Dummodo tibi gratũ fecero, nũquàm grauabor; ideo, vt exoptas, rem tractabo, ex harumq; rerum cognitione magnum elicies emolumentum ad totam Medicinam his tribus ordinibus rerum medicinalium digeſtam facilius memoriæ reuocandam. Prima igitur pars eſt idem cum Phyſiologia ſupra commemorata, quæ rerum naturalium contemplationem ſuſcipit; porrò hæ res naturales à Medicis vocatę ſunt illæ, quibus neceſſariò corpus humanum fabricatur, ac conſtituitur; ſeptemque claſſibus diſtributæ fuerunt, quarũ primæ elementa dicuntur, quæ ſunt terra, aqua, aer, atque ignis: ſecundæ temperamenta, quæ ſi ſimpliciter conſiderẽtur, ſunt quatuor, nempè calidum, frigidum, humidum, ac ſiccum: aliç vero humores dicuntur, poſt quos partes humani corporis collocantur, deinde facultates, actiones, & vltimo loco ſpiritus ordinantur.

DE REBVS naturalibus dictis.

Res naturales quot.

Ca. Quales ſint humores, aliæque res poſt ipſos prolatæ, nundum mihi ex dictis notum eſſe poteſt.

Ph. Humores quatuor ſunt ſanguis ſcilicet, bilis flaua, atra, pituitaque: ſed partes corporis humani vel ſimplices, vel cõpoſitæ ſunt: ſimplices veluti caro, os, neruus, ligamentum, atque huius generis aliæ; quarum quælibet eiuſdem eſſentię cum ſuo toto eſſe poteſt, eandemque denominationem habet; vt exemplo carnis pars quælibet caro dicitur, quæ eandem eſſentiam cum ſuo toto habet. At compoſitæ partes ſunt cerebrum, cor, iecur, pes, atque huius generis aliæ, quarum quæuis pars non idem nomen cum ſuo toto, nec eandem eſſentiam habere poteſt; quia pars pedis non eſt pes;

Humorum differẽtia. Partes corporis humani.

ideo alio nomine appellatur, cùm eſſentia, forma differat. hę autem partes compoſitæ ex ſimplicibus illis conſtituuntur.

Ca. De facultatibus, deque alijs rebus naturalibus quid? quæſo, hæc omnia nè me lateant, facito.

Ph. Facultates, quibus noſtrum corpus regitur, ſunt tres naturalis, vitalis, ac Animalis: harum prima in epate, ſecunda in corde, tertiaque in cerebro præcipuè aſſiſtit: actiones autē, quæ ex facultatibus proueniunt, duæ præcipuæ ſunt Animalis, ac naturalis: ideo conquoquere, ſeu digerere, ſanguificare, nutrire, atque huiuſmodi ſimiles actiones dicuntur naturales, quæ minimè voluntarię ſunt, cùm naturaliter pręter voluntatem contingant; verùm his exceptis aliquæ voluntariæ contingunt, vt mingere ac fęces egerere. Animales vero, quæ à voluntate dependunt, pertinent ad imaginationem, cogitationem, ſeu ratiocinationem, atque ad memoriam: & iſtæ actiones principes dicuntur; ideo præter iſtas aliæ non principes dicuntur, quæ ad motum voluntarium pertinent, hoc eſt, ad mouendi rationem, quæ actio medio muſculorum, ac neruorum fit, taliſque actionis vnica eſt ſpecies. aliæ ad ſentiendi modū ſpectāt, quę ſunt quinque, ſ. vidēdi, audiendi, odorādi, guſtandi, ac tangendi: aliqui vitales dari actiones putant, ut eſt cordis, ac arteriarum motus: hæc tamen actio cum Galeno ſub actionibus naturalibus collocari poteſt; quamuis idem Galenus interdum ipſam arteriarū actionem vitalem vocauerit. cęterum quantum ſpectat ad ſpiritus tres eſſe aliqui non ambigunt, quorum alter naturalis, alter vitalis, poſtremuſq; animalis omnium nobiliſſimus dicitur: namque ex ſubtiliori, ac nobiliori parte generatur, ſicuti vitalis ex naturali producitur; atque hic ex ſubtiliori ſanguine, ſanguis ex chylo, hoc eſt, ex cibo optimè in ſtomacho digeſto, ac denique chylus ex cibis ipſis per os aſſumptis, dentibusque ad digeſtionem præparatis. Horum ſpirituum primus in cerebro, vitalis in corde, ac naturalis in epate (ſi talis datur) præcipuè ſedem ſuam habet.

Facultates corpus humanum regentes.

Actiones corporis humani.

Lib. de motu muſculorum.

Lib. 1. de diffic. ſpirādi.

Spiritus tres.

Sedes ſpirituum.

Ca. His ſic breuiter conſtitutis, ac explanatis aliarum rerum medicinalium explicationem aggredere.

Ph. Non abs re erit; ideo ſecundo loco res nō naturales collocamus, quarum conſideratio ad Medicinæ partem, quæ ὑγιεινὴ appellata eſt, pertinet; tales aūt res nō naturales ſex ordinibus

DE REBUS nō naturalibus.

dinibus diſtributæ fuerunt,in quorum primo aer ponitur,in ſecundo cibus, & potus, in tertio motus,& quies, in quarto ſomnus,& vigilia,in quinto excretio & retentio, & denique vltimo loco animi affectus reponuntur.

Ca. Has res non naturales appellas, quamuis naturales ſenſui appareant; cur id facias,neſcio.

Ph. Nulli dubium eſt,quòd res iſtæ ex ſe naturales ſunt, quatenus naturaliter hominibus coueniant, ſi vitam degere debent;attamen quùm Medici eas naturales appellent,nō conſiderant ipſas ex ſe, ſed quatenus noſtrum corpus alterare poſſunt, eidemque moleſtiam, ac noxam inferre:ideo non naturales eas vocāt;quia ſi perperàm homo eiſdem vtatur, nedum auxilio ipſi erunt,verùm detrimento,atque ſanitatis conſumptores euadent,plus,minuſque iſtud continget,prout magis,minusve in earum adminiſtratione error acciderit: ideo ſi ꝓportionatè,ac iuſtè exhibitæ fuerint corpus humanū conſeruant,ac abſque menſura,& perperàm ſuppeditatę inſtar Belluarum ſemper noſtrum corpus alterare poſſunt; ſanitatem ab eo amouendo. Quare de his non naturalibus, ac de naturalibus rebus, necnon & de alijs infra recenſendis, quæ contra naturam vocantur, Medicus exactam notitiam,ſcientiamque habere, circaque omnes optimè verſatum eſſe debet.

Ca. Igitur ad eas contra naturam recenſendas adeſto, cū iſtarum cognitio adeo Medico ſit neceſſaria.

DE REB. contra naturam.

Ph. Res contra naturam, quæ alio modo præter naturam à Medicis vocantur tres numero ſunt, quarum prima morbi cauſa,ſecunda morbus,ac tertia ſymptoma appellatur; ſymptoma autem ſemper morbum ſequitur,cauſaque eundem præcedit: contemplatio igitur harum rerum ſpectat ad eam partem Medicinæ, quæ ſupra παθολογικὴ nuncupata fuit, quarum rerum prædictio, ac prognoſticatio ad alteram partem attinet, quæ aliàs σημειωτικὴ dicta fuit: iſtarum autem rerum curatio ad aliam partem refertur, quæ θεραπευτικη dicitur; hæcque in διαιτητικὴν φαρμακευτικὴν, καὶ χειρουργικὴν digeſta fuit.

Contemplatio rerū cōtra naturam.

Ca. Quid cauſa,qd morbus, qdq; ſymptoma ſit,ſi lubet,dic.

Ph. Nimium longa noſtra oratio eſſet,ſi hæc omnia percurrere vellem; attamen nè quæ exoptas ſubterfugere videar,

compen-

compendioſè ſcire debes, quòd cauſa morbi eſt affectus quidam præter naturam, qui morbum præcedit, ipſumq; morbum gignit, fouet, atque conſeruat, & præcipuè ſi interna fuerit; nam duplex eſt cauſa morbi, nempe interna, & externa: interna nonnunquam ab externa nil aliud eſt, quàm nō conueniens rerum non naturalium vſus ſeruatus, hancque cauſam προκαταρκτικόν Græci vocant, Latini primitiuam, ſiue externam. interna vero ea eſt, quàm προηγούμενον, quæ eſt vel antecedens, vel coniuncta: vtraque tamen ſemper morbum præcedit. Morbus vero affectus præter naturam eſt actionem primario, ac immediatè lædens, quorum morborum etſi ferè innumeræ ſint differentiæ, attamen ad tria reducuntur genera, quorum vnum in ſimilaribus, aliud in inſtrumentalibus, tertiumque in vtraque parte ſimul contingit.

Cauſa morbi.

Duplex cauſa.

Morbus quid.

Morborū genera.

Ca. Dic ſi ſymptoma ſemper omne genus horum morborum ſequatur.

Ph. Vtique; ideo ſymptoma eſt affectus præter naturam, qui neque morbus, neque cauſa dici poteſt: non cauſa, quia morbum non præcedit, ſed morbum ipſum ſequitur, ſicuti vmbra corpus; non morbus eſt, quia primario, & per ſe actionē non lędit; iſtudque ſymptoma multas habet differentias; de quibus, deque cęteris alijs tùm morborum, tū cauſarum methodicam tractationem à Galeno habebis in ſex libris de differentijs, & cauſis morborum, ſymptomatumque cōpendioſè tamen iſtud reperies in tabellis optimè ordinatis à Siluioque Medico clariſſimo editis, quorum titulus eſt methodus ſex librorum Galeni de differentijs, ac cauſis morborum, ſymptomatumq;. interim hæc dicta pro Medicinæ ſummula tibi ſufficiant, cuius particularia non tetigi, quia cùm philoſophia, Logicaque tibi deſint, Medicinam intelligere nequis.

Quid ſymptoma.

Ca. Reliquum eſt, vt moralem ſequamur philoſophiam.

Ph. Prorſus; hucuſque enim de diuina Mathematica, ac naturali ſermo fuit: ideo conſequens eſt, vt de actiua aliquid dicamus; poſtmodum de rationali ſermonē faciemus. Actiuam igitur philoſophiam, quam moralem vocant, triplicem habere partem, ſupra oſtenſum fuit, Aethicam, ſcilicet, Politicam, ac œconomicam. Harum prima animi virtutes,

DE ACTIVA philoſophia.

opti-

optimoſque mores monſtrat, atque ab his vitia ſecernere docet; vt ex huiuſmodi moralibus præceptis, documentiſque homo bonus, ac non infelix euadat, eorumque auxilio prudens, ac iuſtus efficiatur. Secunda pars Politica nominata Ciuitatum regimen, ac rempublicam vndique gerere oſtendit, idque ratione facere nos docet. Tertia œconomica dicta circa familiam quarumcunque Domorum rectã, iuſtamque adminiſtrationem verſatur, ac viam, qua iſtud homo exequi poſſit, monſtrat.

Politicę ſcopus.

œconomici finis.

Ca. Hæc poſtrema pars admodum neceſſaria, vtiliſque eſt, quandoquidem penè omnes homines hac eadem indigēt.

Ph. Abſque dubio res ita eſt, ſcito tamen, quòd nemo rectè ſe habere poteſt ad Politicam, œconomicamque tractandã, niſi ethicis præceptis præditus fuerit: impoſſibile enim eſt boum, ac laudabile efficere opus circa quamcunque harum duarum partiũ abſque recta ethicæ obſeruatione. Hinc multi errores interdum contingunt, nedum in regimine, ac adminiſtratione reipublicæ, verùm & particularis familiæ: adeò enim ignari, maliſve moribus prædicti ſunt adminiſtratores, ac Patresfamilias, quòd ſæpè ob eorum ignorantiam, aut malitiam, vel erga Deum, proximumque impietatem multa mala contingunt, cũ tales homines ſemper re aliqua ſua ducti, uel ſaltim mera ignorantia res publicas, propriáſque familias adminiſtrēt: ideo illic in offenſam uniuerſalem, hìc in detrimentum particulare multa mala efficiunt: Quare tales Plutarchus hortatur ad philoſophiam totis viribus adiſcendam: etenim abſque ipſa hominem rudem eſse, ac facile errare, ut aliàs dixi, monſtrat.

Ethicæ neceſſitas.

Cur errores in adminiſtratione contingant.

Lib. de liberis educandis.

Ca. Prorſus aſſerere videris à nemine rectè neque rempublicam, neque propriam familiam adminiſtrari poſſe, niſi talis philoſophia fuerit imbutus, & præcipuè parte illa, quę optimos mores, animique virtutes nos docet: ſed cùm iſtud impoſſibile fore videatur, vel ob hominum paupertatem, vel alia ob multa impedimenta, impoſſibile faciundum eſſe hortaris; nè igitur in hominibus hanc impoſſibilitatem conſtituas, tuam ſententiam limitare debes; quandoquidem multi idiotæ reperiuntur moribus Chriſtianis præditi, qui rectè domus ſuas adminiſtrant; iſtudque experientia quotidiè comprobari poteſt, nec talem philoſophiam habent.

Mea

Ph. Mea dicta Calophile, neque à poſſibili, neque ab honeſto abſunt; nam etſi dixerim ab hominibus rempublicam, propriamque familiam rectè adminiſtrari non poſſe abſq; moralium præceptorum obſeruatione; iſtud nullo modo à tuis dictis diſtat; quandoquidem hoc idem aſſerere, eſt veluti ſi dixiſſem, niſi chriſtianis moribus homo ipſe prçditus ſit, vel ſi malis imbutus circa ciuitatum, ac propriæ familiæ gubernationem non rectè res gerere poteſt. Quare haud opus eſt, ab omnibus hominibus philoſophiam adiſci, & priuatim ab illis, qui proprias regunt familias: ſatis etenim eſt tales bonis moribus eſſe præditos, vt rectè agere queant, ſiue mores iſti philoſophici, ſiue Chriſtiani fuerint; iſtud nihil refert; etenim præcepta ab Ariſt. tradita adeo ſimilitudinem, ac proportionem cum Chriſtianis documentis habent, ut nulla diſcrepantia inter hæc, & illa ſit ponēda; Quare optimus Chriſtianus philoſophia non imbutus poteſt etiam vocari philoſophus; inſtitutio namque morum Chriſtianorum validum, ac conueniens adeo eſt in gubernãdo fundamentum, quòd à talia præcepta obſeruante quidquam à ratione alienum numquam committi poteſt; ideo taliũ hominũ philoſophiç expertum propriæ conſcientiæ ſibi ipſis erunt philoſophia; hocque continget, ſi legem naturalem prç oculis habuerint; è qua illud vniuerſale elicitur præceptum; nempè. *Quod tibi fieri non uis, alteri ne feceris.* Vnde D. Paulus hæc verba ſcripſit. *Gentes, quç legem non habent, naturaliter ea, quç legis ſunt, faciunt; ipſi legem non habentes, ſibi ipſis lex ſunt.* Et quæ ſequuntur.

Rudib. hominibus cõ ſcientia sũt philoſoph.

Lex nãlis.

Cap. 2. ad Roman.

Gẽtes abſque lege ſibi ipſis sũt lex.

Ca. Optimè hucuſque rem tractaſti, atque quod obſcurum videbatur, palam feciſti.

Ph. Sciendum tamen, quòd ſatis non eſt audire, vel ſcire legem, verùm eam obſeruare neceſſum eſt: quare Panthoedas (vt ſcribit Plutarchus in Apophtegmatibus Laconicis) in Aſia legatione fungens quadam in Academia multa præclara philoſophica cùm audierit ab Academicis acta; aliqui eorum quærentes, quid de illis diſputationibus ſentiret, reſpondit, præclaræ equidem ſunt; ſed nullius precij, cùm uos his rebus non vtamini. Concludamus igitur, quòd legem ſcire non ſufficit, ſed opus eſt eam obſeruare, niſi philoſophicam, ſaltim naturalem, quæ (vt ait Diuus Paulus) ſcripta eſt in cordibus noſtris. Verùm quoniam Reipublicæ adminiſtratores

Quoddam dictũ Panthoedæ.

loco citato lex nãlis i cordib. hominum.

niſtratores nedum cum idiotis; verùm cū doctis viris mula ta negotia tractare coguntur; hinc vt tutò cum eiſdem agere queant, vtile, ac conueniens erit, ſi philoſophia ornati fuerint; hac enim via aptiores, tutioresque ad publica tractanda euadent; porrò Christianis moribus philoſophia connexa aptiores, ac prudentiores in agendo reddit homines; nec ob id dicendum eſt, quod lex Christiana philoſophicis præceptis indigeat, quia per ſe ſatis eſt ad optimum opus efficiendum; ſed quoniam ob hominum malitiam multa adminiſtratoribus publicis interdum, immo ſępè opponuntur impedimenta, ſicque fraudibus malitia plena, quòd præter Chriſtianos mores, neceſſe eſt, vt philoſophiam intelligant, nè malum à bono, album à nigro, vitiaque à virtutibus ſecernere ignorent: Quare vtile, iucundumque erit; ſi homo ante Politicæ, œconomicæque regimen ęthicis moribus redundauerit; ideo Ariſt. prius de ęthica, deinceps de Politica, ęconomicaque egit; quare nè methodum confundamus, prius circa ęthicam ſermonem inſtituamus.

Philoſophia Chriſtianis moribus connexa ubi multi valaet.

Cur philoſophia vltra Chriſt. legē ſit neceſſaria in rebus agēdis.

Aethica vtilitas.

Ca. Si lubet prādeamus, deinde rem propoſitā abſoluamus.

Ph. Nundum hora videtur, attamen, vt vis faciamus.

Ca. Epulas igitur ſuper menſam digeramus.

Ph. Ecce optimus panis, quem cum ceteris cibarijs benedicamus ipſoque cum ceteris in charitate veſcamur.

Ca. O optimum alimentum, ſuaueſque fructus; è qua Perſico perſica iſta collegiſti?

Ph. Aſpice arborem.

Ca. Profecto à Deo hic locus multis priuilegijs fuit ornatus.

Ph. Et ipſum laudando optimis alimentis fruamur.

Ca. Silentio id faciamus, quia mēſa ſanctis cibis optimè onerata iſtud requirit.

Ph. Sic licet, ac conuenit.

Nunc

Ca. Nunc prandio ad poſtremum redacto, gratijſque ſummo Deo actis tempus eſt, ut rem inceptam ſequamur.

Ph. Ad Ethicam tractandam, ut ſtatutū fuit, pergamus; quæ adeo iuſta, ſanctaque nos docet documenta, vt horum medio facilè vnuſquiſque virtutibus ornari, vitijſque exui poſſit: qua actione nedum bonus, iuſtuſque, verùm & fęlix euadet: ſi tamen iſtud contingat virtutis amore, non formidine pœnæ; cùm ſic nec bonus, nec fęlix homo eſſe poſſit: vnde Oratius canit. *Oderunt peccare boni virtutis amore, oderunt peccare mali formidine pœnæ.*

Medio Ethica homo bonus, fęlixque.

in ſuis epiſtolis.

Ca. Quales ſunt virtutes, quæ homini tot bona inferre poſſunt?

Ph. Quidam animi habitus, è quibus homo ita bonus efficitur, quòd quidquid agit, ſemper rectè, iuſtèque agit.

Ca. Quales ſunt habitus iſti?

Ph. Vt clarius rem capias, declarabo; ideo tria in anima reperiuntur Affectus ſcilicet, facultates, & habitus: hocque ab Ariſt. decretum fuit; ideo affectus eos appellauit, qui à facultatibus prouenire ſolent, & tales ſunt omnes animæ paſſiones, tàm ad voluptatem, quàm ad dolorem attinentes: quare ira, odium, cupiditas, excandeſcentia, timor, audacia, inuidia, amicitia, miſericordia, atque huiuſmodi reliqua, quæ dolorem, voluptatemque comitantur ab Ariſtotele affectus dicuntur.

2. Moral. Nicomachiorū c. 5 Quid aīa affectus.

Ca. De facultatibus ipſius animæ, deque habitibus nunc verba ſunt facienda.

Ph. Facultates animæ eas eſſe Ariſt. exiſtimat, quibus hæc iā dicta contingunt, vel quarum medio homines idonei fiunt ad prædictos affectus efficiendos, ſiue bonos, ſiue malos: veluti ad iraſcendum, ad timendum, ad gaudendum, ad amandū, atque ad huiuſmodi cætera efficienda: quare homo abſque his potentijs nulla vis ſibi eſſet apta ad quoduis agendū Habitus autem illi dicuntur, quibus vel ad bonos, vel ad malos affectus electiuè homo ſe habet, qui affectus, vel vitia, vel virtutes eſſe poſſunt, ut etiam dixi, nam ſi homo electiuè ſe habet ad bonos affectus, veluti ad caritatem, vel ad miſericordiam, dicitur honeſtis, optimiſque habitibus præditus; ſi ad malos affectus inclinationem habeat, econtrariò contingere debet: Ideo ex illis homo laudatur, ex iſtis uituperatur, bonuſque

Animę facultates.

Habitus animę.

namque vir primo modo, malus ſecundo nominatur: quare hæ morales virtutes valde neceſſariæ homini ſunt, ut rectè, iuſteque ſe gerere queant, nedum circa ciuitatum regimen, verùm & circa particularem familiam.

Moralium virtutum neceſſitas.

Ca. Omnino ſic excogitandum; ſed vbi diſci poſſint tales virtutes mihi dicito.

Ph. A multis, varijſque philoſophis hæ habentur virtutes; inter quos Princeps Ariſt. uocatus fuit, vtpotè qui magis naturam inſecutus fuit; nedum hac in parte, verùm in ſuorũ operum cæteris ſcriptis; quare tutiori uia eum ſequi debemus, qui miro ordine hæc dicta tradidit. At cùm huius materiæ tres præcipuos tractatus reſcripſerit, quorum unius Moraliũ Nicomachiorum eſt Titulus, alterius Magnorum Moraliũ, tertiuſque eudemiorum Moralium fuerit inſcriptus: duobus poſtremis relictis ſolùm de primo pro ſufficienti cognitione ſermo faciendus erit; namque talis tractatus decem libris digeſſit, in quibus omnia ad talem materiam ſpectãtia adeò exactè præbuit, quòd cæterorum tractatuum cognitio minimè nobis neceſſaria erit. Hos igitur libros legito, atque diligenter, quæ ibi ſcripta ſunt obſeruato; non enim Auditores legis, ſed factores iuſti, bonique ſunt: hocque clare D. Paulus nos docuit.

Tractatus de ethica.

Non auditores, ſed factores legis boni sũt ad Ro. c. 2.

Ca. A nemine id reprobari poteſt; ideo ut ordo ſeruetur ethicæ librorum ſummulam præbe.

Ph. Rectè, ideo decem librorum Moralium Nicomachiorũ intentionem exponamus, quæ eſt optimam uitam hominis inſtituere: eamque fęlicem reddere; quare in primo libro quærit an in hac vita fęlicitas temporalis reperiatur; duplex namque penes ipſum inſtituitur fęlicitas contemplatiua, nẽpè & actiua: etenim vna ad intellectum, altera potius ad ſenſum attinet: hicque de temporali ſermonem fecit, de altera in poſtremo libro huius tractatus: Actiuam igitur dari in pręſenti oſtendit, eamque ex moralibus virtutibus emanare mõſtrauit; cui bona externa eſſe connexa corporis ſcilicet, & fortunæ exiſtimauit; ſicuti eſt ſanitas, virium robur, pulchritudo, Diuitiæ, nobilitas, atque huius generis alia: iſta tamen ex ſe fęlicitatem poſſe præbere negat, cùm contingentia, corruptibiliaque ſint: hinc Miſingerij error elicitur, qui declarans, quis eſſe poſſit fęlix, ait: *Fęlix eſt, qui proſperitatem habent*

SVMMVla decem librorum moralium nicomachiorum.

Duplex fęlicitas.

in Scholia ſup Proœ. inſt. ciuilũ

bet, & cui res ex voto ſuccedunt; adducens illud Virgilij; *Viuite fęlices, quibus eſt fortuna proſpera iam ſua.* hìc ſanè vir neſciebat, quòd ibi Virgilius impropriè loquitur; quia non aſſerit homines tales frui fęlicitate, ſed ait, *Viuite fęlices*, nec ait, fęlices eſtis: Ideò de propria alio loco loquens dixit, *Fœlix qui potuit rerum cognoſcere cauſas.* Quare fortunæ bona ex ſe fęlicitatem minimè inferre poſſe Ariſt. uoluit; at virtus eiſdem cùm fuerit connexa hominem fęlicem reddere poteſt eo modo, quo in libro prædicto ſcripſit idem Ariſt. virtus equidem ea eſt, quàm nullus caſus, nullaque imperioſæ fortunæ procella tangere, nedum auferre poteſt: vnde illud Stilbonis vulgatum. *Omnia bona mea mecum porto.*

Fortunę bona.

Virtus incorruptibilis.

Ca. Igitur homo cum his moralibus virtutibus, fortunæque bonis redundauerit, fęlix, beatuſque dici poterit.

Ph. Fœlix, non beatus; quia hæc virtus moralis, vt dixi, potius in irrationali, quàm in rationali, ſeu intellectiua parte reperitur: cum ex actione, non ex contemplatione contingat; ideo virtutum alias intellectiuas, aliaſque morales eſſe affirmat: Quare primæ in intellectu, reliquæ potius in ſenſu permanent: taleſque virtutes dicuntur, quæ hominem fęlicem, ſed non beatum efficiunt: quamuis ad fęlicitatem iſtam perfectiorem producendam fortunæ, corporiſque bona concurrant: de hac igitur morali uirtute, ac de rebus eidem pertinentibus in primo libro tractare intentio præcipua fuit; At in ſecundo propoſuit de eiſdem moralibus virtutibus prius in generali, poſtea in particulari agere, earumque cauſas, ac definitionem, modumque adipiſcendi ipſas monſtrare: ideo concludit, quòd electione, atque exercitatione acquiruntur: quæ verò ſint actiones, à quibus proueniunt, ac deſtruuntur, viãque tales in homine cognoſcendi patefacit: quòd autem virtus ſit habitus oſtendit, eamque in ſpecies diuidit, atque in mediocritate eandem conſiſtere ait. quaque via talis mediocritas acquiri poſſit, clarè nos docet; atque hęc ſecundi libri eſt ſummula.

Moralis virtus.

Duplex virtus.

Fortunæ, corporiſq; bona.

Ca. Quid in tertio agat nunc patefac.

Th. Noſtrarum operationum quid ſpontè, & quid inuitò cõtingat oſtendit: autumatque principium, ac originem externarum actionum electionem eſſe: quid vero talis electio ſit, monſtrat dicens, quòd eſt veluti quidam finis, ac conſultatio

nis

nis effectus, cum voluntaria ſit, quid ipſa voluntas, non abſcondit, quia ipſam actum internũ eſſe, à quo externæ actiones emanant ait, quę & potentia, & actio non ineptè dicitur: ideo vitia, virtuteſq; in noſtra poteſtate reperiri ſcripſit; poſtea quid ad fortitudinis, ac temperantiæ cognitionem pertinet aperuit, neque harum virtutum ſpecies ſilentio prætermiſit. Quartus equidem liber multarum virtutum, earumque oppoſitorum tractatus continet; ideo quidquid ad liberalitatis, magnificentiæ, magnanimitatis, innominatæq; virtutis, hoc eſt, mediocritatis, modeſtiæq; cognitionem opus eſt, tradidit, innominatamque virtutem inter extrema locũ habere probauit, quorum extremorum vnum eſt ambitio, alterum honoris contemptio: deinde de manſuetudine, ira, affabilitate, vitijs oppoſitis, mediocritate, ac demùm de facetudine, ſiue ioco, deque verecundia verba facit: cuius actionem virtutem non eſſe, ait; atque hæc in hoc libro acta ſunt.

Vitia, virtuteſq; in hominis poteſtate ſunt.

Virtus innominata

Ca. Rectè, ideo reliquos percurrere libros, vt ſaltim auctoris intentionem intelligam.

Ph. Quintus nunc ſequitur, cuius ſcopus eſt de iuſtitia omnium virtutum præclariſſima agere, atque de eius oppoſito, quod iniuſtitia nominatur; ſic etiam de iure, ac iniuria ſermonem habet, horumque virtutũ, ac vitiorum ſpecies ſcribit; ideo vt ſummatim dicam, quidquid ad horum omnium exactam intelligentiam ſpectat, agit, aliorum opiniones inanes reprobans, ſuamque rationibus probans. qualis autem intentio in ſexto ſit, illud ſcire minimè eſt difficile; nam totum opus ſpectat ad intellectiuas virtutes; hucuſque enim cum de moralibus ſermonem habuerit, reliquum erat, ut de intellectiuis ſermonem faceret, ad cuius rei intelligentiã primo loco animæ diuiſionem affert, atque quales potentię humanarum actionum principia dicantur, oſtendit, quæ cũ ſint tria, Senſus, appetitus, ac intellectus: horum poſtremũ potentiæ rationalis eſt, quippe quæ hominem à beſtijs differre facit, cùm aliæ duæ potentiæ cum eiſdem communionem habeant, ſi intellectum negligant. poſtea de quibuſdã habitibus agit, atque tales ſimilitudinem cum prudentia habere aſſerit; quibus ſimiles ſunt bona conſultatio, ſagacitas, ſententiaque: ideo his declaratis incipit de ipſa prudentia diſputare, itidem & de ſapientia, omniũmque dubitationum

Potentia rationalis facit differre hominem à beſtijs.

ſolutio-

ſolutionem præbet: hæcque præcipua ſunt, quorum mentio ibi reperitur.

Ca. Septimus igitur eſt proponendus, & quid in ipſo tractetur dicendum.

Ph. In hoc de virtute heroica, de immanitate, de continētia, de mollitie, de voluptate, ac de dolore pertractare præcipua intentio fuit; porro iſti affectus non virtutes, neque vitia propriè dici poſſunt, cùm extremum occupent locum; nam ſi quis ſupra omnes iuſtos iuſtus, ſi ſupra omnes temperatos temperatus ſit: hic non ſolummodo virtute pręditus dicitur, ſed heroica virtute diuinaque ornatus: itidem ſi quis immanis adeo ſit, vt omnibus vitijs excellet, non vitio obcæcatus, ſed feritate, immanitateque imbutus eſt; huiuſmodi autem eſſe ſolent aliqui mania correpti, raro enim contingit, ut homines inueniantur, qui mente conſtent, & feritate iſta imbuti ſint; niſi dicamus huiuſmodi Neronē fuiſſe: pariq; ratione rarò euenit, vt homo reperiatur, qui heroica virtute ſit ornatus: in hoc igitur libro priuatim, vt expedit, de heroica virtute, ac de illius oppoſito verba facit; itidem & de continentia, de incontinentia, deque reliquis affectibus ſeu diſpoſitionibus abundè tractauit, quos affectus, vt dictum eſt, neque uitia, neque virtutes nominauit, etſi ſimilitudinem cum eis habere non negauerit: atque hi ſunt ſcopi, ac præcipua, quorum doctrina in hoc libro habentur.

Affectus, q neque uitia, neque uirtutes ſunt.

Oppoſitum virtutis heroicæ.

Ca. De reliquis, ut de præcedentibus feciſti, verba facito.

Ph. Tres ſunt illi, quorum cognitio habenda eſt; horum igitur in duobus primis, nempe in octauo, ac in nono, quidquid ad amicitiæ intelligentiam neceſſum, eſt oſtendit: adeo prius tres amicitiæ ſpecies reperiri declarat, quarum altera vtilis, altera iucunda, poſtremaque honeſta dicitur: quæ inter ſimiles inueniri ſolet, veluti vtilis, iucunda inter diſſimiles: ipſamque amicitiam maximum eſſe bonum inter externa probat; poſtea diſcordias, ſeu querelas, quæ inter amicos oriri ſolent narrat, haſque in vtili amicitia, non in honeſta, priuatim oriri monſtrat: deinde, quæ ad conſeruationem, diſſolutionemque ipſius amicitiæ ſpectant, modumque ipſius amicitiæ cognoſcendæ patefacit; itidem de hac re multas facit quæſtiones, quarum ſolutio nedum his duobus in libris habetur, verùm & quidquid pro cuiuſcun-

que ſpeciei amicitiæ notitia opus eſt, ibidem inuenitur: quibus explicatis ad poſtremum ſe conuertit, vbi primaria intentio fuit fęlicitatem contemplatiuam proſequi, cùm in primo de actiua tractauerit; in primis igitur de voluptate fęlicitati coniuncta, nedùm ex aliorum opinione, verùm ex propria egit, quibus declaratis de fęlicitate verba facere incipit, prius tamen in genere, vnde fęlicitatem inter humana bona ſummum eſſe bonum, actiuamque longè ea inferiorem eſſe multis rationibus probauit: vltimoque loco aliqua de legibus ferrendis, quibus homo bonus euadere poteſt, ſcripſit. ſcire tamen leges ad optimè viuendum ſatis eſſe noluit; cùm eas ad actum redigere opus ſit: ideo hic poſtremi libri eſt finis.

Actiua fęlicitas.

Ca. Pergamus igitur huiuſmodi ſermonem, quia opportunum erit dulcem in fonte bibere liquorem, atque ad Politicæ tractatus accedamus.

Ph. Sic res exigit; quare ad eoſdem octo Politicę libros nos conferamus, in quibus omnem rationem idē Ariſt. nos docuit, cuius medio rectè, iuſtèque ciuitatum regimen duci poſſit; hunc autem tractatum inter morales libros primum vſurpat locum, vt aliqui aiunt, idque ob rei tractandæ eminentiam; cùm ibi de magna re agatur, cùm de Reipublicæ regimine, non de ſolius hominis diſciplina, aut particularis familiæ gubernatione ſermo ſit: quare hæc cùm magna res ſit, ad eam tractandam magni viri, optimaque ſapientia præditi requiruntur, nedùm in hac materia inſtructi, verùm & in cæteris moralibus libris, tùm in alijs ad res naturales pertinentibus; hac enim via homo publica nedum inſipienter agere nequit, verùm in conſtituendis legibus optimus erit; quæ vt iuſtæ ſint naturam imitari debent.

Vir aptus ad ciuitatum regimē qualis.

Ca. Porrò memini, te iſtud aliàs dixiſſe, quo tempore legum diuiſionem pollicitus fuiſti; quare ne tempus defluat, nunc ſpoponſam legum diſtinctionem, ſeu diuiſionem mihi præbe; his enim viſis ad Politicorum librorum intentionem explanandam deſcendere poterimus

DE LEGIBVS Iuris prudentia.

Ph. Quæ protuliſti nolo; ideo ſcito, quòd ex philoſophorum Conſtitutionibus, ac Decretis leges deductæ fuerunt, cùm prius ſolum eorum decreta ſatis eſſent ad Ciuitatum,

Rerumque

rerumque publicarum regimen optimè gerendum; ſed cũ hominum malitia deinceps increbuerit opus, fuit ab eiſdem decretis aliquas condere leges, quibus homines formidine penę potius, quàm virtutis amore parerẽt: nihilominus philoſophorum decreta hoc tempore etiam ad optimè vitam degendam nobis ſufficerent; hinc Plutarchus aduerſus Colotem dixit, *ſublatis legibus, ſi decreta Parmanidęa, Socratica, Platonica, & Heraclithea nobis relinquerentur, ſatis eſſent ad rectè, iuſtèque viuendum.*

decreta philoſ. ſatis eſſent ad rectè viuendum.

Ca. Negant iuriſtæ, quòd leges ab huiuſmodi philoſophorum decretis fuerint deductæ, ſed aliqui volunt quòd à duodecim Romanorum Tabulis originem duxerint.

Ph. Nec contrariò aſſeuerandum eſt, quandoquidem Tabulæ prædictæ à Solonis, aliorumque Græcorum legibus, ac decretis petitæ fuerunt, vt Poſſeuinus multis probat rationibus, firmiter aſſeuerans leges ab huiuſmodi Philoſophorum ſententijs fuiſſe deductas, iſtudque grauiſſimorum virorum dictis confirmat, cuius rei veritas prius ſcripta fuit ff. de origine legum, vbi habetur, quòd leges decem Tabularum à Græcis Ciuitatibus Romani receperunt, cùm prius Sextus Papyrius volumen ex varijs legibus aliorum legiſlatorum compoſuiſſet, quæ cùm abſque vllo ordine eſſent collectæ, ac ſcriptæ: publica auctoritate Romanorum decem Nuntij ad petendas leges à Græcorum Ciuitatibus miſſi fuere, quorum nomina apud Pomponium lętum ſcripta habentur; qui itidem teſtatur, quòd iſti ex Athenis leges in decem Tabulis ad Romanos tulerunt; quibus Tabulis anno ſequenti duæ aliæ additæ fuerunt ab eiſdem decem extractæ: Hinc poſtmodum duodecim Tabularum leges dictæ fuere; ex quibus (vt lege, & ff citato legitur.) actiones emanarũt, quas ordinatim Appius Claudius collegit; Gneus autem Flauius eas in vnum volumen redegit, ac populo ipſas prębuit: ideo ius ciuile Flauianum vocatum eſt, poſt autem has leges aliæ multæ à varijs Iuriſconſultis ab eiſdem deductæ fuerunt, ab alijſque adeo confusè explanatæ, vt tàm copiosè nedum leges, verùm & expoſitiones adauctæ fuerunt, quòd magna in his intelligendis exorta fuit

In ſelecta Bibl. li. 12. c. 1.

LEGVM origo.

l. neceſſarium.

In libello de Rom. magiſt.

c. de 10. uiris.

confuſio ; ideo Iuſtinianus Imperator inuictus tantos animaduertens errores, omnes in pauca volumina clariori doctrina colligere vtilius fore decreuit, quare iuſſu ipſius Tribunianus, Theophilus, ac Dorotheus ex veteri iure in tot volumina ſic inordinatè ſcripto quinquaginta libros effecerunt, quos Digeſtorum, vel Pandectarum uocarunt : ex his autem ab his tribus viris iubente Iuſtiniano conſtituti fuerunt alij quatuor libri, quos Ciuiles inſtitutiones appellarunt; alioque modo totius iuriſprudentiæ prima elementa.

Legum reuiſores, tẽpore Iuſtiniani.

Ca. Cùm quinquaginta libri Pandectarum inſtitutiones prædictas contineant, ſolùm horum librorum ſummulam intelligere exopto.

P. Prolixum noſtrum eſſet colloquium, ſi omnia, etſi compendiosè recenſere vellem; attamen, ut pro more tibi ſatisfaciam, breuiſſimè aliquid horum dicam. Quare Digeſtorũ, ſeu Pandectarum quinquaginta libri in ſeptem præcipuas partes diuiduntur, quarum prima quatuor libros continet; in quibus Iuris Ciuilis principia, Iuriſconſultorum, Magiſtratuumque officia, ac quando ipſis obtemperandum ſit intelligitur. Secunda vero pars, quę ſeptem habet libros, ad iudices attinet quandoquidem de ipſis, ac de eorum actionibus ibi exactè agitur. At in Tertia octo libris conſtituta oẽs contractuum formulæ leguntur, deinceps in quarta, quæ alijs octo clauditur, pignorationis ædilium, vſurarum, fructuumq; tractatus clarè perſpiciuntur : poſtea acceſſionis rerum modus, & apud Iudices fidem faciendi uia pro aliqua re probanda, Matrimonijque forma monſtratur, deque doctibus, donationibus, puerorumque tutelis ex matrimonio diffusè ſcribitur. Subſequens autem pars tota ad teſtamenta, & eorum circunſtantias pertinet, vbi de inſtitutionibus, legatis, ſubſtitutionibus, fideicommiſſis, atque de alijs ſimilibus teſtamentorum circunſtantijs optimè, ac ut negotium exigit, agitur : hæcque omnia octo continentur libris. In alijs autem, qui octo ſunt, ſextam terminantes partem, vltimarum voluntatum tractatio perficitur, atque de Prætorum edictis, de acquirendis per vſucapionem rerum dominijs, deq; eorum Prętorum interdictis, deq; alijs huic mãę connexis

DIGESTORVM Summula.

connexis, abundè agitur. vltimo vero loco; vbi ſeptima vltimis ſex libris collecta fuit partitio, de ſtipulandi arte, de fideicommiſſis, & ſolutionibus ſermo habetur, poſtea de negotijs ciuilibus, eaque tradendi modus oſtenditur, cui delinquentium pęnæ apponuntur, poſtremoque de publicis functionibus agitur; hìcque Pandectarum, ſeu digeſtorũ ſummula, vel capita præcipua perficiuntur; ex quibus libris, vt dixi, quatuor inſtit. ciuilium tractatus collecti fuere, Iuſtiniani que iuſſu promulgati, & ad vſum vbique editi.

Ca. Satis de his hucuſque dictum fuit; nundum tot, tantaque à præceptore meo audiui: ſed nè alios Iuſtinianus compoſuit libros?

Ca. Vtique, quia poſt prædictas inſtitutiones nouus editus eſt Codex Iuſtiniano iubente, qui duodecim continet libros, poſt quos Authenticorum liber fuit ſcriptus, ſimiliter & conſuetudinum, feudorumque alij: atque iſti ſunt omnes legũ tractatus à Iuſtiniano editi, ac ipſius iuſſu promulgati.

Alij libri legũ iuſſu Iuſtiniani ſcripti.

Ca. Optimè rem oſtendiſti; ideo nunc reliquum eſt, vt ad iuris diuiſionem accedas, deinceps ad *Politicæ* libros ſermo erit reuocandus.

Ph. Rem propoſitam aggrediamur, pro cuius cognitione ſciendum, quòd varij variam Iuris ciuilis attulerunt diuiſionem; communis tamen apud iuriſperitos ea Vlpiano aſcripta fuit, in Inſt. ciuil. in tres partes digeſta, nempè in ius naturale, gentium, ac ciuile: circa quam diuiſionem notato, quòd ipſam probantes circa ius naturale errarunt (vt notat Poſſeuinus) quandoquidem hominibus cum belluis ius cõmune faciunt, cùm nulla ſocietas hominum cum beſtijs eſſe poſſit; quia vt idem Poſſeuinus ait, iniuriarum cum beſtiæ participes eſſe non poſſint, nec iuris vllius vlla communitas cum ipſis concedenda eſt, vt l. ſi quadrupes, clarè aſpici poteſt; ideo qui hominem cum bellua iuris ſocietatem coniungit (ait Poſſeuinus) propter liberorum procreationem nedũ matrimonij ſplendorem labefactare, verùm inceſtus concubitus probare videntur; huius ſententiæ D. Thomam fuiſſe videtur, qui ius naturale homini cum beſtijs commune abſolutè concedere noluit. Poſſeuinus igitur ab iſtorum iuriſperitorum opinione alienus aliam iuris diuiſionem præbuit, quæ talis eſt. ius duplex naturale, & humanum. Naturale

DIVISIO totius iuris.

Rub. de iure natur. gen. & ciuili.

In ſelecta Bibl. lib. 12. c. 20.

1. par. 2. q. 91. ar. 2

Iuris diuiſio ex Poſſeuino.

illud dicitur,quod vnicuique homini natura inſtitutum eſt, veluti religio erga Deum,pietas in ſuos,vltio contra ſcelera tos,gratia aduerſus merentes atque iuſtitia in omnes; hæcque lex ea eſt,de qua D. Paulus ad Romanos ſcribens ait(de qua etiam Gloſa ſuper verbis Apoſtoli prædicti intellexit.) *Gentes legem non habentes,naturaliter ea,quę ſunt legis faciunt,ij legem non habentes,ſibi ipſis ſunt lex.*

Cap. 2.

Ca. Hæc,ni fallor,ea eſt,de qua etiam ſupra eadem auctoritate locutus fuiſti.

Ph. Sic res eſt;Ideo nunc de humano iure uerba faciamus, quòd ab hominibus inſpecta utilitate,ac commodo ciuitatum,gentiumque fuit inſtitutum;idque vel gentium,vel ciuile appellant: Gentium ſiquidem illud eſt,ſub quo maior pars gentium vitam degit,duplexque eſt, Antecedens ſcilicet,& conſequens; Antecedens autem in publicum, & priuatum fuit diuiſum: Publicum publicam vtilitatem præbet.

Ius gẽtiũ.

Ca. Quæ eſt publica vtilitas?

Ph. Sacra tueri,pœnas,ac premia irrogare, legis actiones aſſequi, atque huiuſmodi communia efficere: vt Magiſtratus creare, conſiliumque de re publica capere: Ius autem priuatum attinet ad Municipia, ad collegia, familias, vel ſingulos: ſicuti eſt ius inter virum,& vxorem, dominum, & ſeruum,inter conſanguineos,& liberos,interque alios particulares.

Ius priuatum.

Ca. Conſequens ius quale eſt?

Ph. Iſtud eſt vel ſanctio,ſiue iuſſum, vel ius ſine ſanctione: ſanctio autem,ſiue iuſſum,vel Principis,vel ſummæ poteſtatis in Republica,vel magiſtratus eſt: Principis, ſiue ſummæ poteſtatis in Republica,vel vniuerſale,vel particulare eſt:ſingulare eſt veluti beneficium aliquod,vel priuilegium contra legem alicui conceſſum,idque vel reale, vel perſonale, uel mixtum:vniuerſale fit quando Princeps iubet,vetat,vel permittit:Sanctio eſt magiſtratus,edictum,aut interdictum:ius ſine ſanctione eſt ius equitatis arbitrio ſtatuentis conceſsũ, vel ius conſuetudinis eſt: arbitrio principis quando leges emendat,vel ſoluit;magiſtratus quùm leges ſupplet, vel moderatur:conſuetudinis vel ius vniuerſale, vel ſingulare eſt; vniuerſale dicitur illud, quod maior pars Ciuium comprobauit.

Conſequẽs ius.

uit. ſingulare ad vnum pertinet municipium, collegium, vel ad ſingularem familiam.

Ca. Quid ius Ciuile ſit, nundum dixiſti.

Ph. Ius Ciuile propriè appellatur illud, quod vnius, vel alterius ciuitatis proprium eſt; hocque ſtatutarium nominatur; nec tale ſub iure, ſiue ſub iuriſprudentia cadit, niſi pro ea Ciuitate, cuius gratia conſtitutum fuit; hicque iuris Ciuilis diuiſionis eſt finis. *Ius ciuile.*

Ca. Nũc ſupereſt, ut de canonici iuris partitione aliqd dicas.

Ph. De hoc nudiustertius ſatis dictum fuit, quùm probaui ad Iuriſtas debiliorem partem ipſius ſpectare, cùm nobilioris conſideratio Theologorum ſit: quare ibi ut materia exigebat in tres partes diuiſum fuit, atque de vnaquaque parte conuenientem tibi præbui cognitionem: ſi tamen ſummulam aliam exoptas, ad Franciſcum Gratianum de garzatoribus confugito, ibi enim quid cupis reperies. Quare cùm de ipſo ibidem ſatis ſermonem habuerim; reliquum eſt, vt ad librorum Politicorum ſummulam tradendam me conferam. *Dialog. I.* *In Cõpendio iuris Canonici.*

Ca. Probè conſuluiſti, ideo compendiosè, quidquid opus eſt, tradito.

Ph. Breuiter quidem negotium eſt gerendum, nimiũ enim in longum protraheretur ſermo, ſi adamuſſim omnia recenſere vellem: quare pro inſtituto ſatis ſit præcipua, de quibus in his libris agitur, intelligere; etenim tales tractatus minimè ſunt difficiles; ideo quidquid ad Ciuitatum, rerumque publicarum adminiſtrationem ſpectat, ibi perfacile intelligere poteris.

Ca. Animo confido.

Ph. Octo igitur Ariſt. Politicæ ſunt libri, quorũ primi ſcopus eſt docere qd. ciuitas, eiuſq; partes, quid Domus, ac quid Pago ſit; hominemq; Animal ciuile eſſe omnibus Ciuitatis partibus priorem monſtrare; quibus declaratis rei familiaris, domini, ſeruorũ rei poſſeſſæ, ac huic materiæ non diſſimilium tractatio inſtituitur, deque imperandi, ac parendi neceſſitate, vtilitateque ſermo habetur; itidem de duplici ſeruo, de gubernandi potentia, de dominijs, ac de gubernationum differentia optimè agitur: qualis aũt ſit poſſeſſio, & acquiſitio ſecundũ naturã, & quomodo differat ab altera pręter naturam *SVMMVLA OCTO librorum Politic.*

nummularia dicta declaratur: deinde omne, quod ad nummi vſum ſpectat, differentiaſque acquiſitionis, ac demùm quid ad rei domeſticæ cognitionem ſcire conuenit Ariſtot. monſtrat. In ſecundo totus ſcopus eſt diuerſas reſpublicas examinare, eaſque inuicem comparare, ac perperàm inſtitutas improbare; ac, vt vno verbo dicam, tota tractatio oſtenditur ad diuerſarum rerum publicarum cognitionē, ac improbationem. In tertio aliqua ad ciuitatem, ciuemque ſpectātia, multaque pro rerum publicarum cognitione tradit, nullam ipſius reipublicæ partem prætermittens; ideo de ipſius dominatore, de viris eam conſtituentibus verba facit, vniuſque viri ſuperexcellentem virtutem ſcribit, atque quid regia gubernatio ſit, haud abſcondit. poſtea in quarto, & quinto varijs Rebuspublicis prius propoſitis, horumque optima conſtituta reliqua ad ipſarum perfectam cognitionem diligentiſſimè tractat; poſtremoque loco de Regno, ac Tyrannide ſermonem facit. Sextus quaſdam pro Rebuspublicis inſtitutiones continet, veluti ſunt aliqua de Legibus, Magiſtratuum ſpeciebus, eorum officijs, atque huiuſmodi de alijs agit: deinde, quid ad optimam vitam, beatamque ciuitatem attinet, in ſeptimo ſcribit, quidque pro huius negotij intelligentia opus eſt patefacit, quibus omnibus peractis ad octauum librum ſe contulit, vbi de puerorum inſtitutione multa nos docuit, omnemque Muſicam perpendit, quibuſque hæc conueniat oſtendit; atque hæc in Politicis prræcipua intentio fuit, quæ quàm doctè, & quam diffuſè ab eodem Ariſtole expoſita, ac declarata ſit: legentibus hucuſque clarum fuit.

Ca. Opus erit hos libros ſæpè, ac ſæpius perlegere; ut tantarum rerum doctrina mihi innoteſcat.

Ph. Maximè Calophile, vt optimus euadas politicus; ſed nūc ad duos œconomicos libros accedamus, in quibus, quidquid ad rei familiaris adminiſtrationem pertinet, doctiſſimè egit optimam gubernationem nos docens; Ideo primo loco inter politicum, ac œconomicum quid interſit, ac vbi conueniant, differantque oſtendit: poſtea Domus in ſuas partes diuidit, ſocietatemque viri, ac mulieris ſecundum naturam eſſe, vtilem, ac neceſſariam monſtrat, ac vtriuſque, nempè viri, & mulieris quaſdam leges ſcribit, ſic domini

OECONOMICORVM LIBRORVM Summula.

ad

ad ſeruos, & denique nonnulla œconomica præcepta tradit. in ſecundo autem tractatu prorſus ſe extendit ad docẽdum qualianam eſſe debeant in re familiari officia, legeſque tùm proprias, tùm communes, nedum viri, verũ Vxoris: atq; hìc totum opus perficit.

Ca. Pro nunc iſtud ſufficiat, quia cum ocium dabitur diligẽtius res perpendenda erit, quare his dimiſſis reliqua aggredere.

Ph. Rationalis philoſophia ſequitur, quę vel Logica, vel Rethorica eſt: quibus additur Grammatica, Poetica, atque Hiſtorica: quæ tres artes potius adiutrices, quàm rationalis philoſophiæ partes ſunt, vt loco de diuiſione ſcientiarum, artiũque nudius tertius dixi; ideo, quia abſque harum cognitione, nec Logicus, nec Rhetor quis rectè euadere poteſt; hinc rationali philoſophię tales artes additæ ſunt.

PHILOſophia rationalis diuiſio.

Ca. Logicam prius tractemus, cùm aliæ intellectu ſint faciles, quandòquidem Medicis, Iuriſtiſque neceſſariò communes æquè ſunt.

Ph. De Logica igitur compendiosè tractemus.

Ca. Quid ipſa ſit, ni fallor, in primis eſt perſcrutandum.

Ph. Vt Ariſt. mos ſeruetur prius diſtinguenda, poſtea definiẽda: quia duplex eſt altera naturalis, álteraque artificialis: prima ſic definitur. Logica eſt quædam inclinatio naturalis, qua intellectus humanus magis ad verum, quàm ad falſum ſe habet; & ideo hac naturali cognitione verum à falſo ſecernit: hocque modo primi Philoſophi Logicam habebãt, eaque in philoſophando primis temporibus vtebantur; quæ etiam præſenti tempore multos homines non latet, qui eadem inclinatione, & quadam vi naturali multa argumenta efficiunt, quorum medio rerum veritatem inueniunt, licet doctrinis minimè præditi ſint, nec rationem ipſarum rerum ſciant.

DE LOgica ſermo.

Primi Philoſophi naturaliter logicam habebant, ut habent, aliqui huius temporis hoĩes.

Ca. Si iſti ſcientijs carent, cur horum vnus magis, quàm alter tali inclinatione fulcitus eſt?

Ph. Iſtud prouenit ratione optimæ, vel malæ conſtitutionis naturalis, quæ à temperamento totius corporis oriri ſolet, quia, vt aliàs dixi, animi mores corporis temperamentum ſequuntur.

Ca. Ex his concluſio elici poteſt, nempè quòd primi philo-

ſophi omnes fuiſſent naturaliter optimè temperati, cum noſtra ætate non omnes tale beneficium à natura habeant.

Ph. Hoc idem videretur; ſed vt rem intelligas, hoc anni antiquorum aliqui male diſpoſiti propria voluntate ſibiipſis auxilium præbebant, quia vt dici ſolet, nihil difficile volenti; ideo vi propriæ voluntatis, nulliſque omiſſis laboribus temperamento naturali robur afferebant; illi autem, qui optimè inclinati ſunt, itidem debent vim naturæ præbere, aliter ex ſe optima corporis conſtitutio nihil valeret; nam natura nihil iucundi, aut iniucundi dat; ſed omnia talia conſuetudine fieri videmus; atque hæc Socratis fuit ſententia; Ideo malè conſtituti ſibi ipſis imperante voluntate auxilio eſſe poſſunt; concludamus igitur, quòd hac via veteres Philoſophi vim naturæ præbebant; qui multa ſcripta reliquerunt, è quibus poſteriores Logicam didicerunt, quæ eiſdem in ſcriptis naturaliter tradita, ac vbique ſine methodo ſparſa, profuſaque reperiebatur: ſed rudi quodam ſtylo, ſicuti natura docet. quare Ariſt. omnium primus fuit (ſi eiuſdem verbis fides adhibenda eſt) qui ordinatim, & methodicè ipſam Logicam nobis tradidit; immo ſyllogiſmorum inuentorem eundem fuiſſe ibidem profitetur. ideo ab ipſo Ariſt. artificialis Logica methodicè intellecta fuit, quam miro ordine nobis tradidit, atque hæc eſt, quæ dicta fuit ars artium, ſcientia ſcientiarum ad omnes ſcientias, ac artes viam præbens, vt ab eodem ſcriptum fuit; huius autem Logicæ à Zabarella alia definitio admodum prolixa tradita fuit, dicens, *Logica eſt habitus intellectualis, ſeu diſciplina inſtrumentalis à Philoſophis ex philoſophię habitu genita, quę ſecundas intentiones in conceptibus rerum fingit, ac fabricat, vt ſint inſtrumenta, quibus omni in re verum à falſo diſcernitur.*

Natura nihil boni aut mali dat.

Ariſt. primus logicæ artificialis fuit.
Lib. 2. Elenchorum c. 8.
Definitio logicæ.
2. Topi. c. 2
Definitio Logicę à Zabarella tradita.

Ca. Prolixa quidem hæc fuit definitio.

Ph. Ita eſt, pro cuius correctione aliqua eſſent adimenda, quia ſi ex philoſophiæ habitu gignatur, prius opus eſſet philoſophiam, & inde Logicam adipiſci; cuius contrarium quotidie comprobatur; quare ſatis fuiſſet, ſi dixiſſet, *Logica eſt habitus intellectualis, quæ ex ſecundis notionibus conceptus fabricantur, quorum medio falſum à uero ſecernitur*, vel dicamus. *Logica eſt ars, qua verum, & falſum ratiocinando cognoſcuntur, &*

argumen-

argumentatiuè diſcernuntur.

Ca. Quales ſunt ſecundæ intentiones?

Ph. Rerum primarum conceptus, qui in noſtro intellectu fabricantur; quorum medio res primæ intelliguntur; nec ſecundæ intentiones (quæ etiam res ſecundæ dicuntur) abſque primis eſſe poſſunt; quia ſicuti accidens abſque ſubiecto non reperitur: ita nec ſecundæ res abſque primis eſſe poſſunt; cùm ſecundæ primarum ſint conceptus, qui minimè fabricari poſſent, niſi antea primæ res ſaltim confusè cognitæ fuerint: primæ autem res ſunt omnia ea, quæ realiter in rerum natura exiſtunt. *Secũdæ intentiones.* *Secũdæ res abſq; primis eſſe nõ poſſunt.*

Ca. Homo nè poſſet aliqua imaginari, quæ in rerum natura non reperirentur, & ſuper eiſdem conceptus fabricare?

Ph. Equidem, ſed nedum res imaginatæ, verùm & concluſio ipſa falſa eſſet: & potius Sophiſta, quàm Logicus ille eſſet vocandus: Logicus enim circa ſecundas intentiones verſatur eo modo, quo dictum fuit; etſi Zabarella aliter teneat, quia nititur probare Logicam circa primas res verſari, hocque facit, vt pro Logicæ ſubiecto res ipſas conſtituat; ſibi ipſi tamen contradicit, dùm vult probare Logicam non eſſe ſcientiam, vbi habet, quòd tota Logica de ſecundis intentionibus agit; ſed eius opinionem pergamus; quia Logica eſt ſcientia, quatenus docet, eſt inſtrumentum, quatenus in vſu poſita, hoc eſt philoſophiæ applicata, vt Scotus optimè declarat; ſententia tamen Zabarellæ ea eſt, qua Græci vſi ſunt. hic etiam vir agens de ſubiecto Logicæ improbat ſancti Thomæ opinionem, qui ens rationis pro ſubiecto poſuit, hæc tamen opinio & altera Scoti admitti poteſt, qui ſyllogiſmum pro ſubiecto conſtituit, quia vnus rem conſideratam, alter reſpicit finem. *Loco de natura Logicę c. 3.* *Logica quo modo ſciẽtia, & inſtrumẽtũ.* *Subiectum logicę.*

Ca. Vbi talis Logica tractetur dimittendo quæſtiones, palàm oſtende.

Ph. Tota ſex in tractatibus ab Ariſtotele tradita eſt; quorum primus Prædicamentorum fuit dictus, ſecundus de interpretatione, ſeu περιερμηνειας. Tertius Priorum Analyticorum eſt inſcriptus; poſt quem alter Poſteriorũ ſequitur: deinde quinti Topicorum titulus fuit, vltimoque loco ſextus Elencorum eſt vocatus. tota autem Logica in his tractatibus *Tractatus logicæ ab Ariſt. traditi.*

tibus diſtributa bifariam diuiditur; etenim altera vniuerſalis, ſeu communis, & altera particularis, ſeu propria appellatur; hocque ab Ariſt. decretum fuit. Communis ea eſt, quæ de ſyllogiſmo latiſſimè, ac vniuerſaliter aſſumpto cognitionem præbet, hæcque libris Prædicamentorum, de interpretatione, atque in alijs Priorum continetur. propria, ſeu particularis de ſpeciebus ſyllogiſmorum, & non lato modo aſſumpto tractat; hæcque tota habetur in libris Poſteriorum, Topicorum, ac Elencorum: nota tamen, quòd alius liber Logicæ his exceptis in Ariſt. operibus inuenitur, qui à Porphyrio editus fuit ad Prædicamentorum lib. Ariſt. declarationē aperiendam; quem in Cryſorij gratiam compoſuit.

In præfat. 1. Poſter.

Logica propria ubi ſcripta.

Ca. His hac via notatis, reliquum eſt, vt quid in vnoquoque horum tractatuum agatur oſtendas.

Ph. Vt id rectè agamus, à Prædicamentorum libro initium aſſumamus, qui in tres partes diuiditur, in quarum prima de quibuſdam ſuppoſitis tractatur, qui ad decem Prædicamenta Ariſt. cognoſcenda conducunt; hæcq; ſuppoſita anteprædicamenta dicta ſunt.

SVMMVLA lib prędicamentorum.

Ca. Quæ ſunt?

Ph. Quidam termini, nedum rebus logicalibus, verùm toti philoſophię neceſſarij, horumque aliqui dicuntur ęquiuoci, alij vniuoci, alij denominati, alij complexi, ac incomplexi: ita etiam alia hìc declarantur, quorum ſcientia ad Prædicamentorum cognitionem eſt neceſſaria.

Ante prędicamenta. Quid ęquiuocum.

Ca. Quid tales termini ſignificent, nè quæſo te tedeat declarare.

Ph. Terminos declarare noſtrum non eſt Calophile, ſi ſcopum propoſitum ſeruare uolumus; nihilominus vt vnius, vel duorum exemplo reliquos prorſus non ignores, dico; quòd ęquiuoca ea dicuntur, quæ inter ſe comparata, etſi nomine conueniant, natura tamen differunt: vt nomen canis conuenit cani terreſtri, aquatico, alterique, qui cęleſtis, (quia in cęlo ex ſtellis eſt deſcriptus) nominatur: hi tamen canes natura omnino differunt; nam alia eſt natura canis terreſtris, & alia aquatici, itidem ab his illa canis cęleſtis diuerſa eſt: quare nomen canis æquiuocum dicitur, quia pluribus, quæ diuerſas naturas habent, conuenit. Nomina autem vniuoca & nomine, & eſſentia eadem ſunt; ideo reliqui termini

Nomē vniuocum.

diuerſas

diuerſas habent ſignificationes.

Ca. Cùm ad artū ſtudia incubuero, terminos opportunè diſcam ideo partem ſecundam percurre.

Ph. Hæc decem Prædicamentorum præbet cognitionem, de quibus ab initio in rerum diuiſione ſufficientem cognitionem habuiſti; quare de tertia parte ſermonem faciamus, in qua quot modis vnaquæq; res alteri opponi dicatur, quid prius, quidque vox iſta, ſcilicet SIMVL in rebus ſignificet, oſtendit: atque motuum generationis, corruptionis, augumentationis, diminutionis, alterationis ac ſecundum locum mutationis cognitionem tradit, modosque; quibus diuerſimodè, Habere intelligi poteſt, patefacit; ideo hæc dicta poſtprædicamenta nominauit; vtpotè quia poſt doctrinam prædicamentorum hæc eadem tradita ſunt; notare tamen debes, quòd ante hunc librum prædicamentorum collocari ſolet liber *Porphyrij*, cuius titulus eſt, Prædicabilia Porphyrij; quare ipſius cognitio ꝑ intelligētia prædicamentorū ſubintelligitur; ſine qua negotium ad prædicamenta ſpectans, aliæque res logicales, ac philoſophicæ non faciles cognitu eſſent: in hoc igitur libro docet; quid genus, quid ſpecies, quid differentia, quid proprium, & demùm quid accidens ſit; iſtorumque communitates, ac differentias patefacit. poſt autem Prædicamentorum libros duo alij inſcripti. De interpretatione, ſequuntur.

lib. Prædicabilium Porphyrij.

Quid in Porphyrij libro.

Ca. Qualis horum librorum de interpretatione fuit intētio?

Ph. Scopus, ac principalis intentio Ariſt. in his libris eſt perſcrutari quid ad orationem attinet; animaduerte tamen, quod hìc de oratione negatiua, vel affirmatiua fit mentio, vel dicamus, quòd intentio ipſius eſt perſcrutari, quid ad ꝓpoſitionum cognitionem attinet, ex quibus ſyllogiſmi confici poſſunt: Quare vt Ariſt. iſtud efficiat à nomine, & à verbo, tanquam ab orationis principijs incipit; quidque enunciatio cum ſuis partibus, & ſuis ſpeciebus ſit declarat, ac circa talem enunciatiuam orationem multa ſcribit, diſtinguitque orationem eam in ſuas partes diſtribuendo, ſolùmque enunciatiuam ad Logicum ſpectare aſſerit; hancque illam eſſe, in qua verum, & falſum haberi ſolet, probat; etenim nō in omnibus orationibus verum, aut falſum habetur, ſicuti eſt in deprecatione; quæ neque vera, neque falſa dicitur: cū

LIBRORum de interpretatione ſcopus.

in tali oratione neque falſitas, neque veritas inueniatur; hæc autem illa eſt, quæ non ad Logicum, ſed ad Rhetoricum, Poetamque pertinet: & vt ſemmatim dicam; intentio præcipua Ariſto. his duobus in libris eſt, quidquid ad enunciatiuæ orationis ſcientiam attinet nos docere; poſt quos libros duo alij Priorum reſolutiuorum inſcripti ſequuntur, in quibus ſcopus fuit agere de ſyllogiſmo ſimpliciter conſiderato, mo dumque ipſum componendi nobis tradere, ac eius formam patefacere, cùm in præcedenti tractatu propoſitiones, è quibus componi poteſt, nos docuerit.

De lib. Prioru reſolutiuoru ſermo.

Ca. Quid eſt ſyllogiſmus?

Lib. 1. priorum c. 1. Quid ſyllogiſmus.

Ph. Syllogiſmus ex Ariſtotele eſt oratio, in qua quibuſdam poſitis aliud quoddam ab his, quæ poſita ſunt ex neceſſitate accidit. Hæc autem definitio ſyllogiſmo cuiuſcunque generis conuenire poteſt.

Ca. Multiplex igitur eſt ſyllogiſmus?

Genus ſyllogiſmoru triplex. Vis ſyllogiſmorum. Intentio Ariſt. in lib. priorum.

Ph. Equidē, attamē ad tria genera oīs reducitur ſyllogiſmus, in quorū primo demonſtratiuus collocatur, in ſecundo Topicus, atque in tertio Sophiſticus inuenitur: horum ſyllogiſmorum ſolus primus facit ſcire, ſecundus probabiliter iuadet, tertiuſque, nec ſcire facit, nec probabiliter ſuadet: quia ſemper fallit. Cùm igitur Ariſtotelis intentio his duobus in libris priorum inſcriptis ſit ſyllogiſmum multipliciter conſideratum perſcrutari, ac præcipuè formam ipſius, modumque conficiendi ipſum monſtrare, hisque modis perfectum ab imperfecto agnoſcere; incipit partes eiuſdem ſyllogiſmi deſcribere; ideo quid propoſitio, quid terminus, quidque huiuſmodi alia ad formationem illius neceſſaria ſint oſtendit: poſtea de ſyllogiſmorum, tùm ſimplicium, tùm mixtorum figuris agit; & vt vno verbo dicam, quidquid ad formandum ſimplicem ſyllogiſmum opus eſt, docet, atque tàm exactè, quòd (vt ipſe ait) impoſſibile eſt per alios modos fieri ſyllogiſmum his exceptis, quos nos docuit. quare omnem figuram, quæ circa horum ſyllogiſmorum formam cōtingit, monſtrat, vt ab initio ſecundi libri ait, in quo tria præcipua, quæ ad horum ſyllogiſmorum cognitionem conducunt, tractauit. hæc autem tria ſunt potentiæ, impotētiæque horum ſyllogiſmorum, ac eiſdē annexa; iſtud profectò miro ordine, ac conſtanti methodo fecit, vt pro exacta

Cap. 31. li. 1. prioru.

co-

cognitione talis materiæ res exigit. atque omnia iſta ſunt, quæ duobus in libris Priorum reſolutiuorum acta fuere; de quibus etſi prolixiori ſermone egiſſem, nihilotamen minus maiorem vtilitatem tibi non præbuiſſem, cùm iſtud negotium ſtudij particularis ſollicitudinem exigat; nimium enim res difficilis intellectu eſt.

Ca. A me nunquam hæc ſollicitudo aberit; ideo reliquos Poſteriorum libros perſequere, vt quæ in eis agantur, mihi innoteſcant.

Ph. Scopus, ac intentio horum Poſteriorum librorum eſt demonſtratiuum ſyllogiſmum velle tractare; audiuiſti enim tria ſyllogiſmorũ genera eſſe, quorũ vnum demonſtratiuũ, aliud Dialecticum, ſiue Topicum, tertiumque Sophiſticum fuit dictum: aliudque genus his exceptis inueniri non poſſe diximus. ideo cùm antea de illis, ex quibus tales componi poſſunt ſyllogiſmi, Ariſt. egiſſet, deque modo eos conficiendi, ac fabricandi tractauiſſet, cùm in libris prædicamentorum de ſimplicibus vocibus, ac de earum potentijs, & ſignificationibus notitiam tradidiſſet, necnon & in libris de interpretatione, de ipſorum ſyllogiſmorum propoſitionibus, ac in illis Priorum ſimpliciter ſyllogiſmum, eiuſque differentias, ac methodum omnes ſyllogiſmos conſtruendi monſtrauiſſet, de quibus cùm vniuerſaliter verba feciſſet, ſimpliciterq; ſyllogiſmum cõſideratum tractauiſſet: nunc de vnoquoque genere magis particulariter agere volens, incipit à demonſtratiuo, qui ſolus nos ſcire facit, cuius onus tractandum, exponendumque his duobus in libris Poſteriorum ſibi propoſuit, de Dialectico in Topicis, deque, Sophiſtico in Elenchis ſermonem habuit.

LIBROrum poſteriorum intentio.

Breuis reſtrictio librum prædic. Periher. et priorum.

De ſyllogiſmo demonſtratiuo vbi.

Ca. Duobus poſtremis tractatibus pro nunc relictis in Poſteriorum libris perſiſtendum erit.

Ph. Iſtud ſic fieri debet, quare cùm Ariſt. pro ſcopo his in libris ſibi propoſuerit ea docere, ex quibus demonſtratio fit, incipit vniuerſaliter loqui, cùm mos ipſius ſemper fuerit, ab vniuerſalioribus ad particularia deſcendere, cùm talis modus doctrinæ via ſit. Quare incipiens ait. *omnis doctrina, & omnis diſciplina intellectiua ex præexiſtenti cognitione fit.* quibus verbis in primis monſtrare voluit, quod omnis demonſtratio ex quibuſdam præcognitis, hoc eſt, ex quibuſdam concepti-

SVMMVLA librorum poſteriorum.

Doctrina vbi.

bus

Demõſtratio qua uia contingat.

bus communibus fieri debet; namq; ex his quædã veræ, ac vniuerſales propoſitiones formãtur, è quibus neceſſariò demonſtratio contingit, nec alia via inuenitur, qua demonſtrari poſſit.

Ca. Difficile intellectu iſtud negotium eſt.

Ph. Nemo ambigit; ideo Ariſt. ſuum ſcopum ſequens, hoc primo libro eſſentiam ipſius demonſtrationis, ac eidem requiſita oſtendit, cuius differentias, ignorantiæque ſpecies, quæ ſcientijs accidere poſſunt, patefacit: aliaque multa ad demonſtrationis ſpecies ſpectantia mirificè tradit, primumque ſcopum in ſecundo libro minimè prætermittit, cùm primo loco de quatuor modis, quibus de vnaquaque re quęri poſſit, in gratiam ipſius demonſtrationis agat; poſtea definitionem per cauſam eſſe, quotque, & quales ſint cauſæ ſcribit: nõnullaq; circa definitionis partes oſtẽdit, quibus, alijſq; multis expoſitis principiorum indemonſtrabilium differentiam, cognitionemque tradit; hacque via opus perficit.

Ca. His concluſis ſupereſt, vt Topicos percurras libros.

Ph. Breui quadam via rem perſtringamus, nè propinquę tenebræ Tugurij noſtri viam interdicant; ideo Ariſt. cũ hucuſque demonſtratiuum ſyllogiſmum expoſuerit, nunc in octo Topicorum libris Dialecticum oſtendere proponit; nã tota intentio fuit, quidquid ad eius perfectam cognitionem pertinet ſcribere; primo igitur capite primi libri ſuam exponens intentionem, quàm his in Topicorum libris ſequi decreuit ait, quòd propoſitum negotij eſt methodum inuenire, per quam poſſimus de quocunque propoſito problematicè ſyllogizare. Quare cum triplex ſit ſyllogiſmorum genus, horum definitionem tradit.

SVMMVla octo librum Topicorum.

Ca. Has definitiones ſcire opus eſt, vt ſaltim generaliter quid ſit ſyllogiſmus, antequam hinc proficiſcar non ignorem.

Quid ſyllogiſmus.

Syllog. demonſt. ex quibus.

Syllog. dialect. & Sophiſt.

Ph. Id nè ſilentio inuoluam; dico cum ipſo Ariſt. vt aliàs dixi, quòd ſyllogiſmus vniuerſaliter cõſideratus eſt oratio quędam, in qua quibuſdam poſitis aliquid aliud à poſitis ex neceſſitate accidit per ea, quæ poſita ſunt. verum demonſtratiuus ſyllogiſmus ex veris, & primis conſtat. vera autem, & prima ſunt ea, quæ non per alia, ſed per ſe ipſa fidem habent. Dialecticus equidem ille eſt, qui ex probabilibus colligitur. Sophiſticus, ex illis conſtat, quæ probabilia eſſe videntur, nec ſunt.

ſunt allata igitur definitione horum ſyllogiſmorum de illo, cuius propoſitum fuit, ſermonem facere incipit; & ideo inprimis quidquid ad compoſitionem Topicarum orationum ſpectat oſtendit, ideo de ratiocinandi ſpeciebus, vt pro negotij intelligentia opus fuit, agit, perfectamque partium omnium topicæ orationis cognitionem tradit; hocque primo libro facit. in ſecundo autem vſque ad finem ſeptimi modum oſtendit, quo omnes topici ſyllogiſmi conſtrui poſſunt, vnde omnia loca notificat, quibus ipſi ſyllogiſmi conſtruuntur ad rei conſtructionem, ac deſtructionem omnibus in ſpeciebus quæſitorum iſtius artis. deinde in poſtremo libro monſtrat, quo modo quęri poſſit, ac reſponderi, quotque modis quæſtio fiat, itidem & reſponſio: aliaque in horum gratiam ſcripſit; hacque via huic negotio finem impoſuit.

Ca. Breuiſſimè proculdubio tot libros perſtrinxiſti.

Ph. Sic pro aſſumpto ordine decet; ideo hanc viam ſequentes, Elenchorum Sophiſticorum tractationem percurramus, quæ duos continet libros, quorum intentio talis eſt, nempè Elenchorum Sophiſticorum (qui videntur eſſe Elenchi, ſiue ſyllogiſmi, cùm parallogiſmi, vel falſi, ac mendaces ſint) cognitionem nobis præbere; nec tale opus ad ludendum idē Ariſt. compoſuit, vt aliqui putarunt, ſed ad nobis perfectam horum omnium notitiam tradendam, vt hæc nobis ipſis cauendi via ſit, nè decipiamur. quare talis cognitio, tamquàm Alexipharmacum ad omnes Sophiſticas euitandas importunitates nobis tradita fuit; vt Ioannes Grammaticus dixit; quocirca ad fugam, non ad vſum horum ſyllogiſmorū ſophiſticorū cognitionē dedit: & vt remedium contra hæc uenena eſſet cognitum: ſic etiam ſapiens Medicus ſæpè ad fugam, non ad vſum de venenis agit: & vt contra ipſa Alexipharmacum inueniri poſſit: hanc igitur materiam Ariſtoteles tractaturus prius perfecta ſua intentione incipit oſtendere diſputationis genera, omniaque loca Sophiſticarum redarguationum patefacit; atque cauſas deceptionum, ſeu Sophiſticarum captionum ſcribit: poſtea veras, ac falſas redarguationes, tentatiuaſque interroga-

DE ELENCHIS

ſyllogiſmis ſophiſticis. Lib. Elenchorū non ad ludū.

Ab initio expoſ. lib. poſter.

Cur cognitio Elēchorū tradita

SVMMVLA librorum Elen. chorum ſophiſticorū.

tiones, ac differentiam inter contentioſum, & Sophiſticum clarè dicit, multaque alia pro occultæ fraudis cognitione, captionumque in ipſis ſollecifmis contingentium, nobis tradidit, quæ omnia primo libro claudit. At in ſecũdo vtilitatem Sophiſticarum orationum, modumq; quo eas diluere poſſimus, monſtrauit, ſolutionumque aliquorum modorum ſyllogizandi propoſitorum notitiam præbuit; itidem non pauca circa facilem, ac difficilem orationem, acutamque nos docuit: vltimoque capite quendam epilogum dictorum duobus in libris facit; quo modo tractationem perficit; quare multis à dictis dependentiam habentibus prætermiſſis totius Logicæ breue compendiũ intellexiſti.

Ca. Harum rerum logicalium, etſi exacta mihi non fuerit cognitio, hac tamen via tantam cupiditatem hæc omnia adiſcẽdi mihi præbuiſti; quòd magno deſiderio impulſus, tecum vitam ducere de reui, donec ſcilicet omnia hucuſque compendiosè tradita à te methodica via didicero.

Ph. Multis laboribus, vigilijsq; hoc idem conſequeris, antequàm tamen ad hæc tractanda deueniamus, Rhetoricã, Poeticam, Hiſtoriamq; percurrendo, vt incepto propoſito finem imponamus, noſtrum opus perficiemus.

Ca. Harum trium artium aliqua abſque dubio ſunt mihi nota; ob id tamen vt colloquium huius diei plenum, ac perfectum efficiatur, aliquid de illis eſt dicendum, primoque à Rhetorica initium capiamus.

DE RHETORICA ſermo. cap. 4.

Ph. Rhetorica, ait Ariſt. libro primo de arte ipſa, eſt facultas inueniendi quid in vnaquaque re ad fidem faciendam idoneum eſſe poſſit. Quapropter quidquid Rhetor dicit, totum ad perſuadẽdum dirigit; cùm ipſius finis præcipuus ſit eos perſuadere, quos alloquitur.

Ca. Hoc modo & Logicus nititur ſuis argumentis omnes perſuadere, cum quibus ſermonem habet.

Rhetorica affinitatẽ habet cum Logica. 1. Rhetor. Rhet. et Logica omnibus doctrinis cões.

Ph. Porrò ars iſta Rhetorica dicta cum Logica affinitatem habet; ſed non ob cauſam, quam adduxiſti, quia hæc affinitas præcipuè contingit, quatenus neutra harum particulari materiæ ſubiecta ſit, vt loco citato Ariſtoteles ait, ideo omnibus artibus, omnibuſque ſcientijs vtraque

accommo-

accommodari poteſt, cùm ambæ de quacunque materia propoſita agere ſciant; itidem coniunctim conueniũt, quia ab omnibus vtraque intelligi poteſt, cùm & hæc, & illa vniuerſalis ad omnes artes tractandas ſit; præcipuè tamen Rhetorica affinitatem habet cùm parte Logicæ, quæ Topica vocata fuit, vt Auerroes expoſuit; conueniunt etiam in hoc, quòd vtraque cùm alio loqui ſolet, hacque loquendi via ad quandam veritatem auditores perſuadet.

Ca. Quales fuerunt artis Rhetoricæ profeſſores?

Ph. Multi equidem ante, & poſt Ariſtotelem hanc artem profeſſi fuerunt, quorum nomina in Officina Textoris extant, cuius artis inuentorem Empedoclem fuiſſe aliqui exiſtimant. verùm etſi à multis ante ipſum Ariſtotelẽ hæc dicendi, aut perſuadendi ars tradita fuerit, nullus tamen, quæ in hac materia neceſſaria ſunt, ſcripſit; ideo etſi multa ab illis priſcis dicta ſint; nihil de Enthimematibus, quæ ſunt perſuaſionis nerui, tractarunt; quorum cognitio Rhetori neceſſaria eſt, cùm Rhetoris ſcopus, finiſque perſuaſio ſit; ideo fortioris partis Rhetoricæ Ariſt. inuentor fuit.

DE RHETORICA ſermo. Parte 2. inuentor Rhetoricæ.

Rhet. fortioris partis Ariſt. inuentor.

Ca. Quid iſtud ait?

Ph. Idem Ariſtoteles teſtis fuit.

Ca. In iure nullo modo talis teſtis approbandus eſſet; cùm nemo de ſe ipſo fidem facere poſſit.

Ph. Nos tale teſtimonium comprobamus, quia ex veterũ tractatibus, quę ipſe ait, vera eſſe inuenimus; cùm ante ipſum nullus de ipſis Enthimematibus, perfectisq; ſyllogiſmis egerit; niſi eo modo, quo loco de Logica dictum fuit.

Ca. Nundùm, quid Enthimema ſit, audiui.

Ph. Enthimema nil aliud eſt, q̃ imperfectus ſyllogiſmus, qui altera duarum propoſitionum caret; namq; perfectus ſyllogiſmus ex duabus propoſitionibus componitur, à quibus ſemper aliqua concluſio elicitur; imperfectus autem vnam ſolummodo harum habet, à qua ſuam concluſionem Rhetor elicit.

Quid Enthimema. Perfectus ſyllog. qd. Imperfectus ſyllogiſmus qualis.

Ca. Da exemplum, ſi lubet.

Ph. De perfecto ſyllogiſmo iſtud ſit exemplũ. *omne bonum eſt eligendum. virtus eſt quoddam bonum. ergo virtus eſt eligenda.*

prima propoſitio maior dicitur, ſecunda minor appellatur: è quibus immediatè altera elicitur, quæ concluſio nominatur; atque hic Syllogiſmus perfectus dicitur; ideo vbi altera duarum propoſitionum, maior ſcilicet, vel minor deerit, tunc imperfectus vocabitur. Taliſque Enthimema fuit dictus; vt exemplo. *Virtus eſt bona, ergo eligenda eſt.* Hìc deeſt maior propoſitio, quæ ſubintelligi debet; vel ſi dicatur. *Omne bonum eſt eligendum. ergo uirtus eſt eligenda.* Hìc deeſt minor propoſitio, quæ itidem ſubintelligitur, nempè virtus eſt quoddam bonum. quare ex his ſatis conſtare videtur, quòd Enthimema eſt Syllogiſmus maiori, vel minori propoſitione carens.

Ca. Supra, ni fallor, in particulari de Syllogiſmis nihil dixiſti; cur iſtud maluiſti?

Ph. Quia, vt aliàs dixi, omnes ſcientias, ac artes adamuſſin tractandi non ſuſcepi; ſed de omnibus vniuerſaliter cognitionem tradere decreui.

Ca. Nunc igitur, dic, ſi Rhetor ad perſuadendum aliam habeat viam excepta ea enthimematis.

Ph. Multis, varijſque vtitur modis, inter quos præcipuus eſt enthimema, inductio, atque exemplum.

Ca. Quid inductio, & quid exemplum eſt?

quid inductio: Ph. Inductio eſt quædam arguendi via, vel potius quędam forma probandi, vel perſuadendi, quæ à particularibus ad vniuerſalia progreditur; vt ſi vellem probare per inductionem, quòd Cicero inter omnes primus fuerit Rhetor. ſic dicerem. Cicero omnium excellentiſſimus Rhetor fuit; cū iſtud ab omnibus conceſsū ſemper fuerit: cùm Romani, Ferrarienſes, Athenienſes, Patauini, Bononienſes, alijque populi hoc nunquam negarint. Exemplū autem eſt via, qua per ſimilitudinem intentum probatur, veluti ſi Orator vellet probare quòd omnis ſacerdos ſupra omnes homines venerandus ſit. Exemplo ſic probaret adducendo, quòd iſtud obſeruatum fuit vndique, quia apud nedum Athenienſes lex de venerando ſacerdotio conſtituta fuit, verùm apud Romanos, itidem & apud Gallos, necnon & apud Iſpanos: quæ cū ab aliquibus ſpreta fuerit, ſūmus Deus, varijs, ac diuerſis cruciatib.

eos

eos vexauit. his igitur exemplis Rhetor Auditores perſuadere ſolet; alijsque ab eo inuentis (etſi non vera, quæ tamen poſſint vera eſſe) vti poteſt ad corroborandum id, quod proponit.

Ca, Vbi perfecta tractatio de hac arte haberi poteſt?

Ph. Apud multos inter quos Ariſt. at Cicero eruditiſſimã notitiam tradiderunt, Ariſtot. tamen maiora tribus in libris ſcripſit, atque alio loco ad Alexandrum tractatum particularem fecit; Cicero aútem magis particulariter rem tractando in elocutione cęteris excelluit; namque in attico genere ſemper locutus fuit; quia nedùm Rhetor, verùm & excellens fuit Orator differt enim Rhetor ab oratore quia propriè loquendo Rhetor artem docet, at Orator ipſam exercet.

Tractatus de Rhetorica Ariſt.

Ca. Quid genus atticum ſit, minimè intelligo.

Ph. Scito quòd antiquitus triplex dicendi genus fuit. Atticum Aſianum, atque Rhodianum: id eo attica oratio illa erat, quæ preſſa, limata, venuſta, ac omni elegantia exornata nihil ocioſum, aut inane, vel ſuperfluum continens. Aſiana verò ea dicebatur, quæ inelegans erat, verboſa, multaque inania, ac ſuperflua continens, & vt vno verbo dicam multis redundans vitijs. Rhodiana equidem medio modo ſe habebat, cùm ex vtraque attica ſcilicet, & Aſiana conſtaret: hæc tamen magis atticam, quàm Aſianam imitabatur.

Triplex dicendi genus.

Ca. His ſic digeſtis, ſi conueniens videtur, ſummulam librorum Ariſt. de Rhetorica oſtende.

Ph. Iſtud minimè eſt efficiendum, tum quia tenebræ lucē fugare incipiunt, tũ etiam quia cùm Rhetoricæ omnino haud ignarus ſis; nulla his in libris Ariſt. neceſſaria tibi eſt introductio. Quare potius aliquid compendioſè de partibus Rhetoricæ memoriæ ſuppeditemus, vt maiorem fructum ex noſtra oratione elicere valeamus, huius enim artis cum aliqua tibi præfuerit cognitio; nunc mihi aliqua de arte ipſa tradere licebit; ideo Ariſtotelis tractationibus prolixis omiſſis rem paucis perſtringamus, & primo loco de cauſarum generibus aliquid dicamus.

Ca. Quid vtilius cernis, faciamus.

P 3 Tria

DE PARTIBVS Rhetoricę.

Ph. Tria ſunt cauſarum genera, etenim quæcunque cauſa tractari poteſt, vel in genere demonſtratiuo, vel in deliberatiuo, vel in iudiciali: quare omnis Orator ſemper in aliquo horum generum loqui cogitur, cùm plura tribus minimè inueniantur; namque quidquid agitur, vel præſens reſpicit tempus, & ſic ad demonſtratiuum, vel præteritum, atque ad iudiciale, vel futurum, & ſic ad deliberatiuum ſpectat genus.

Ca. Quid, & qualia hæc genera ſint, ac quid in vnoquoque iſtorum tractetur ſcire cupio.

Genus demonſtratiuum.

Ph. Demonſtratiuum genus illud eſt, quo laudamus, & vituperamus; quia materia, vel pars iſtius generis eſt laus, & vituperatio; ideo laudando, ſeu vituperando aliquid narratur, docetur, vel deſcribitur: hicque modus loquendi, vt plurimum præſens reſpicit tempus. Genus iudiciale eſt, quo defendimus, & accuſamus: ideo partes talis generis ſunt accuſatio, & defenſio: dùm igitur defendimus, aut accuſamus, expurgamus, improbamus, minamur, depræcamur, expoſtulamus, atque huiuſmodi alia tractamus; numquàm non in genere iudiciali loquimur. At in deliberatiuo quid ad futurum pertinet ſuademus, diſſuademus: etenim partes, & materia eiuſdem generis eſt ſuaſio, & diſſuaſio: ideo in tali genere hórtamur, dehortamur, conſolamur, lætamur, commēdamus, monemus, petimus, atque hoc modo alia dicimus.

De iudiciali genere.

Quid in deliberatiuo genere.

Ca. Memini à meo præceptore me alia dícendi genera doctum fuiſſe.

In quocunque genere per quinq; Orator loqui poteſt.

Ph. Porrò res ſic fuit; namque in quolibet horum trium generum Orator per quinque alia genera loqui poteſt; quę ſunt genus honeſtum, turpe, dubium, humile, ac demùm obſcurum: Honeſtum genus illud eſt, quo id, quod iure laudandum eſt, laudamus. Turpe econtrario ſe habet: Dubium medium locum inter hæc tenet. Humile contingit, quùm res ſpreta, ac contempta in oratione præbeatur. obſcurum, ſi aliquid difficile intellectu narretur, vel diſcutiendum proponatur.

Ca. Dùm Orator in his generibus ſuam orationem componit, qua methodo id efficit?

Quin-

Ph. Quinque modis, nempè inuentione, diſpoſitione, elocutione, memoria, ac pronunciatione: quare dùm Orator orationem aliquam efficere putat; inprimis debet excogitare quid dicendum, vt cauſa probabilis reddatur: poſtea inuenta quodam ordine diſponere; nam alia ad exordiũ, alia ad narrationem, alia ad argumentationem, vltimoque loco alia ad orationis concluſionem ſpectant: ex his enim quatuor partibus perfecta efficitur oratio; Ariſtot. tamen harum duas medias neceſſarias pro orationis conſtitutione eſſe autumat, immo probat: nempè narrationem, & argumentationem: quarum primam propoſitionem, ſecundam fidem appellat: alias verò duas partes exordium ſcilicet, & concluſionem neceſſarias non eſſe affirmat. vt igitur ad rem reuertar, inuenta ſuis locis diſponere, ac digerere opus eſt; deinde hæc omnia verbis, ſententijſq; exornare: atque cùm ſic oratio digeſta fuerit, eam memoriæ mandare; poſtremoque, vbi opus erit, ipſam memoriter pronunciare; idque vultu, aſpectuque conuenienti, geſtibus aptis, ac moderatis cum venuſtate effici debet.

Modi, quibus oratio efficitur, & quę.

Partes orationis quatuor.

Lib. 3. c. 5. ipſius artis Rhe.

Narratio, & argumẽtatio ſunt partes neceſſarię in oratione.

Abſq; exordio, & concluſione fieri poterit oratio.

Quæ via oratio pronunciãda.

Ca. Quid exordium, quid narratio, atque quid argumentatio, necnon & concluſio in oratione ſint intelligere cupio.

Ph. Hæc omnia in fontibus literarum aſpicies, ac quomodo vti exordio liceat, & non conueniat: multaque alia videre poteris, quæ omnia ſi recenſebo, quidquid propoſui, minimè efficiam; ideò hæc dicta pro Rhetoricæ cognitione ſufficiant; cùm abſque alio adiumento cętera ad artem ſpectantia intelligere facile ſit. Ariſtotelis igitur libros doctiſſimos, excelſoſque perleges, citòque optimus Orator eris; ſi tamen tria obſeruabis; nempè ſi exactiſſimè viam, ac rationem dicẽdi ab Ariſt. traditam didiceris, atq; ſi vtraque memoriæ mandata, quid opus erit perpetrabis, itidem ſi diligenti artificio grauiſſimos viros, veluti Cicero fuit, in dicendo ęmulaberis, eiſdemq; te ſimilem fieri eniteris, ac ſi aſſiduè, frequentique vſu indicendo habitum nactus eris.

Via, quæ homo cito fiet Orator opt.

Ca. Hæc equidem longum requirunt tempus.

Ph. Nihil in inſtanti fit Calophile;quapropter omnia tempus ſuum exigunt; ideo dùm aliquam doctrinam, ſiue dicamus artem, vel ſcientiam diſcere volueris, quæ aliàs dixi, exequere, ſcilicet audi, ſcribe,& doce:quia hoc modo breui,quæ exoptabis, adipiſceris.

vt citò adiſcatur q̃libet ars.

Ca. Quæ protuliſti imitari enitar.

DE POETICA.

Lib. de poetica.

Lib. com. de audiendis poetis.

9. Sympſia com q. 14.

loco citato

Ph. Interim Poeticam, & Hiſtoricam facultatem breuiter tangamus, primoque loco Poeticam collocamus,quę imitatrix ars ab Ariſtot. vocata fuit, hæcque ſententia à Platone minimè abfuit, quod pari modo Plutarchus voluit; qui hac ratione pingendi arti ſimilem, muſicamque adiunctam eidem eſſe exiſtimauit: vt etiam Ariſt. qui nõnullas artes Poeſi ſimiles fecit; veluti eſt ars ad citharas, Tibiaſque pertinens, atque altera ſaltatoria nuncupata; etenim hæ artes ſic conueniunt, quòd imitando opus ſuum efficiunt; eſſentia enim, ac ratio Poeſis eſt, vt ſemper in ſuis operibus imitatione incedat; differunt tamen inter ſe artes ipſæ, vt idem Ariſtoteles ait, vel quòd rebus diuerſis genere ſua contingit imitatio, vel quòd diuerſarum rerum imitationem exercent, vel quòd diuerſo modo ſuum opus efficiunt: verùm ſecundum rationem ſimiles ſunt, cum omnes ſint artes imitandi; cumque omnis imitatio fieri poſſit, vel harmonica, vel numero, vel ſermone: aliquæ aũt artes harmonia, numeroq; ſimul vtũtur: quarum vna eſt ars ad citharam, Tibiaſque attinens; vel numero ſolummodo, vt eſt ſaltatoria, etenim ſaltatores geſticulationis numeroſa varietate actiones imitantur; vel nudis verbis, vt Poeta; ideo imitando Poeta metro multa efficit; vt in Epopeia euenit; item artes iſtæ imitatrices ſemper vel in genere laudandi, vel in genere vituperandi conſiſtunt: de artibus igitur metro imitantibus Ariſt. verba facere propoſuit.

Eſſentia poeſis.

Omnis imitatio quõ fiat.

Ca. Quid eſt Epopeia, de qua es locutus?

Quid Epopeia.

Ph. Eſt quædam fabula, ſiue enarratio imitatoria, quæ licet multis in partibus à Comedia, Tragediaque, ac ab huiuſmodi alijs fabulis differat, eandem tamen cum ipſis habet rationem, cum imitando, vel laudet, vel vituperet.

Nè

Ca. Nè aliquis Poeta metra conficere poſſet abſque laudatione, vel vituperatione, nullaque vtens imitatione?

Ph. Poſſet, talis tamen, etſi metro vtendo aliquam orationem non imitatoriam, non laudantem, non vituperantem narraret, Poeta minimè eſſet vocandus; idque Ariſtotel. Empedoclis exemplo, aliorumque Græcorum monſtrauit; qui etſi multa metro ſcripſerint, Poetæ tamen dici non poſſunt, ſed naturales, vel Hiſtorici, vel alijs nominibus ſunt vocandi: cum Poeſis imitatrix ars ſit in genere laudandi, vel vituperandi conſiſtens; quòd autem Poeſis ſemper laudet, aut vituperet: Ariſtoteles Antiquorum Græcorum inductione probat; namque omnis Poeta græcus ſemper in altero horum duorũ generum locutus fuit, idque Plato comprobauit. *Poeſis 3d.* *In Minos.*

Ca. Origo talis artis vnde prouenit?

Ph. A naturali inclinatione, quia vt Ariſt. ait, inſitum hominibus à natura eſt imitari; ideo differunt ab alijs Animalibus, quia aptiſſimi ad imitandum ſunt; cum primas diſciplinas à pueritia imitando acquirant. porrò homo naturaliter imitationibus gaudet, vt idem Ariſtoteles nonnullis probat rationibus. Alia etiam originis Poeſis fuit cauſa; & eſt, quòd humana natura numero, harmonia, ac metro gaudet: quæ omnia huic arti inſunt; ideo hac delectatione Poeſis paulatim adaucta fuit. *Lib. de poetica. Origo Poeſis.*

Ca. Philoſophus debet nè arte iſta eſſe ornatus?

Ph. Modum, quo ars efficitur, ſcire debet, vt omnium iudex eſſe poſſit; eam tamen exercere non ad Philoſophum, ſed ad Poetam pertinet: namque hanc exercentes ſi optimi eſſe debent, cętera negotia, ſtudiaque (niſi in gratiam ipſius Poeſis cõtingant) deſerere coguntur, iſtudque apud Cornelium Tacitum prorſus decretum fuit, cuius verba, hæc ſunt, *ſi Poetæ dignum aliquod elaborare, ac efficere velit, relinquenda eſt amicorum conuerſatio, cæteraque officia ſunt deſerenda.* *In Dialogo Quinctiliani de oratoribus.*

Ca. Ego multos Poetas agnoui, qui alias etiam profitebantur ſcientias, & tamen optimi Poetę fuerunt appellati.

Ph. Quis iſtud ait? forsàn ad illas ſcientias incumbebant,

in

in gratiam ipſius poeſis; alitèr id difficile eſſet creditu: nam cùm triplici via in homine Poeſis contingere poſſit (vt Ficinus ad mentem Platonis ait) vel Dei dono, vel fortunæ ſorte, vel artis ope; primo modo Poetæ non arte, ſed diuino afflatu mente capti, omnia præclara canũt. Ex quo elici poteſt, quòd arte homo optimus eſſe nõ poteſt; niſi cætera officia deſerat, vt pauloante dixi.

In comm. Diu. Pla. de ſurore poetico.

Ca. Quid igitur eſt agendum, nè fruſtra laboremus? an Poeſis ſequenda, aut omittenda ſit, dic.

Ph. Proculdubio dici ſolet, Poeta naſcitur, & hoc modo negotium totis viribus eſſet amplectendum, nam fortunæ ſors, & interdùm Dei donum uocari poſſet: taliſque Poeta abſque labore omnia præclara, admirandaque caneret. Cæterùm nullo modo arte ipſa abſque huiuſmodi donis; quiuis intentum rectè conſequi poterit etſi vim magnam ſibi ipſi præbuerit. hinc raro inueniuntur Poetæ, quibus hoc nomen iure conueniat; ideò vnus Homerus, vnus Virgilius, multi tamen philoſophi: atque huiuſmodi de cæteris Poetis vernacula lingua imitantibus erit excogitandum; namque vnus Romæ, alter Ferrariæ: interdùm nec hìc, nec illìc: multi tamen aliarum ſcientiarum, artiumque doctrina exornati vbique poterunt haberi.

Ca. Igitur hæc ars omittenda eſt, tùm propter difficultatem, tùm etiam quia cùm fabulas, vanaque vt plurimũ canat; aut nihil, aut parùm ab ea adiſci poteſt.

Ph. Audi, quòd ſi de exercitanda arte, ac profitenda loqueris, prorſus ob difficultatem, niſi conditiones allatę adfuerint, omittenda eſt; at ſi de legendis Poetarum ſcriptis, ac Poeſibus ſermo ſit, dico, quòd vtile fore exiſtimo, ſi aliquorum Poetarum Poeſes, ſiue ſcripta prę oculis habebis; quia Poeta non ſemper vana canit, verùm vtilia, ac neceſſaria ſæpè efficit; ideò multa à ſcriptis Poetarum diſci poſſunt, nedum, inquam, pro elegantia elocutionis, ſed pro vita rectè degenda: cùm interdum optimam viuendi rationem, aliaque multa fabulas ſcribendo nos doceant, fraudes, deceptioneſque malorum hominum imitatione palam facientes: aliqui tamen, immo multi inuenti ſunt, qui nec vtilia, nec iucunda ſcripſerunt, atque ſi iucunda, damnoſa

Quando vtile ſit legere Poemata.

tamen:

tamen: ideo horum Poeſes omnino ſunt deſerendæ, ac ab optimis Chriſtianis ſpernendæ; cùm multa contra bonos mores, ipſamque religionem in his ſcripta reperiantur veluti quòd plures ſunt Dij, ac alia contra religionē, quæ omnia Poeta quibuſdam in fabulis ſequi cogitur. Quare Plato artem iſtam animaduertens huiuſmodi Poemata damnauit, improbauitque: quandoquidem, ut ipſe ait, ab his neque humana, neque diuina adiſci poſſunt: ſe tamen excuſat, quòd non cauſa iniuria Homerum afficiendi, cùm ob veritatis amorem, hominumq; vtilitatem iſtud dixerit: Quare huiuſmodi Poemata tamquam pernicioſa ſpernere coactus fuit; ideo Tragedias, huiuſmodique alias Poeſes mentis corruptelas vocauit, quia audientes neſciunt diſcernere quales ſint; cùm medelam mentis non habeant; quocirca iuſſit, quòd omnes vanæ fabulæ, & priuatim, quæ de Dijs, & Heroibus irreuerenter, contraque leges agunt, abijcerentur: aliaque in lege huius generis Poemata tamquam moleſta, & damnoſa interdixit; ideo legem condidit, qua iubebat, quòd nemo Poeta præter Ciuitatis leges quidquam fingere, etſi bona, & honeſta, auderet.

x. de Repu. aliqua Poemata Plato damnauit.

Dial. 2. x. libri de Republ.

7 de Legi.

Ca. Huiuſmodi Poemata a Platone prohibita, forsàn ſcribit Ariſt?

Th. Docet Ariſtotel. quid ſit Poema, ſiue Poetica, eiuſque diuiſionem affert, ac fabularum, ſiue Poematum ipſorum, quæ tali in arte contingere ſolent, differentias monſtrat; ideo artem in vniuerſum nos docuit, ipſam tamen non exercuit. Quare primo loco qualis ſint Poeſum conuenientiæ, ac ex imitatione differentiæ, oſtendit, incrementumque ipſius Poeſis, ac originem quadam ratione ſcribit; poſtea quid Tragedia, quæque eius partes, & quales ſint, itidem & quantæ eſſe debeant, ac huiuſmodi alia ad reliquas ſpectantia declarat; quotque Tragediarum genera ſint, docet, atque vt vno verbo dicam, omnia Poeamata conficiendi multis regulis artem, Methodumque tradit hæcque omnia inuicem diſtinguit, ac quid vnaqueque harum fabularum ſit earum partes deſcribendo patefacit: alia ſanè quamplura pro talis

QVID ARIST. IN POETICA TRADat.

materiæ

materiæ eruditione tractat,quorum cognitionem,ſi exoptas,neque arduum,neque moleſtum libros perlegere,intelligereque tibi erit.

Ca. Quid igitur Hiſtoria ſit,nunc expone.

DE HISTORIA quid ſit hiſtoria.

Ph. Hiſtoria eſt quædam ars, quæ res geſtas abſque fraude narrat,quę multis in partibus à Poeſi differt; & primo quia facta ipſa, reſque geſtas,ut re uera fuerunt, dicit: at Poeſis,ut geri potuerint,uel ut veriſimile,uel neceſſarium omninò fuerit,eas ſcribit, uel canit:Quare Ariſt. concludit, quòd Poeſis eſt poſterior Hiſtoria: etenim hæc circa particulare, illa circa vniuerſale vt plurimum verſatur, quia Poeſis actiones ſimiles rebus geſtis imitando profert; nec res ipſas, ſiue facta, ut fuerunt, aſpicit, aut canit: quod tamen Hiſtoria facit: ideo ſi res in ſe conſideretur, Poeſis, quia fingit, mendax, Hiſtoria autem vera eſt: tamen Poeſis cùm opus arduum, ac difficile ſit, Hiſtoriaque facilis,hac ratione etiam Poeſis nobilior, ac ſit Hiſtoria,erit;quia præclara omnia difficilia sũt,ut nudiuſtertius Platonis auctoritate te docui: cùm uia uirtutis ardua,ac difficilis ſit.

6.de Repu.

Ca. Etiam Hiſtoria à Poetica differt, quia Hiſtoria ſolutam habet orationem, Poeſis autem metro conficitur..

Ph. Hæc res inter has artes nullam ponit differentiã, quia eſſentia Poeſis non eſt Metrum, ſed imitatio in genere laudandi,vel vituperandi: quare multi metro ſcripſerunt, qui tamen,cùm abſque imitatione facta ipſa, vel facienda narrauerint, Hiſtorici non Poetæ uocati ſunt: atque hæc dicta pro tui petitione ſatis ſint,cùm omnium ſcientiarũ, artiumque ſummulam hucuſque prębuerimus.

Ca. Profectò id factum fuit.

Ph. Hìc igitur abſoluamus colloquium,ad Tuguriumque noſtrum tendamus, ubi,poſtquam ruſtica alimenta guſtauerimus,dulciter dormiendo animæ,corporique quietem dabimus.

Ca. Poſtmodum methodicè me tot enumeratas ſcientias, arteſque ordinatim docere incipies.

Ph. Equidem,aliquibus tamen diebus interpoſitis, vt cum

mens quieuerit, vterque noſtri magna intellectus vi rem agredi queat.

Ca. Conſultò à te decretum eſt; ideo, vt ais, nos geramus.

Ph. Accede huc Calophile, quia hora eſt, & Tugurium ingredere.

Ca. I præ, quia tecum ineo.

Finis Tertij, & vltimi Dialogi.



VENETIIS, MDCV.

Apud Robertum Meiettum.